Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

Liber selectarvm declamationvm Philippi Melanthonis, qvas conscripsit, & partim ipse in schola Vitebergensi recitavit, partim aliis recitandas exhibuit : adjectae sunt ejusdem praefationes in aliquot illustres autores : omnia recens in lucem edita.

https://hdl.handle.net/1874/402283

Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell

Huybert van Buchell (1513-1599)

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- **de rug van het boek**
- **de kopsnede**
- **de frontsnede**
- **de staartsnede**
- **het achterplat**

This book is part of the Van Buchell Collection

Huybert van Buchell (1513-1599)

More information on this collection is available at:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- **the spine**
- **the head edge**
- **the fore edge**
- **the bottom edge**
- **the back board**

B. qu.
34





agunt qm̃ sint recta conspiciunt · sed de eorum
rectitudine non p̃sumunt, Unde adhuc sub
ditur. Y estigia eius secutus ē. pes m̃s. Uiam
eius custodiui & non declinaui ex ea · a mandatis
abio eius non recessi · & in sinu meo abscondi
uerba oris eius; Sed in his om̃ib; an se ee aliqd
existimet uideamus; Sequit. I pse enī solus
est · Qui sub iuncta sententia ostendit · quia
rector bonis que egerat · nichil se ee credidit; Sed
hec ipsa superius uerba repetentes · ut possum

Miscellanea Litteraria
Quarto n°. 34.
B. qu. 34

N 122. c.

№ 230. t.

LIBER SELECTA RVM DECLAMATIONVM PHILIPPI MELANTHONIS, QVAS conscripsit, & partim ipse in schola Vitebergensi recitauit, partim aliis recitandas ex hibuit.

Adiectæ sunt eiusdem Præfationes in aliquot illustres Autores.

Omnia recens in lucem ædita.



Cum Gratia & Priuilegio.
M. D. XLI.

Domin Buckell.

ACADEMIA

CATALOGVS
Orationum.

Ad Paulinæ doctrinæ ſtudium adhortatio 1
De amore ueritatis ſeu odio Sophiſtices 12
Eccleſijs opus eſſe doctrina quã Philoſophia profiteť 23
Querela Lazari 32
Hiſtoria de diuite et de egeno Lazaro uerſib. reddita 40
De exemplo emendati Latronis propugnantis gloriã Chriſti in cruce 46
De ſtudijs Theologicis 59
Oratio de artibus liberalibus 72
Sermo de corrigendis aduleſcentiæ ſtudijs 85
Neceſſarias eſſe ad omne ſtudiorũ genꝰ artes dicẽdi 102
De ordine diſcendi 125
De utilitate eloquentiæ 133
De ſtudio linguarum 147
De concordia & communicatione ſtudiorum atq; operarum 159
De ingratitudine Cuculi 167
De gtatitudine 176
De legibus 185
Res non iudicandas ſecundum arbitrium iudicis, ſed ſecundum ſcriptum ius 213
De ſcripto iure & dignitate ueterum interpretum 218
De dignitate legum 225
In laudem artis Medicæ 236
Alia de dignitate Medicinæ 144
Vita Galeni 252
Vita Platonis 263
Vita Ariſtotelis 280

Vita S. Augustini 291
Vita Rodolphi Agricolæ 306
Epicedion Erasmi Roterodami 317
Apotheosis eiusdem 331
Vita Sigismundi Imperatoris 336
De Guelfo Duce Bauariæ 346
De Friderico Barbarossa 363
De Henrico III. Imp. ac Rodolpho Duce Saxoniæ 378
Præfatio in Homerum 385
De Dialectica 407
De dignitate Astrologiæ 413
De Arithmetica 421
Oratio funebris Maximiliani Cæsaris 431
Oratio funebris Friderici Ducis Saxoniæ 443
Oratio funebris Ioannis Ducis Saxoniæ 455
Oratio funebris Doctoris Sebaldi Munsteri 460
De laude uitæ scholasticæ 473
De gradibus scholasticis 483
De utilitate examinum scholasticorum 487
Deploratio captæ & direptæ urbis Romæ 501
De affectatione nouitatis in uestitu 513
Vituperatio ebrietatis 328
Encomium formicarum 540
Encomium Sueuiæ 559
Encomium Franciæ 573
De miserijs pædagogorum 593
De utilitate fabularum 606

PRAEFATIONES.

Præfatio in Hesiodum 613
Item alia in eundem 619

In Demo-

In Demosthenis & Aeschinis contrarias orationes 633
In Ptolemæi magnam compositionem 642
In Arithmeticam 645
In Geometriam 651
In Tabulas resolutas 661
In Sphæram 667
In Theoricas 677
In Alfraganum 688
In Computum 693
In Galenum 698
In Xenophontem 705
In Officia Ciceronis 712
Alia Præfatio in Officia Ciceronis 716
In Danielem 723
In Turcicam historiam 733
In Rodolphum Agricolam 742
In Metricam Iacobi Micylli 747
In Syntaxin 754
In Micylli Grammaticam 762
In Musicam, de passione Christi 766
Alia in Musicam 768
Paraphrasis Præfationis Plinij in historiã mundi 772
Epistola ad Oecolampadium 778
Epistola ad Comitem de Vueda 782
Epistola de Conuentu Augustano 798
Epistola ad Venetos 804
Epistolæ contrarię Pici & Hermolai Barbari 812
Oratio de restituendis scholis 848
Oratio Critiæ cõtra Theramenem ex Xenophonte 860

FINIS.

CLARISSIMO VIRO DOCTORI IACOBO MYLICHIO

nobili Medico & Mathematico,
Nicolaus Getbelius
S. D.



RTOXERXES Rex Persarum, primi Artoxersis qui à manu altera longiusculà μακρόχειρ dictus est, ex filia nepos, uir fuit facilitate morum, & eximia quadã liberalitate celebris, eadem erga eos quibus daret ipse, & à quibus acciperet, mansuetudine atq; beneuolentia: cui nihil unq; tã pusillũ aut contemptũ oblatũ est, quod nõ summo cũ gaudio & clementia Rege digna reciperet. Nam cum illi quidam è plebe malum Punicũ insigni pulchritudine ac magnitudine dono dedisset, incredibile dictu qua illud lętitia, q; suauiter acceperit, quo præconio industriam atq; ingenium hominis collaudarit, testatus, si commodus ei locus tribueretur, facile ingentem urbem ex pusilla facturum. Alius item ἀυτοφυὸς cum uideret neminem non gratulari Regi, se uero in parato nihil, quod tanta maiestate dignum foret, habere, proximum fluuiolum conspicatus, propere accurrit, haustamq; ambabus manibus aquam Artoxerxi adorabundus obtulit. Qua hominis urbanitate & beneficentia excitatus, ilico phialam auream atq; mille Daricos numos tam iucundo donatori reddi iubet. Quod si, Mylichi doctissime, pro malo Punico, pro tantula aqua tan tam gratiam retulit suis Rex magnus, suorumq; animũ ac uoluntatem tam clementer agnouit, quid tibi censes pro tuo munere faciendum esse nobis, quod dona illa

Persica

Persica, quantiuis ea Artoxerxes fecerit, tam superat, q̃ à gemmis marini calculi uincuntur? Quanquam enim aspectu uix aliud quicquam Punicis malis sit iucundius, & iuxta Pindarum ἄριστον τὸ ὕδωρ, tamen Orationes Philippi, quas tu nobis muneri misisti, aliorumq̃ scholæ tuę clarissimorum hominum lucubrationes, longe maiore honore atq̃ gratia dignæ sunt, quod in illis multa præclara ornamenta ingeniorum, atque illud præcipuum τὸ καλὸν καὶ πρέπον, tum etiam singularis illa commendatio uirtutum, quibus in omni uita nostra nihil maius, nihil præstabilius, nihil diuinius esse uidemus, mirifice eluceat. Quę enim in his eloquentia, quis succus, quis sanguis, qui Oratorij nerui, nolo prolixius referre, cum ampliora & magis illustria sint hæc. Tot exhortationes ad uera studia, ad nobiliores disciplinas, ad formanda iuuenum ingenia, ad Christianam uitam recte instituendam, ad instaurandam pietatem, quę tot iam annis à Sophistis & turpissimis sycophantis misere iacuit dilacerata. Hæc inquam, Mylichi, cum elegantissimo muneri tuo insint, atq̃ alia permulta quæ se sponte sua studioso lectori offerent, sæpe mecum diuq̃ cogitaui, quæ dignę tibi pro meritis tuis gratię referri debeant, aut possint. Cum enim neq̃ aureę phialę, neque Darici numi in facultate nostra sint, & præclara illa eruditorũ hominum monumenta precium omne superent, destitutus omnibus uiribus, ad humanitatem tuam atque suauissimos mores confugio, quibus fretus, quicquid uellem licere mihi putaui. Tibi itaq̃ munus tuum dedico, deq̃ alieno liberalis sum, & si alijs multis, potissimum tamen hac ratione permotus, quod sciam Philippum, uirum omnibus honoribus præstantem, adeo tibi charum


charum esse, ut nihil eo sit gratius tibi: uicissim te ab illo tantopere diligi et amari, ut piaculũ esse ducat, si tui quacunq; saltem oblata occasione, non honorifice etiam recordetur. Taceo de alijs harum orationum autoribus, à quibus parimodo officiose obseruaris & coleris. Quanquam etiam tua in me beneficia et merita illud exigant, ut qualicunque beneuolentis animi significatione tester, omnia mihi tua benefacta semper gratissima fuisse. Quoniam autem ut uere dixit Aristoteles, καλαὶ sunt τῶν διδασκάλων παραινέσεις καὶ προτρέψεις, omnino mihi persuadeo, has Illustrium uirorum doctissimas Orationes studiosis gratissimas futuras esse. De tuo enim candore, deq; perpetua in me beneuolentia tua adeo sum certus, ut planè nihil dubitem, quin hoc officio meo tuum erga me atque familiam meam amorem & studium maximopere corroborauerim. Vale Mylichi humanissime, & me, ut facere soles, ama. D. Martinum Lutherum, & Iustum Ionam, uiros immortalitate dignos, meis uerbis reuerenter saluta. Argentorati, Calend. Ianuarij, Anno

1541.



ADHORTATIO

AD CHRISTIANAE DOCTRINAE, PER Paulum proditæ, ſtudium, Phil. Melanch.



Quidem agnoſco, Paulinę philoſophiæ ſtudium uobis commendaturus, rem me conari non paulo maiorem uiribus. Quę eſt enim humana eloquentia, nedum mea, quæ poſſit, uel par eſſe Pauli laudibus explicandis, uel hoc doctrinæ genus adſerere? quod, quantumuis magno Chriſtianæ Reipublicę malo, ſeculorum aliquot faſtidit conſenſus, quem ſi uſquam aliàs, certe in literarum ſtudijs, niſi non dolet dediſcere quod ſemel imbibimus, pertinaciſſime tuemur. Verum cum in pia cauſa nullus ſit non laudandus conatus, non dubitaui audacius fortaſſe quàm prudentius, ſed pie tamen, rem, quamuis impar, egregiam tentare. Nihil ætas, nihil tenuitas noſtra dehortabatur, quando non alius luſus hanc ætatem perinde decet, atque qualecunq; rerum Chriſtianarum rudimentum. Nam quod noluit Chriſtus noſter à ſe pueros arceri, quaſi ſigno ſublato aduleſcentiam ad ſui ſtudium inuitauit. Proinde, niſi nihil huiuſmodi uotis proficitur, optarim mihi non inimitabilem Periclis, aut Lyſiæ eloquentiam: Quorum alterius labra Pitho inſediſſe uetus Comœdia teſtatur: Alterum etiam ille iuxta Apollinis oraculũ ſapiens Socrates admiratus eſt. Sed illum

Peculiare aduleſcentiæ ſtudiũ, Chriſtianæ literæ.

Precatio.

ipsum uere flexanimum Paulinæ linguæ spiritum, diuinitus suppeditari, & orationem nostram animaturũ, & pectora uestra, ad complectendam cœlestem sapientiam, inflammaturum. Quid enim magis conuenit, q̃ de sacris rebus dicturos, diuini numinis opem cœlo deuocare? Vos item mecum communibus optate uotis, ut benignus Dei spiritus radijs suis animos uestros collustret, & ad hoc philosophię genus præparet, quod inaditum esse uiribus humanis, uel hoc indicio est, quod paucis admodum post Paulum contigisse uidemus: recentiores uero Theologos, quos uocant, etiam obscurasse: quod utinam audacius dicerem, quàm uerius. Equidem, ut uelim Paulinam doctrinam non Monachis, aut Theologis tantũ istis scenicis, sed uulgo etiam Christiano familiarissimam esse: ita puto ad formandam uitam, nullam sapiendi rationem accommodatiorem, nullum certius ad fœlicitatem compendium esse.

Θέσις. Doctrina ad instituendam uitã necessaria.

Primum enim ratione quadam & doctrina opus esse, ad instituendam uitam, uel hoc argumento est, q̃ nulla priuatim domus, nulla ciuitas publice, citra legũ usum administrari posse uidetur, ut literas in hoc repertas uerisimile sit, quo præscriptis, adeoq̃ duraturis legibus, paulatim gliscenti hominum cupiditati frenum injceretur. Extant uiuendi formulæ, aliæ diuinitus proditæ,

Hesiodi et Homeri poësis.

aliæ ab ingeniosis hominibus conscriptæ, quale est Hesiodi, item Homeri poema, quales Philosophorũ commentarij, quales plerq̃ nobilium ciuitatum leges sunt, quarum memoria, historiarũ beneficio, ad nostra tempora propagata est. Verum in his diuinæ leges tanto sanctiores sunt humanis, quanto propius effingũt tum autorem, tum archetypum omnium bonarum rerum,

quem

quem non dubium est nusquam certius expressum, q̃ *Leges.*
in ijs literis, quas suis ipse digitis, inæstimanda benignitate, lapideis tabulis insculpsit, præcepitq̃, omnibus postibus, ædium uestibulis, fimbrijs item uestium inscribi, &, scopi uice, ob oculos, interq̃ manus reponi, unde uitæ uniuersæ ratio peteretur. Iam & hoc humanæ leges diuinis scripturis uincuntur, q̃ legibus Euangelicæ litteræ additę sunt, quæ Christum generi mortalium exhibent, qui spiritum impertit, quo humani animi accensi, nihil nõ cœleste, sua ipsi sponte adfectent: Lex enim recti uiam monstrat. Sed honestũ animis humanis ille Christi spiritus absoluit. Adeo plane fieri nequit, ut solis legibus adiutus, uitam probe instituas. Neq̃ enim satis est uidere quid agas, sed refert uel omnium maxime, quæ Euangelij farrago est, scire unde animum petas legibus fauentem, & honesti amantem, nempe, quem à recti amore naturæ genius aduocat. Etenim, si solis legibus humanę mentes ad uirtutem incitabantur, nõ erat, cur aut filius Dei carnem indueret, aut Euangelicæ litęrę proderentur. Quare cum ad componendam uitam, tum legum, tum Euangelij cognitio necessaria sit, cum unicum salutis compendium, sit sacrarum rerum scientia, quin omnes certatim animos diuinis literis despondemus? siquidem sua cuiq̃ salus esse quàm charissima debet. Alia studia, alijs uoluptas, alijs quæstus commendat, hoc uero pijs omnibus instituendę uitę cura, adeoq̃ plusquam Diomedea necessitas. Porro, qui è fictitijs *Euangelium.*

In Theologistas, qui humanas traditiones docent.

Philosophorum, aut Theologistarum cõmentarijs uitę formam peti posse censent, quàm irreuerenter, quàm impie de diuinis literis sentiant, uestrum esto iudicium. Nam si nostris inuentis componi mores humani potestant,

rant, quid erat, cur legem ferret? suisq; describeret articulis, optimus maximus Deus? cur omnibus postibus, limbrijs etiã uestiũ insculpi mandaret? idq; ne rationis nostrę censurã & consilia sectaremur. Nam hoc differte additum est, ne nostras cogitationes sequeremur, ubi satis indicauit cœlestis legumlator, mendacem, uanum, ac futilem esse hominis captum, planeq; regendum, ceu Theseo filo labyrinthum aliquem. Imo, si per sese hominum animi ad uirtutem erigi potuere, quid erat, cur carne Filius Dei, adeoq; æternus sermo, uestiretur? cur in uniuersum orbem terrarum euulgari præciperet Euangelium? cur æternus Pater tam religiose commendaret orbi terrarum filij doctrinam? inquiens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui: Ipsum audite. Cur sacrosanctam philosophiam maximi homines tam studiose literis mandarẽt? Et doctrinam suam cum tanti uelit fieri cœlestis Pater, quid homunculi nostra iactamus somnia? quid ἀλαοσκόπον philosophiam, nugarum regnum, uitæ formam appellamus? Quin uidemus, quàm insanis Philosophi dogmatis cæcitatem suam testati sint, dum in perueſtigandis rerum natura nusquam non hærent, nusquam non hallucinantur, dum de bonorum ac malorum finibus disceptant: ubi hic uoluptatem, ille indolentiam, hic εὐθυμίαν, ille glotiam, Stoicus falso nomine uirtutem, Peripateticus multo ineptius uirtutis usum adserit. Videbat ipse Socrates, non esse certi quicquam in uniuerso philosophiæ genere, cum sapientiam suam uocaret ἀμφισβητήσιμον ὄναρ. At hominum λογολεσχέας etiam diuinis literis nostrorum temporũ Theologi prætulere, quibus debemus, ut nihil hoc tempore

Philosophia regnum nugarum.

Socratis de Philosophia sententia.

pore sint Christianæ literæ, nisi malitiæ quædam fallacis loquelæ, ut ille apud Ciceronem ait. Adeo, quod doctrinæ genus diuinitus ad corrigendas, confirmandas, consolandasq; hominum mentes proditum est, frivolæ, addo etiam indoctę Sophistarum καὶ βέβηλοι κενοφωνίαι magna ex parte extinxere. Vel contemni poterat, si quid uulgarium artium interijsset, uerũ eam disciplinam intercidere, quæ unà est periclitantium animorum portus & asylum, adflictæ conscientiæ solatium, quis non deploret? Et his literis antiquatis, quibus solis muniri Christianæ res solebant, quàm tyrannidem in omnes hominum ordines Satan exerceat sæuiens, etiam dicere horreo. Quondam prudenter in administrandis ciuitatibus cauebatur, ne publicæ leges ignorarentur, nisi quis æneas decem uirorum urbis Romæ tabulas, aut ligneas Athenienſium ἄξονας nescit. Et sapientissimus Rex Minos, Iouis, ut ferunt, ὀαριστὴς, quotannis leges suas æri insculptas ter circumferri per omnem Cretam uoluit, ne non essent & uulgo notissimæ. Quid memorem, quantum operę Philosophi dogmatis suæ quisq; factionis ediscendis impendant? Pudeat Christianos, quibus solis & Dei & Patris, & Seruatoris sui salutaria placita ferè ignorantur. Et qui tot Regis nostri insignibus nobis placemus, lauacro παλιγγενεσίας, item sacro pane, illud ipsum negligimus, per quod unũ proxime ad ipsum accedi potest. Siquidem sermo maximi Patris Christus est. Non alia ratione Christum certius expresserint animi nostri, quàm sacræ doctrinæ studio, in qua illius uelut in speculo relucet imago. Carné æternus Dei Sermo induit, ut & nos significaret diuini sermonis commercio ἀποθεῶσιν. Id quod elegans quidam

Abbonestw.

dam, & pius nascentis Ecclesiæ Theologus testatur, inquiens, nos sermone ueritatis genitos esse, ut essemus primitiæ creaturarum. Quod si Christianarũ mentium aluus est Euangelica doctrina, quæ uesania, quæ impietas est, hominum figmenta præferre? Et in sacris uel maxime necessarij sunt ad formandum animũ, Pauli commentarij. Nam cum alia uolumina leges præscribant, alia rerum gestarum historiam narrent, Paulus noster methodica quadam disputatione eos locos persequitur, citra quos non admodum profuerit leges didicisse. Nec Prophetarum uaticinia, nec Euangelicæ historiæ adiri possunt, nisi huius commentarios, ceu amnem comitem ad mare, methodi uice, sequaris. Nam cum in tractanda hominis natura, tyrannide peccati, legis regno, absolutæ uirtutis origine, ac propagatione, sacramentis, consistat rerum Theologicarũ summa, unicus Paulus hos locos palam ob oculos mortalium posuit. Breuiter, redemptionis nostræ gratiam, adeoq; Christum ipsum ignoraremus, si Paulum orbi terrarũ Deus inuidisset. Neq; enim Christum nouisse, est historiam rerum ab ipso gestarum tenere, sed agnoscere ingentia beneficia, quæ per ipsum in orbem terrarum Opt. Max. Deus effudit, Spiritum scilicet, & absolutæ uirtutis autorem, & arrabonem gratiæ, quem antehac nesciebat mortalitas. Frustra diuinis legibus animum deuoueris, nisi Christum esse, Paulo magistro, scias eum, à quo spiritus petendus sit amans eorum quę lege iubentur: deinde & qui, si quid præter legem, ut imbecillitas humana, deliqueris, ignoscat. Frustra item Euangelicam historiam didiceris, nisi historię scopos & usum, illo monstrante, obseruaueris. Vbi de legis abrogatione, de peccato,

ὑπόθεσις

Farrago Paulinæ doctrinæ.

Fructus Paulinæ doctrinæ.

cato, de carne, de spiritu, de filijs adoptionis, de libertate, de seruitute disserit, quid aliud agit, quàm ut, ceu methodo quadam, uniuersæ scripturæ lumen adferat? Omitto quæ mysteria, quàm sublimia doceat, ubi cœperis in eum attentius oculos defigere. Satis amplum enim fructum feceris, si uel à limine salutaueris. Nam quod ad confirmandas & consolandas conscientias attinet, nemo Paulo, mea quidem sententia, præferendus est. Summa cura esto, ut in hoc discas, quò habeas uitæ formam ac regulam. Etenim si disceptandi & litigandi gratia didiceris, uide quàm facias atrocem sanctissimo uiro iniuriam, qui pacis adsertore, præcone Christi, qui solus uera pax est, tam fœde abuteris. Nam quod quidam Theologica ad scenam, ad uulgi plausum comparant, deplorandum magis quàm insectandũ est. Iam & ex Paulo cognoscere licebit, qui fructus longe pulcherrimus est, inter Christianam doctrinã, & Philosophiam proprie quid interſit: quod ut apprime necessarium est cognoscere, quotquot in philosophicis studijs uersantur, ita neglectum uideo à scholicis Doctoribus in uniuersum: qui è Theologia nobis non aliud fecere, quàm illam Græcię hircissantem anum, Philosophiam. De quo discrimine ipse quidem hoc loco dicerem, nisi dehortaretur argumenti difficultas. Verum, hoc uelim omnibus Christianis mẽtibus persuasum, prorsus aliud esse Christianismum, & uel Philosophiam, uel nostrorum hominum Theologiam. Alia ad uirtutem uia est, alius bonorum finis, alia hominis ἐνθυμία, quam præscribit Paulus, quàm quæ Philosophorum scholis docetur. Miseram Rempub. Christianam, quæ ipsa sui oblita, in alienas scholas detrusa est, imo quæ iuxta scriptu-

Scenici Theologi.

Philosophia γραῦς καὶ πρωῖαι.

ram

ram, contubernio Moabitidum, alienam linguam, oblita patriæ, didicit. Quam calamitatem non uideo cui debeamus, nisi insanis istis Magistris nostris, qui se imperitæ plebeculæ, ementito doctrinę titulo, uenditant. Prætereo q̃ adcurate formet Paulus omnes hominum ordines, Principes, Episcopos, iuuenes, senes, matronas: Nam hæc fortasse cõmunia habet cum alijs sacris scriptoribus. Hanc sibi laudem proprie uindicat, quod gratiæ originem ac propagationem, adeoq̃ peccati & legis uim excusit, quos potissimum locos ab eo requires. Atq̃ hęc omnia, q̃ graui, q̃ dilucida, q̃ eleganti oratione persequitur: Breuiter quidem, sed ita ut nihil desit, ut nusquam non satisfaciat. Periclis orationem aiunt solitam in auditorum animis tenaces quosdam aculeos relinquere: Huius dici non potest, ut flectat, ut uertat, ut rapiat, ut inflammet legentis animum. Dolet conscientia, consolatur: Sollicitat cupiditas genialis, uocat in uiam, retinet ne frena laxes ægrescenti animo, illum ipsum ostentat Christum, qui seruet. Deniq̃ quicquid morborum animum fatigat, ab hoc pete præsentaneum remedium. Neque ulla tam efficax Panacea est, q̃ Paulina oratio, nullum aduersus ueneficia tam salutare Moly, q̃ aduersus animi morbos Pauli doctrina. Platonicum Charmiden morbo, nescio quo, leuaturus Socrates, duplex indicat remedium, & radiculam quandam & incantamentum, censetq̃ parum profuturam radiculam citra incantamentum, seu, ut Platonico utar uerbo, citra epoden. Porro radiculam interpretatur temperantiam: epoden philosophicã doctrinã, sine qua, quamcunq̃ uitæ rationem ineas, incertam & instabilem putat futuram. Quanto amplius precium operæ facturus es, si

Pauli eloquentia.

Epoda Socratica.

es, si morbis animi medicaturus, Pauli doctrina utare, tanto quibusuis epodis efficaciore, quanto diuini spiritus uis, humanis præstat omnibus. Sunt animi morbi, tum carnis cupiditas, tum male conscię mentis pauor, quibus quando nemo, ut Paulus, medetur, non est cur alterius desideres epodas. Nam sæuientem cupiditatem alij per leges cohercere student. Hic Christum illũ nostrum exhibet, qui in hoc carnem induit, ut expiaret. Neq; præcipit modo imperandũ animo, sed eum oftendit, qui uires addat periclitanti. Iam uero uel unum profer qui docuerit, quomodo male conscium mentem, id quod plurimum in rebus Christianis refert, consoleris. Non nego esse locos, quibus adflictam conscientiam cõsoleris & in reliquis scripturæ uoluminibus, sed subobscuros, & quorum nullus usus futurus erat, nisi à Paulo illustrati essent. In humanis doctrinis nego esse inuniuersum, qui sauciæ menti mederi possit. Imò quid agunt aliud scholici doctorculi, quàm ut adflictam conscientiam prorsus excarnificent & enecent? id quod est cernere in formulis casuum, summis, quas uocant, in satisfactionum aduersarijs, & nescio quibus nugis alijs. Sauciant & male sanæ Pontificum constitutiones, ut iures uerius sanguine scriptas Pontificum, quàm Draconis Athenienſis leges. Quod genus doctorum apte uocat Hieremias aspides, quę nullo carmine uinci queant. Quanquam bone Deus, nusquam meliorem nauasse operam sibi scholica Theologia uidetur, q̃ in conscientiæ censura. Proinde iuuenes Christo inaugurati, Paulinæ Philosophiæ animos addicite, nisi non est uobis salus uestra curæ. Hinc formam Christianæ uitæ, hinc animorum solatia, hinc rerum omnium tum diuinarũ,

Paulus unicus male cõsciæ mentis consolator.

Peroratio.

tum humanarum iudicium petite. Etenim iuuentutem in primis refert, nihil antiquius, nihil prius ducere Christiana disciplina, è qua ceu uiaticum fœliciter transigendæ uitæ paret. Neq; enim fieri potest, ut probe instituas uitam, ut fœliciter transigas, nisi Paulinis literis, aduersum insidias pertinacissimorum hostium Satanę & cannis. Reliquas artes omneis uel contemnere licet: Paulina, nisi spem omnem salutis abiecisti, negligi non possunt. Et Episcopos adniti decebat, ut hæc tenerent, non modo qui studiosi uocantur, sed plane uniuersum Christianum uulgus. Decebat Academias nihil maiore cura ac studio docere, q̄ hoc genus pias literas, quas barbara & confusanea disciplina, Philosophiam isti ementito titulo uocant: forensibus item litibus, & sordida quadam Philosophiæ æmula, Theologia, maiores nostri mutarunt, χαλκέαν, si dijs placet, χρυσέαν. Ipse magno animi dolore, nihil aliud uideo Academias esse, quàm templa Tophet, & funestam filiorum Ennon uallem: Nempe, exulantibus Christianis literis. Habuerunt Athenę ex Ariopago, habuit Sparta pædonomos, qui adulescentiam optimis quibusq; modis formabāt: Et hi quanto fœlicius Ethnici iuuentutem erudiere, q̄ nostrorum temporum Academiæ? Quin uosipsi, studiosi iuuenes, rem capessite, fauebit ita conatibus uestris, ut ætati, cœlestis spiritus: & Christum nusquam euidentius expressum, quàm Paulinis literis, assiduo contemplamini. Nullus Deo gratior cultus, nullum magis pium exemplum, quàm in pias literas uelle transformari. Et res ipsa semel tentata, suis uos illecebris ita capiet, ut deserere non libeat. Nam cum per se bonarum rerum cognitio iucunda sit, Christianarum etiam

Academiæ.

salutaris

salutaris est, ut nihil dubitem multis nominibus iucundissimum fore Pauli studium, ubi semel delibaueritis. Fama est, Aegyptios, gentem sine exemplo superstitiosam, nouo quotannis uere legum ac literarum suarum autori Mercurio quondam solenne sacrum feciſſe, multitudinem undiq; confluente publica epulatione, melle ficuq; operatum. Sacri uetustatem titus arguit: Nam & aureo illo, quod uocant, seculo, publica fere conuiuia, sacrificia fuere, & opimæ deorum hostiæ mel ac ficus, quorum usum deinde & in πελάνοις mansisse tradunt. Inter epulandum lætę uoces iactari solitę, & quasi pæan quidam Mercurio cantari, neutiquam inconditũ carmen: γλυκὺ ἡ ἀλήθεια. Qua uoce haud obscure declarauit Aegyptus, quàm grato pectore Mercurij leges & instituta cõplexa fuerit. Eodem pæane magna mihi spes est, Pauli doctrinam uos, ubi degustaueritis, celebraturos. Cui enim iustius, q̃ qui Christiana, eademq; optime & gratiosissime docet, decantari queat hic hymnus: γλυκὺ ἡ ἀλήθεια. Dixi. Dulcis ueritas

ORATIO PHILIPPI MELANCHTHO nis, de amore ueritatis, dicta ab ipso, cum decerneretur gradus Magisterij D. Andreæ Vuinclero Vratisla. & alijs quibusdam bonis & doctis uiris, Anno M. D. XXXV. die April. XIIII.

NOn soleo odiose repugnare amicis: Itaq; modo etiam facile passus sum mihi prouinciam hoc in loco dicendi mandari, & si pleriq; alij collegæ nostri ad dicendum aptiores sunt. Sed cũ collegis nostris libenter morem gessi, quibus cũ uidetis me coniunctissime uiuere. Amo enim eos ex animo, & quia me cum eis Respub. coniunxit, & propter ipsorum egregiam doctrinam, & in omni officij genere diligentiam & uirtutem. Tum uero gratificandum duxi his doctissimis uiris, & huic hospiti, qui cum singulari fide & fœlicitate literas doceat, non deesse ei studia atq; officia nostri ordinis debent. Nam si recte æstimes, amplissime de tota Repub. merentur isti, qui primam ætatẽ recte erudiunt, & ad maximas artes præparant. His igitur ostendere uolui, me & honori ipsorum fauere, & hæc scholarũ testimonia, seu gradus magnifacere. Etenim cũ plurimũ dignitatis sit in his optimis atq; utilissimis artibus, quarum propagatio & defensio collegio nostro commissa est: multum etiam dignitatis in hoc gradu esse iudicandum est, cum in hoc ipso gradu fœdus cum Repub. fiat, in quo hi quibus decernitur, obligant se Reipub. ad docendas optimas artes, & utilissimas humano generi. Hoc fœdere quid potest cogitari honestius aut sanctius, modo

modo ut hi qui aucti sunt hoc honore, magnitudinem muneris sui animo metiantur, & pro uirili tueri studeant? Certe consilium faciendi huius sanctissimi fœderis in hoc gradu, est honestissimum atq; humanissimum. Quare digni odio sunt Cynici illi, qui ut cæteros honestos mores, ita & gradus grauissimo consilio instituros, quiq; obligant homines ad defensionem bonarũ disciplinarum, aspernantur.

Exposui consilium meũ, quare in hanc scenam produci me passus sim. Solet autẽ hic uel de artium dignitate, uel de studijs uirtutis dici. Hic mos cum ualde mihi probetur, sumpsi & ipse argumentum ex eodem genere. Et quoniam constat honestas disciplinas, leges & religiones, uincula esse humanę societatis, facile iudicari potest, maxime necessariam esse ad uitam, omnium bonarũ artium doctrinam. Itaq; de hac parte nõ disputabo prolixius: Nam id quidem persuasissimum esse omnibus debet, & monent idem quotidie doctorum uoces & literę. Dicam igitur de una quadã uirtute pernecessaria his qui in studijs uersantur, uidelicet, de amore ueritatis, seu de odio sophistices. Etenim nulla uox humana satis eloqui potest, quantum referat, hærere in animis infixum ab ineunte ætate acerrimum sophistices odium. De hoc quęso, ut me diligenter audiatis adolescentes, quem iam ætas & magna rerum uarietas erudierunt. Nihil opus est iam dicere, quantum Reipub. cura angat atq; exerceat animum meum. Illud tantum dicam, ut me maiori studio audiatis: uere hoc affirmare possum, me paterno affectu atque amore complecti omnes studiosos, ac uehementer uestris periculis affici. Itaq; quod aliàs sæpe monui, idem nunc quoq;, quoniam

niam in hoc conſeſſu doctiſsimorum hominum, oratio plus habere debet autoritatis, obteſtandos uos eſſe duxi.

Aclonge aliud præcipiam uobis, quàm apud Sophoclem Vlyſſes præcipit Achillis filio adoleſcenti Neoptolemo, cum docet eum mendacijs circumuenire, & fallere amicum, & quidem multis argumentis declarat, hoc artificium uſitatiſsimum eſſe in uitæ negocijs. Cumq; adoleſcens miratur, qua fronte, quo ore mentiri quiſpiam auſit ſciens, reſpondet Vlyſſes, nefarie is quidem, ſed ſignificans quales ſint hominum mores:

Vbicunq; ſpes lucri eſt, pudere non decet.

Atq; utinam hæc Vlyſſea Philoſophia tantum in priuatis & leuibus negocijs exerceretur. Sed experimur eam peruaſiſſe in grauiſsimas Regum deliberationes, in ſcholas, corrumpere artes, & quod eſt præcipue deplorandum, regnare in Eccleſijs, & obruere religionẽ. Quare ſi ſolidam doctrinam & utilem generi humano expetitis, & hoc ueſtrum curriculum Deo placere, & prodeſſe alijs uultis, uehementiſs. odium Sophiſtices animo concipiendum eſt. Atq; hac in re primum quid uocem Sophiſticen, deinde q̃ pernicioſa ſit, conſiderandum erit. Non enim appello Sophiſticen, tantum ridiculas illas cauillationes, quæ pueris tradũtur in Dialecticis, ceratinas, & crocodilinas, & ſimiles. Illa uobis cauenda eſt Sophiſtica, quæ mirificam ſapientiæ ſpeciem præ ſe fert, & in curia, in ſubſellijs, in Eccleſia dominatur. Vbi alios piget inquirere ueritatem, alij explicare commode non norunt, alij per ambitionem de induſtria nebulas offundunt. Et interim magna autoritate inſerunt animis falſas & nocituras opiniones.

Medici

Medici narrant melancholicorum exempla, quorũ alius errore mentis putauit se factum esse gallum gallinaceum: alius sedit in uacuo theatro, somnians se uidere spectacula. His persimiles uidentur plurimi hebetiores, qui leui aliqua cauillatione decepti, amant absurdas opiniones, & quod est miserandum, his ita blanditur error, ut sibi applaudant, se beatos ducant illa insania. Exempla sunt in scholis & in Ecclesijs plurima. Stoici propter leues cauillationes discesserunt à natura, & suam illam ἀπάθειαν ridicule sibi finxerũt. Longius etiam à natura discedit Epicurus, qui prorsus euertit Physica, tollit efficientes & finales causas, & quidem de his inuentis utriq; sibi mirum in modum placent. Quid nunc Anabaptistę, quàm sunt plane τετυφωμένοι ac dementati Sophistica? Sed hos hebetiores omitto.

Alij quidam abundant ingenijs, qui in studijs suis non proponunt sibi hunc finem, ut ueritatem eruant ac patefaciant, sed ut de omnibus rebus prodigiosa uarietate disputent. Et has præstigias summã ingenij laudẽ esse ducunt. Tales fuerunt olim Academici seu Pyrrhonij potius, qui omnia pariter incerta esse cõtendebant, & ne probabilius quidem alio aliud, ac Geometrica principia etiam euertere conabantur, scilicet, ut acuti, ut copiosi uiderentur. Tales sunt apud Platonem Sophistæ Gorgias, Thrasymachus, nec ipse raro ad eundem modum ludit. Hæc ingeniorum licentia plurimum habet periculi. Ea quę amant, amplificant in immensum: quæ non amant, extreme abijciunt: dicunt uicina pro ueris, miscent non cohærentia, distrahunt ea quæ coniungi oportuit, perinde ac si centauros ac chimeras pingerent: nihil proprie, nihil diserte dicũt, ludunt ironijs

& alijs

& alijs delicijs. Videte quibus coloribus nunc ingenioſi homines pingant abuſus Eccleſiaſticos, quibus technis ueras ſententias obtuant. Quàm multa inuenium σοφὰ φάρμακα, ut medeantur abſurdis opinionibus, quoties in eum locum uentum eſt, ubi oportet ſeu perſare dolos, ſeu certæ occumbere morti.

Cum hac Sophiſtica bellum ἄσπονδον debet eſſe omnibus, qui & boni uiri perhiberi uolunt, & ſtudia ſua referunt ad communem utilitatem. Plato grauiſsime dicit, dandam eſſe operam in dicendo, non ut hominũ plauſus captemus, ſed Deo grata dicamus. Quare tota mente, totoq; animo in hunc ſcopum unum inſtueamur, huc directa ſit manus, oculi, cura, ut & eruamus, & q; ſimpliciſsime ac planiſsime patefaciamus ueritatem. Hæc enim & Deo nos cõciliat, & maxime conuenit naturæ, & ſalutem affert Rebuſpub. & Eccleſijs. Nec ulla exiſtimemus officia Deo gratiora eſſe, nihil Reipub. utilius, q; hoc ſtudium explicandæ ueritatis. Rectiſsime enim dictum eſt illud in legibus Platonis; ἀλήθεια πάντων μὲν ἀγαθῶν θεοῖς ἡγεῖτ, πάντων δὲ ἀνθρώποις. Veritas omnium bonorum cauſa eſt dijs & hominibus. Quàm crebro præcipit Chriſtus de colenda & tuenda ueritate: q; ſancte cõmendat nobis eius ſtudium: q; horribiles pœnas etiam proponit his qui ueritatem uiolant: Porro qui amant ſophiſticen, & in cæteris artibus ludere conſueuerunt, ad eundem modum ludunt in doctrina cœleſti. Iam hic remedia quærenda erant, quibus præmunirentur animi cõtra ſophiſticen. Sed me uetus uerſiculus perterrefacit, qui negat remedium eſſe contra Sycophantę motſum. Et ita late graſſatur hæc peſtis, quam uel Sycophanticam, uel Sophiſti-

cam potes

cam potes appellare, ut contagium uix usquam possis effugere: Repugnandum est tamen arte aliqua. Primū ingens odium Sophistices concipiendum est. Deinde uidendum in scholis, in Ecclesijs, in concilijs, qui nam inquirant ueritatem, qui ludant quadam ingenij procacitate, qui defendant priuatas aliquas cupiditates. Atq; hic assumendum est illud Epicharmi, in quo nerui atq; arttus esse sapientiæ dicuntur, μέμνησο ἀπιστεῖν. Non statim assentiendum est, præsertim monstrosis & irreligiosis opinionibus, non est præcipitanda sententia. Tempus adhibendum est in consilium, quod uere est ut ille inquit, sapiētissimus monitor. Deinde sit directa mens ad inquisitionem ueritatis, adhibeat methodum, quæ ut Plato inquit, ignis est cœlo allatus, qui præbeat lumē ad ueritatem cernendam. Coherceat se quisque intra septa methodi, nec temere excurrat in alienos locos. Amet proprietatem in artibus, & sibi subinde illud præceptum utile Stoicorum inculcet: ὁ σοφὸς ἐνθυζῆμωμ ἔσῃ, sapiens proprie loquatur. Magnam uim & hoc habet, multum operæ collocare in ijs artibus, quæ plurimum habent demonstrationum. Nam & Galenus fatetur se penè in amentiam Pyrrhoniorū delapsum esse, nisi in Geometria uidisset tantam esse uim demonstrationum. Neq; hoc eo dico, q̄ putem in diuinis oraculis aut ubiq; requirendas esse demonstrationes: Sed consuetudo methodi prodest studiosis, & format iudicia. Postremo & Rempub. animo intueatur, cōsideret duas esse pestes Ecclesiæ, & Reipub. præcipuas, Tyrannidem & Sophisticen, sed hanc multo nocentiorem Tyrannide. Omnibus seculis Sophistica contaminauit & dissipauit religiones. Et falsas opiniones secutæ sunt factio-

nes, diſſidia, cædes, bella, imperiorum mutationes, in quibus nihil mali non ineſt: Spargit enim Diabolus mendacia tanquam ſemina cæterarum cladium. Quid quod animæ etiam dementatę ruunt in perniciem? Ac dici non poteſt, q̃ facile ſaucientur mentes, quanta prudentia opus ſit, ne à recto curſu depellantur. Chriſtus minatur atrociſsimas pœnas his, qui paruulorum mentes lædunt, & inquit: Vę homini per quem accidit ſcandalum. Hæc periculi magnitudo maxime debet nos excitare, & curam acuere diſcendi, ut uera & utilia Eccleſiæ proponamus: Neq̃ enim ſine maximo ſtudio, ſine multarum rerũ atq̃ artium cognitione, ſine longo uſu formari iudicia de magnis rebus poſſunt. Ac ſemper nobis ipſi ſubijciamus, cum hæc pericula de quibus concionatur Chriſtus, tum etiam q̃ iucunda bonis mentibus ſit ueritas, quantum uitæ præſidium ſit in omnibus negocijs, q̃ digna uirtus bonis uiris, ueritatis amor. Cogitemus Philoſophum eſſe non præſtigiatorem aut Eutybatum aliquem, ſed φιλαλήθη. Sciamus noſtro ordini commendatam eſſe ueritatis defenſionem, expendamus quantum ſit ſcelus, hanc ſtationem, in quam à Repub. collocati ſumus, deſerere. Habent autem interdum illecebras falſæ opiniones, adulantur cupiditatibus noſtris, ambitioni, ſuperſtitioni, aut alijs. Aduerſus has inſidias obfirmandus eſt animus, & illud Euripidis præceptũ tenendum, quod Ariſtoteles proponit his, qui populo concionantur in ciuitatibus: μή μοι τὰ κόμψα λέγε, ἀλλὰ ὧν πόλει δεῖ. Ne plauſibilia dicas, ſed quibus opus habet ciuitas. Hæc inculcate animis optimi adoleſcentes: Nam ſtudia ueſtra non tantũ ad priuatas utilitates ueſtras, ſed ad totam Rempub. ad gloriam Dei, ad Eccle-

ad Ecclesiæ salutem pertinent. Quod cum cogitabitis, maiore cura ad tantarum rerũ defensionem animi erũt instruendi ac præparandi. Atq; has causas in bonis ingenijs plurimum ualere spero, quæ decet profecto maxime & uoluntate Dei, & comminationibus diuinis, & periculis publicis, & ipsa rerum dignitate moueri.

Dixi.

QVAESTIO, QVARE PLATO DIXERIT, optimum esse statum Reipub. eum qui medius est inter Tyrannidem & Democratiam, proportione Geometrica.



Vm publica consuetudo mihi necessitatem hoc in loco dicendi imponat, peto à uobis initio orationis meę, uiri doctissimi, ne me impudentia aut ingenij fiducia has mihi partes sumpsisse existimetis. Nam cũ ea sit ętas mea, ut magis aliquanto q̃ adolescentuli iudicare possim, quæ sit huius amplissimi cœtus autoritas, turpissimũ mihi esset, si parũ uereri uestra iudicia existimaret. Itaq; non meo consilio, sed officio me ad dicendum adductum esse statuetis. Semper enim in omni uita mihi non minor laus est uisa, publicis institutis ac legibus parere, quàm doctrina excellere. Quod cum arbitror uos quoq; uiros optimos & grauissimos sentire, spero uos consilium meum probaturos esse, quod laudatissimæ scholę consuetudini obtemperandum duxi.

Cum autem non possim eloquentia uobis satisfacere, dabo operam, ne cui prolixitas orationis molesta sit. Et ut nouitate tedium aliqua ex parte leuemus, malui quæstionem aliquam agitare, quàm artium encomium recitare, quod eo in genere in hac ingenij imbecillitate nihil reperire potui, quod nō esset uulgatissimum. Disputabo igitur, quare Plato dixerit eum Reipub. statum optimum esse, qui sit inter Tyrannidē & Democratiam medius proportione geometrica. Perliberalis mihi uisa est Platonis sententia, et ad uitam utilissima, quam si sequantur hi qui præsunt, haud dubie beatissimæ erunt ciuitates. Multum etiam Reipub, cōducit priuatos eam tenere, ut suum locum, suum munus ita tueantur, ne, quantum in ipsis est, pulcherrima illa harmonia geometricæ proportionis perturbetur. Quantam autē uim habeat Platonis dictum, in exemplo facilius conspici poterit. In Ecclesia maxime cerni potest, quàm pernicioſus sit uterq; status, Democratia & Tyrannis. Quid enim futurum esset, si uulgo licentia cōcederetur, dogmata, & ritus condendi aut mutandi? Tanta est uulgi stultitia, tam cæci ac uarij impetus, ut infinita barbaries & omnium rerum in Ecclesia confusio futura esset. Vidimus exempla quędā, nec alia res initio Anabaptistarum insaniam confirmauit, nisi hæc in ijs locis, ubi conuenerunt, Democratia, in qua uulgo homines nefarij, seditioſi, cupidi, sparserunt uaria dogmata, alij per ambitionem, alij incitati alijs cupiditatibus, ut pretextu religionis consequerentur potentiam, diriperent locupletum facultates. Nam in uulgo non solum nulla ratio est, nihil consilij, nulla moderatio, sed etiam plurimi sunt improbi, & ut quisq; pessimus, audaciſſimus, ac factioſissimus

tiosissimus est, ita plurimum gratia atq; autoritate in uul
go pollet. Hæc notiora sunt, q̄ ut longa oratione opus
sit. Rursus & Tyrannis pestifera est Ecclesiæ, cum hi qui
dominantur, nō dant operam, ut Christi gloriam ac ue
ritatem reddant illustriorem, nō consulunt saluti Eccle-
się, sed suam autoritatem, suas opes defendere, aut auge
re conantur, ut nunc Pontifices horribili seruitute Eccle
siam opptimunt, nolunt explicari dogmata, Christi do
ctrinam patefieri, sanari errantes aut ambigentes con-
scientias. Relinquitur igitur ut medius quidam Ecclesię
status optandus sit. Sed hęc mediocritas, nisi Geometri
ca proportione constet, statim degenerat uel in Oligar-
chiam, uel in uulgi licentiam. Est autem Platoni propor
tio illa Geometrica, cum non unus aliquis dominatur,
sed gradus fiunt, & delecti optimi ac doctissimi quiq;
plurimum autoritate ualent. Vt si in Ecclesia præcipuas
functiones doctissimi & optimi quiq; teneant, nec ia-
ceant pari seruitute omnes boni oppressi, sed gradus ser
uentur, indocti gubernatores admittant bonorum &
doctorum consilia. Non cōfundantur gradus, sed unus-
quisq; uelut stationem, suum locum tueatur atq; ornet:
eruditi iudicent de doctrina, indocti auscultent atq; ob-
temperent, nec in alienas functiones irrumpant contur
bato ordine. Sicut & Paulus grauissime monet cap. 12.
ad Roman. cum præcipit, ne immodeste de nobis sen-
tiamus, sed unusquisq; pro suo dono modeste seruiat,
suum munus ornet. Hæc est illa diuina proportio, quæ
si esset in Ecclesia & in Repub. uere beati essemus. Hoc
medium inter Tyrannidem & Democratiam cōstituen
dum esse sapientibus gubernatoribus Plato dicit. Sed
quantum ab hac forma distet Ecclesia, non est obscurū:

Nam aut iacet oppressa Tyrannide, aut horribiliter dissipatur ac laceratur à uulgo. Nec falso dixit Plato, proportionem illam difficultet inueniri, ac iudicium de ea non esse hominum, sed Dei, sed tamẽ interdum aliquã eius partẽ rebus humanis contingere, & si quid boni sit in Repub. beneficio huius proportionis existere. Optandum igitur est omnibus, ut Deus aliquando hanc harmoniam in Ecclesia restituat, & nos qui in studijs uersamur, demus operam, ut munus commissum ornemus, ut ad docendum & iudicandum ueniamus bene meditati ac parati, ut dextre, proprie, & sine confusione dogmata explicare possimus. Assuefaciamus nos ad modestiam, fugiamus πολυπραγμοσύνην, & petulantiam. Hoc modo nostri ordinis seu gradus harmonia correcta, plurimum Ecclesiæ boni afferet. Hęc dixi, ut Platonis sententiam interpretarer, quæ ad illustre translata exemplum, fit magis perspicua. Et præstandum nobis est, ut nõ solum intelligamus erudite dicta summorum hominum, sed etiam ut ad nostrum usum acuitam accommodemus, & extra scholam, ex puluere in solem, & uelut in aciem proferamus. Monet autẽ nos hæc sententia de maximis rebus, uidelicet, qui debeant esse gradus in Rebuspub. & ne harmonia illa turbetur, suum cuiq; munus diligenter obeundum esse: & quoniã unũ quoddam systema est, attemperare unusquisq; suã harmoniam ad aliarũ uocũ proportionẽ, hoc est, ad aliorũ utilitatẽ & mutuam concordiã debet. Quantã hęc uim habeant, in Ecclesię exemplo facile conspici potest. Reliquę sunt multę & graues disputatiões in hoc loco Platonis, quas omitto, & totã hanc causam diligentius explicandã doctissimo uiro D. Decano cõmendo. Dixi.

Oratio

ORATIO PHILIPPI MELANCHTHONIS, pronunciata, cum decerneretur gradus Magisterij quibusdam doctis & honestis iuuenibus.



Pero mores meos ita uobis omnibus inspectos & notos esse, ut facile persuadere possim, me non impudentia, aut fiducia ingenij, aut πολυπραγμοσύνῃ aliqua has mihi dicendi partes iterũ sumpsisse. Nam cum mandaret eas mihi uir optimus Iacobus Milichius Decanus Collegij nostri, qui propter egregiam uirtutẽ ac studiorum & plurimorum officiorum societatem, mihi charissimus est, mouebar quadam officij ratione, ut morem gerẽdum esse amici uoluntati existimarem. Neq; ego sum adeo Suffenus, aut ridicule mihi placeo, ut ignorẽ plerosq; alios in hac schola esse, & natura magis idoneos, & doctrina melius instructos ad dicendũ, quàm ego sum, quibus profecto laudem ingenij & eruditionis largiter tribuo. Sed nolui uideri morosior in recusando, cum hanc operam à me homo amicissimus flagitaret. Verum nolo uti longiore excusatione: Nam opinor mores meos satis probatos uobis esse. Et hæc sunt præcipue ex eo genere, in quo ualet uersiculus:

βόπος ἐσθ' ὁ πάθων τὸ λέγοντος, οὐ λόγος.

qui ait, mores dicentis persuadere, non orationem. Est autem optimo consilio institutum, ut in his pompis, aut de studijs, aut de laude uirtutum dicatur. Quare ut argumentum cõueniens huic loco afferrem, & aliquid de dignitate & utilitate harũ artium, quas Philosophia

profitetur

profitetur, dicerem, instituí orationem, in qua ostenderem, Ecclesiæ opus esse liberali eruditione, & non tantum cognitione Grammatices, sed etiam aliarum multarum artium, & Philosophiæ scientia. Quod cum ita esse statuemus, & si aliæ causę ad dicendum inuitant, tamen bonę mentes in hunc finem præcipue, & acerrime intueri debent, ut studia ad iuuandam & ornandam Ecclesiam referant: nihil enim bonis dulcius Ecclesiæ nomine, nihil ea carius esse debet. Hæc causa maxime hortari & excitare nos debet, ut summa cõtentione animorum expetamus perfectam doctrinam, ex qua ad Rempub. & ad Ecclesiam utilitas aliqua peruenire possit. Nec uero nobis præceptoribus dignior est oratio de ulla re alia, nec bonis & studiosis quicquam utilius est, quàm animo finem, & quasi metam honestissimi cursus prospicere, ad quam referre sua studia debent.

Ad hæc artium ipsarum dignitas & uis non alibi magis conspici potest, quàm si uideamus, quantum opus sit illis in Ecclesia, quantis tenebris obruat insciția religionem, quantam uastitatem, quàm horribiles dissipationes Ecclesiarũ, quantam barbariem, & confusionem totius humani generis pariat. Hæc si quis considerabit, ita demum existimare poterit, quanta sit artium ac doctrinæ uis & magnitudo.

Etsi autem nulla oratio par tantis rebus excogitari potest, tamen cum ab imperitis sæpe ferantur de hac re prauæ opiniones, adolescentes monendi & præmuniendi sunt: quod quanquam in scholis fit à præceptoribus quotidie, tamen oratio, quæ hoc loco habetur publico nomine, plus autoritatis habere debet. Est enim omnium doctissimorum uirorum in hoc consessu communis

munis sententia, quam contemnere profecto fuerit arrogantissimum. Quare cum & necessaria Reipub. & uobis salutaria dicam, & hæc mea uox cómunem omniũ uobis sententiam exponat, peto ut me pro uestra humanitate diligenter audiatis, & admoniti, non tantũ sicut Vlysis socij Sirenas obstructis auribus præteruecti sunt, ita uos eorum inepta iudicia, qui non putant Ecclesiæ admodum opus esse liberali eruditione fugiatis, sed illos ipsos tanq; teterrimas pestes & dira portenta execremini. Deinde acuat & excitet discendi curam, quod studia uestra ad Ecclesiam, ad Rempub. pertinent, nec tantum ex illis priuata utilitas & uoluptas petitur.

Primum enim omnino ilias malorum est inerudita Theologia. Est enim confusanea doctrina, in qua magnæ res non explicantur disserte, miscentur ea quę oportebat seiungi, rursus illa quæ natura coniungi postulat, distrahuntur: Sæpe pugnantia dicũtur, uicina arripiuntur pro ueris ac proprijs. Postremo tota doctrina monstrosa est, & similis illi picturæ apud Horatium:

Humano capiti ceruicem pictor equinam
Iungere si uelit, & uarias inducere plumas.

Nihil in ea cohęret, non initia, non progressiones, non exitus cerni possunt. Talis doctrina nõ potest nõ gignere infinitos errores, infinitam dissipationẽ, quia in tanta confusione alius aliud intelligit, & dum suum quisq; somnium defendit, existunt certamina, & dissensiones. Interim conscientię relinquuntur ambigentes. Et quia nullæ Eryннes uehementius cruciant animũ, q̃ hæc dubitatio de religione, tandẽ odio quodam abijcitur uniuersa religio, & fiunt mentes prophanæ & Epicureę.

Cum igitur tantum habeat mali inerudita Theolo-

gia, facile iudicari poteſt, Eccleſiæ opus eſſe multis magnis artibus. Nam ad iudicandum, & ad recte & dilucide explicandas res intricatas & obſcuras, non ſatis eſt noſſe hæc uulgaria præcepta Grammatices & Dialecticæs, ſed opus eſt multiplici doctrina: Multa enim aſſumenda ſunt ex Phyſicis, multa ex Philoſophia morali conferenda ſunt ad doctrinam Chriſtianam.

Deinde duæ res ſunt, ad quas comparandas opus eſt magna & uaria doctrina, & longa exercitatione in multis artibus, uidelicet, methodus, & forma orationis. Nemo enim fieri artifex methodi poteſt, niſi bene & rite aſſuefactus in Philoſophia, & quidem in hoc uno genere Philoſophiæ, quod alienum eſt à Sophiſtica, quod ueritatem ordine, & recta uia inquirit & patefacit. Qui in eo ſtudio bene aſſuefacti, ἕξιν ſibi parauerunt, reuocandi omnia ad methodum, quæ intelligere aut tradere alijs cupiunt, hi norunt etiam in diſputationibus religionis informare methodos, euoluere intricata, diſſipata contrahere, obſcuris & ambiguis addere lumen.

Magna & copioſa doctrina ad alteram rem, ſcilicet, ad formandam orationem opus eſt, ut norunt omnes uel mediocriter uerſati in literis. Sed ut hanc ἕξιν methodi informandæ nobis comparemus, non minore ſtudio opus eſt. Nec poteſt hæc contingere ijs, qui non aſſuefiunt in pluribus Philoſophiæ partibus, in quibus qui non exercentur, etiamſi attigerunt Dialecticam, tamen tantum umbram quandam methodi conſequuntur. Nec alij ſæpius uitioſa & Sophiſtica colligunt, q̃ iſti. Cumq; ſe artifices methodi eſſe putent, tamen uia deerrant, & ſunt, ut Homerico uerbo utar, ἀλαόσκοποι. Porro non tantum propter methodum, ſeu ut Plato uocat,

cat ἀνάγκην λογογραφικὴν, opus est Philosophia, Sed ut ante dixi, etiam multa assumenda sunt Theologo ex Physicis, ubi ea est singularum partium ratio, ut his, qui solidam doctrinã expetunt, non satis sit pauca quędam excerpere, sed ars integra, quantum fieri potest, cognoscenda est. Magno instrumento destitutus est Theologus, qui nescit illas eruditissimas disputationes, de anima, de sensibus, de causis appetitionum & affectuum, de noticia, de uoluntate. Et arroganter faciet, qui se profitetur Dialecticum, si nescit illas causarum partitiones, quæ traduntur tantũ in Physicis, & intelligi nõ possunt nisi à Physicis. Omnino est orbis quidam artium, quo inter se deuinctæ copulatæq; sunt omnes, ut ad singulas percipiendas, multa ex alijs assumi oporteat: Quare Ecclesiæ opus est toto illo doctrinarum orbe.

Non opinor qnenquam adeo insulsum esse, ut non animaduertat, eos qui instructi sunt Philosophia morali, multas partes doctrinæ Christianæ fœlicius tractare posse. Nam cum multa sint similia, de legibus, deq; politicis moribus, contractibus, & multis uitę officijs, adiuuamur, non solũ ordine ac methodo in Philosophia, sed etiam rebus ipsis diligenter perceptis: Et si qua sunt dissimilia, multum lucis adfert collatio. Porro ut claudus pilam tenet, ita Philosophiam moralem tractat is, quem Physica destituunt. Iam historię, temporum exacta supputatio, requirunt Mathematicen. Sed & hæc pars cum Physicis coniungenda est. Inde enim uelut ex fonte pleraq; in Physicis oriuntur. Et barbaries quædam est, ut nihil aliud dicam, contemnere illas pulcherrimas artes, de motibus syderum, quæ nobis annos, & temporum discrimina conficiunt, & multas res ma-

ximas uenturas denunciant, nosq; utiliter monent.

Nec ego ignoro aliud doctrinæ genus esse Philosophiam, aliud Theologiam. Nec ego illa ita misceri uolo, ut confundit multa iura coquus, sed adiuuari Theologum uolo in œconomia methodi. Multa etiam mutuari eum ex Philosophia necesse erit. Si quis huic orationi non habet fidem, is consideret indoctorum Theologiam, & apud se reputet, an expedire existimet orbi terrarum talem confusaneam Sophisticam, ambiguam Theologiam inuehi in Ecclesiam. Et indoctos uoco nō solum rudes literarum, ut sunt Anabaptistæ, sed etiam illos ineptos, qui cum magnifice declamitent, tamen certi nihil dicunt, & quia ad methodum nō sunt assuefacti, & quia fontes rerum nō satis tenent, propterea quia cum in Philosophia non sint instituti, non satis uideant aut quid Theologia profiteatur, aut quatenus cum Philosophia consentiat.

Nihil opus est hic ueteres illos recensere, qui doctrinam Christianam insulsissimis argutijs penitus obruerunt. Eruditam Philosophiam requiro, non illas cauillationes, quibus nullę res subsunt. Ideo dixi unū quoddam Philosophiæ genus eligendum esse, quod q̄ minimum habeat Sophistices, & iustam methodū retineat: Talis est Aristotelis doctrina. Sed huic tamen aliunde addenda est illa præstantissima Philosophiæ pars, de motibus cœlestibus. Nam reliquæ sectæ plenę sunt Sophistices, & absurdarum & falsarum opinionum, quæ etiam moribus nocent. Nam illę hyperbolę Stoicorum sunt omnino Sophisticæ, bonam ualetudinem, opes, & similia non esse bona. Comentitia est & ἀπάθεια, falsa & pernicioſa opinio de fato. Epicurus non Philoso-

phatur,

phatur, sed scurratur, cum affirmat omnia casu extitisse: tollit primam causam, & dissentit in totum à uera Physicorum doctrina. Fugienda est & Academia, quæ non seruat methodum, & sumit sibi licentiam immoderatã omnia euertendi: quod qui facere studeant, hos necesse est multa Sophistice colligere. Quanquã is qui ducem Aristotelem præcipue sequitur, & unam quandam simplicem ac minime Sophisticam doctrinam expetit, interdum & ab alijs autoribus sumere aliquid potest. Vt enim Musæ cum cantu certassent cum Sirenibus, easq; uicissent, ex pennis earum coronas sibi fecerunt, ita & in sectis, & si una maxime probanda est, tamen interdũ ex alijs aliquid ueri decerpamus, quo nostra sententia ornetur.

Sed de genere Philosophiæ & sectarum discrimine aliàs dicendum erit. Mihi ad mores etiam conducere uidetur, eligere sectam, quæ studium habeat non rixandi, sed inquirendæ ueritatis, deinde quæ amet moderatas opiniones, non captet plausus indoctorum, præstigijs disputationum & absurdis sententijs. Harum rerũ consuetudo pessima est, & qui eam ad sacras literas affe runt, ibi uero ingentes procellas cient. At hæc simplex Philosophia, de qua dico, primum hoc studium habet, ne quid affirmet sine demonstratione, ita facile effugiet absurdas opiniones, quia hæ non habent demonstrationes, sed tantum præstigijs Sophisticis defendentur. Postremo in uniuersum propter hanc causam etiã conducit Ecclesiæ eruditio, quia indocti sunt & audaciores & negligentiores. Doctrina frenum injcit, & ad diligentiam assuefacit. Multa enim eruditis in mentem ueniunt, quæ sunt uicina illi causæ, de qua est pronuncian

dum: uident quàm facile fit labi ac decipi, & in alijs artibus assuefacti sunt ad quærendos fontes negociorum, ad explicanda illa quæ uidentur obstare. Et abeunt studia in mores, quare hæc ipsa diligentia, quæ in inquisitione ponitur, gignit modestiam. Porro audacia cum negligentia cõiuncta, quantũ afferat periculi, omnium ætatum exempla in omnibus ciuitatibus & in ipsa Ecclesia ostendunt, quæ ab indoctis temere ruentibus, & antea sæpe dilacerata est, & hoc tempore crudeliter dilaceratur.

Itaq; uos, optimi auditores, primum adhortor, ut cogitetis studia uestra uere ad Rempub. & Ecclesiam pertinere: Nam doctrinæ puritas & concordia, salutem & concordiam hominum, ac præcipue Ecclesiæ conseruat. Deinde uos propter gloriam Dei, quam anteferre omnibus rebus debemus, deinde propter Ecclesiæ salutem, quæ nobis debet esse charissima, obtestor, ut has optimas disciplinas, quas Philosophia continet, conseruandas esse statuatis, & in eas maiore studio incumbatis, ut solidam doctrinam uobis, & utilem humano generi comparetis. Epaminondas interrogatus quid ei in uita iucundissimum accidisset: respondit, Inde se maximam uoluptatem cepisse, quod ciuis parentibus liberasset seruitute patriam, uictis ingenti prælio Lacedæmonijs. Testatus est enim utrunq; sibi maximam uoluptatem attulisse, patriæ salutem, & parentum læticiam, quam illis attulisset filij uictoris uirtus & gloria. Vtinã sic erga Ecclesiam affecti simus, ut hanc summam uoluptatem ducamus, uidere florentem & tranquillam Ecclesiam, quæ uerius est patria, quàm illud solum, illi penates, qui nos excepturi nascentes, & præstare,

ut Eccle-

ut Ecclesia, hoc est, cœlestes Angeli, & uniuersus cœtus piorum, quem ut parentes uereri & amare decet, ex nostris benefactis solidam uoluptatem capiant. Econtra nullos cruciatus acerbiores esse statuamus, quàm uidere Ecclesiam dissipatam, & quidem nostris cupiditatibus coniectos Angelos, & cœtum piorum in luctum ac dolorem. Non dico hic de præmijs, decet enim nos uirtute ipsa moueri, debent apud nos ualere Ecclesiæ caritas, & ratio officij, quod Deo debetur. Sed tamen non defutura sunt etiam prȩmia recte discentibus: Deus enim inquit: Glorificantes me glorificabo. Et si sumus Christiani, hac spe officium nostrum facere debemus, ut sentiamus nos Deo curæ esse, ne egeamus nos & liberi nostri. Imo scitote nostra causa, non Tyrannorum, non eorum qui pia studia oderunt, hanc totam rerum naturam à Deo conseruari, solem oriri, efficere temporum uicissitudines, ut agri fiant fœcundi. Recte hoc Stoici, Omnia esse Dei: Philosophos autem esse amicos Dei: Quare omnia etiam sunt Philosophorũ. Itaq; ingenti animo hæc studia literarum & defendamus, & in hac statione diuinitus collocatos nos esse iudicemus, eamq; ob causam & maiore cura faciamus officium, & nostri laboris prȩmia à Deo expectemus.

Dixi.

Querela

QVERELA LAZARI, PRONVNCIAta à quodam Scholastico Viteberge.

RErgrata nobis hæc dicendi cõsuetudo esse debet, nõ tantum eo quod Latinę linguę exercitium conseruat, propter quod præcipue instituta est, sed etiam quia nobis quidem adolescentibus hic locus imago quædam est Curię, aut Synodi. Hic enim de Repub. de imperijs, de Ecclesia, multa monemus auditores: Sæpe querelas nostras exponimus, sæpe sententias dicimus, perinde ac si in senatu, aut in consessu Synodi oratio haberetur. Ac magnam gratiam Academię debemus, quę etiamsi petulantiam, ac maledicẽtiam lege prohibuit, tamẽ honestam & piam dicendi libertatem nobis concedit, fortasse maiorem, quàm haberet Synodus ulla Pontificum. Vt Poetæ finxerunt Astream fugientem ex urbibus, paulisper adhuc in rure commoratam & conditionatam esse agricolis: ita pulsa ueritas ex Pontificum collegijs & concilijs, nobiscũ adhuc Dei beneficio philosophatur. Et ex his scholasticis cœtibus eius oracula ad aliquas Ecclesias perferuntur. Sed cum hic sæpe aliæ causæ pertinentes ad communem salutẽ actæ sint, nunc nostram causam agam: Deplorabo nostras miserias, & omnes gubernatores Reipub. de suo officio admonebo, quod nobis, quod Ecclesiæ, in hoc negocio debent. Christus narrat fuisse diuitem quendã, fortasis etiam dignitate prẽstantem, qui non tantum sine metu egestatis, sine sollicitudine suauiter uixerit, sed etiam splendorem amauerit in omni apparatu, comitatu, ædificijs,

quo ho-

quo homines opulenti dignitatẽ augeri putant. In hoc diuitias, tranquillitatem, ac uoluptates, ut fit, ſecutus eſt faſtus, & negle&io rerum diuinarũ, ac pauperum. Quare cum ante ædes eius quiſpiam pauper, cui Lazaro nomen fuit, iaceret, ægrotus, ſqualens ulceribus, deſtitutus omnium hominum ope, peteretq; pauxillum cibi, diues ſua fortuna ebrius, & oblitus cœleſtis mandati & cõmunis naturæ, quę nos ad certa officia obligat præſtanda calamitoſis, miſerum illum negligit. Cumq; quotidie ad ueſtibulum iacentem, in magnis cruciatibus uideret, prętereũt tamen ferreo animo, non ali, non ſanari curat, fortaſsis etiam arbitratur alienum eſſe grauitate uiri tanti, alloqui miſerum, aut eius cauſa angi. Interea ſtipem porrigunt aliqui de populo homines pij, & ulcera canes medicantur, lingua detergunt ac mitigant. Sed poſt mortem Lazarus donatur cœleſtibus donis, Diues ille ſuperbus & crudelis abijcitur in cruciatus ęternos. Hanc hiſtoriam recitat Chriſtus, ut exemplũ uniuerſæ Eccleſię omnium temporum proponat. Lazarus erat Ieremias ſua ætate, quem Principes ac Pontifices non modo ſuperbe contemnebant, ſed etiam acerbe oderant. Lazari erant Apoſtoli, quos toto orbe terrarũ omnes potentes tanquam καθάρματα execrabantur. Quærendum igitur & hoc tempore qui referant Lazarum, qui imitentur diuitem. Si uere hoc & ſimpliciter dicendum eſt: Nos inopes Scholaſtici, deinde omnes Sacerdotes, qui uulgo inuiſi ac ſpreti, cum alijs ęrumnis conficiuntur, tum uero cum uxoribus & paruis liberis fame contabeſcunt, Lazari ſunt. Horum cœtum animis atq; oculis proponite: Nos, inquam, inopes Scholaſticos, & illos miſeros Sacerdotes cum ſuis familijs. Quis

est tam ferreo pectore, qui sine lachrymis hunc cœtum aspicere, aut cogitare animo potest, cum quidem nulli in uita munus administrét præstantius ac cœlestius: nulla militia Deo gratior, ac Ecclesiæ magis necessaria est: Econtra imitatores illius opulenti, qui sunt præcipue: Pontifices, Episcopi, Canonici, Monachi, & horum satellites Tyranni. Hoc agmen totum animis intuemini, & cogitate ab Ecclesia ingentes ac regias opes Episcopis & collegijs eorum commendatas esse, quibus alendi erant pastores pij, ac Scholastici, quæ ad piæ doctrinæ & earum artium, quę Ecclesiæ sunt ornamento, conseruationem conferendæ erant. His illi ignaui uentres, Sardanapali, parricidæ suauissime in ocio & tranquillitate fruuntur. Ac non modo nos defraudant illo munere, quod nobis Ecclesia attribuit, sed etiam Tyrannico fastu nos contemnunt, & summa odij acerbitate aduersus nos inflammati sunt, trucidare ac delere nos conantur. An non superant etiam illum diuitem, qui tamen Lazaro lucis usuram non eripiebat, qui locum ad uestibulum concedebat. Deinde dives suo patrimonio fruebatur: Episcopi, Canonici, & Monachi, aliena interuertunt, eaq; turpissime per luxum & libidines dissipant, ac profundunt, non secus ac sponsi Penelopes Vlyssis facultates dilacerabant. Nec ego nunc de singulorum moribus dicam. Sunt inter Canonicos aliqui modestis ingenijs præditi, sed genus uitæ reprehendo. Prodigiosum est in Ecclesia esse sodalitia, regijs opibus donata ad hoc, ut ibi homines ociosi saginentur. Hæc sodalitia etiamsi ueterem disciplinam reuocarent, tamen Ecclesia tolerare non debet: Non enim de moribus præcipua est querela. Illud queritur Lazarus, totum illud uitæ ge-

nus

nus contaminatum esse idolatria, ac propter hanc negligi pios Scholasticos, ac pastores Ecclesiarum, debitasq; illis mercedes in istis sumptuosis sodalitijs deuorari, deleri studia doctrinę Christianę, ac aliarum literarum. Non compono satyram, non commemorabo eorum flagitia, quæ uerecunde nominari non possunt: Nam modesta ingenia non tantum in moribus, sed etiam in sermone obscœnitatem fugere decet. Nihil dicam de cœnis Tyberianis quorundam, qui nudas puellas saltare ad epulas iubent. Multa prodigiosa prętereo. Ac ne fieri quidem potest, quin ocium, opulentia, insciatia, contemptus religionis, pariant omnis generis uitia. Maxima pars tantum gulæ & obscœnis uoluptatibus dedita est: alij magis strenui, & occupati negocijs politicis, aut œconomicis, alunt equos, certant sumptu & splendore cum satrapis: quidam etiam non abhorrent à literis, non ut Ecclesiæ seruiant, sed ut aditum habeant ad dignitatem in aulis, inter proceres: nonnulli eruditionem conferunt ad perniciem Ecclesię. Certe isti generi hominum ac ordini, non est curæ ministerium Euangelij, nec pastores quęrunt idoneos, nec discentes adiuuant, nec ad hunc usum decidi & abradi aliquid de suis facultatibus patiuntur: deniq; conspirarunt ad delendam doctrinam Christianam, accendunt Regum crudelitatem, ac postea se nominant Ecclesiæ gubernatores: imo cõstat omnes sic adfectos esse, potius ut malint nomen Christianũ funditus deleri, quàm aliquid de tyrannide remittere. Et literas omnes oderunt hanc unam ob causam, q̃ suspicantur literatis tyrannidem displicere. Quàm multæ sunt autem in Prophetis concionesacerrimæ, quę proprie tale uitæ genus uituperãt.

Meminiſtis Eſaiam, qui inquit: Væ uobis qui mane ad conuiuia ſurgitis, nec opus diuinum reſpicitis. Et Ezechiel: Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ ſororis tuæ, ſuperbia, ſaturitas panis, ocium, & manum egenti nō porrigebant. Nullum autem hodie genus hominū duriore fortuna conflictatur, q̄ paſtores Eccleſiarum, & Scholaſtici amantes doctrinæ Chriſtianæ. Similis concio eſt apud Zachariam: Ecce paſtor erit, qui deſeret gregem, & carnes pinguium comedet. O paſtor & Idolum. Sed has Propheticas & cœleſtes cōminationes ſecuriſſime deridentilli Sibaritæ. Verum eſt enim quod Cato dicebat: Venter caret auribus. Nec tamen interea prorſus extingui cœleſtem doctrinam Chriſtus patitur, ſed habet ipſe quoq; ſuum cœtum pauperum, qui Euangelium & diſcunt, & propagare ſtudent. Aduerſus hos etiamſi omne genus crudelitatis exercent diuites illi, qui tenent Eccleſiæ opes, tamen eis non deeſt hoſpitium, & uel canes, id eſt, de populo aliqui, eos complectuntur, adiuuant, lenire ęrumnas cupiunt. Habent & cuſtodes Angelos, qui uiuentibus & morientibus adſunt. Hæc affirmant oracula cœleſtia, & comprobant ipſi euentus: Seruat enim Deus ſuam Eccleſiam, frementibus illis hypocritis, qui ſanguinem piorum exorbere cupiunt. Sed non tantum inſtitui querelam, præſertim cum hęc uulnera Eccleſię nemo non deploret: Remedia quęrenda ſunt. Quę utinam ſalubria & ἀνώδυνα monſtrare poſſem. Sed uere inquit Demoſthenes: Reprehendere quilibet poteſt, dare conſilium pauci poſſunt. Cum autem hęc Scholaſtica conſuetudo, ut initio dixi, concedat nobis, ut de Eccleſia, tanquam in Synodo, ſententias dicamus, monſtrabo, ut uocat Demoſthenes, τὴν ἐναντίαν

καὶ δικαίαν ψῆφον: Nec si in Synodo in suffragium eun dum erit, aliam sententiam dicam. Bona ingenia ad hortor, ut deserant illa impia sodalicia, polluta idola tria, sicut præcipit Deus: Fugite idolatriam. Deinde hoc addo, Reges & Principes debere hęc officia Deo, ut im pios cultus tollant, ad pios usus, ad alendos pastores, ac Scholasticos, transferant facultates Ecclesiarũ. Hanc sententiam non ipse nunc fingo, diuinitus tradita est in sacris literis, & multa habet luculenta Principum & Sy nodorum testimonia, quæ uetant res donatas Ecclesię, ab ociosis & ignauis deuorari, qui non sunt usui Eccle siæ. Extat lex Theodosij in Codice, quæ diserte prohi bet, ne fruantur reditibus hi, qui cum titulos functionũ Ecclesiasticarum habeant, officium non faciunt. Tule rat legem Theodosius, ut facultates Ecclesiasticæ, quas Donatistæ tenebant, transferrentur ad pias Ecclesias. Nouum exemplum odiose calumniabantur Donati stæ, uociferabantur alienum esse à pietate, facultates aliorum appetere, propter certamina de doctrina nemi ni facultates eripiendas esse. Sed Augustinus Theodo sij decretum recte defendit, affirmat illas possessiones donatas fuisse Ecclesijs pijs, & ad piæ doctrinæ conser uationem. Has cum impij ac hostes ueræ doctrinę tene rent, fuit Imperatoris officium, dominis restituere, hoc est, ueræ Ecclesiæ. Nec magis licet Idolatricis collegijs huius ætatis, res donatas ad ministerij Euangelici con seruationẽ tenere, quàm Regi Babylonio licuit in con uiuium proferre sacra uasa templi Hierosolymorum. Quid horum in quæstionem uocari potest? Si Episco pi tuentur impios cultus, si ueram doctrinã opprimunt, ut palam faciunt, falso titulum usurpant Ecclesiæ. Ac

Regum officium est, facultates Ecclesiasticas transferre ad cœlestis doctrinæ præcones, ad eos qui gloriam Dei uere ornare studeant. Vtinam Principes intelligerent, hanc rem ad officium suum pertinere, quorum præcipuum est munus, religionem ornare, defendere Ecclesiam. Hæc sunt uere heroica, propter quæ Deus impertit societatẽ nominis sui bonis Principibus, ut ait: Ego dixi Dij estis. hoc est, tes diuinas custodientes, Euangelium, pios cultus defendentes, gloriam Dei, aduersus Diabolum, qui spargit impias opiniones, qui incendit tyrannos ad exercendam sæuitiam. Non tantum corporibus nostris seruit Magistratus, sed multo magis glorię Dei. Quod si essent alicubi, qui palam Epicureas opiniones profiterentur, an non Magistratũ oportuit summa sæueritate in tales animaduertere? Non est contemnendum præceptum, quod inquit: Blasphemus morte moriatur. Et rursus: Non usurpabis nomen Dei uane. Harum legum custos cum sit Magistratus, haud dubie abolere impios cultus debet, restituere pios, & ministris Euangelij stipendia dare, quæ ipsis in Ecclesia constituta sunt. Nec putent se leuiter peccare Principes, si id officium negligant: Nam apud Esaiam uocantur nutritores Ecclesiæ. Et Aggeus ac Malachias sæuere obiurgant populum non soluentem pensiones debitas templo, ac Sacerdotibus: & minantur sterilitatem, ac famem, nisi liberalius soluant. Cum igitur iniuste teneant hæc stipendia Episcopi, Canonici, & Monachi, cum pastores pios, & horum coniuges & liberos fame perire sinant, cum defraudent Scholasticos, cum studia deleant, Deus postulat, ut Principes ueræ Ecclesię & studiorum curam suscipiant, & illas pestes Ecclesiæ remo-

ueant

ueant ab administratione. Prospicere debent Principes, & ut in præsentia alantur boni pastores, & ut posteritas habeat eruditos uiros, idoneos ad Ecclesias regendas. Historiæ ueteres commemorant, mitificum fuisse luxum Sibaritarum, qui quidem ita creuerat, ut præmia etiam turpitudini, & inuentoribus nouarum uoluptatum constituta essent. Sed tantam disciplinę corruptionem Deus non diu tolerauit. Itaq; exitium ciuitatis uastia prodigia denunciarunt. In his spectrum fuit: Iuno ueniens in forum clara luce, & uomens magnā copiam bilis & sanguinis, quo prodigio significatum est fore, ut breui ciuitas euomeret suas delicias, & sanguinem bonorum, quos tyranni iniuste trucidauerant, Paulo post Sibaris deleta est. Ita euoment tandem Episcopi, qui nunc Sibaritarum more uiuunt, rapinas & sanguinem piorum Sacerdotum. Monachus quidam in concione publica, audiente Imperatore Carolo, dixit, Deum non futurum propicium, nisi totum cubitum lauet in sanguine Lutherano. Perhorresco referens hanc uocem audītu crudelem. Quæ enim fuit unquam adeo fera barbaries, in qua tanta immanitas, tanta sitis extitit ciuilis sanguinis, quanta est in istis hypocritis, nulla de causa, nisi quod nō applaudimus omnibus eorum opinionibus, quarum multas ipsi fatentur esse impias, & erroris plenas, & defendunt eas tamen quadam peruicacia, quod existimant labefactari autoritatem, si quid mutent. Talia qui dicunt, utrum Ecclesiæ gubernatores, an furię & Erynnes rectius dici debent? Sed Deo dabunt pœnas, qui solet insignibus exemplis manifestū religionis contemptū punire. Interea uos commilitones adhortor, ut Lazari exemplo forti animo præsentes ærumnas feratis.

Aderit

Aderit nobis Deus, nosq; alet, ut scriptum est: Iacta curam tuam in Deũ, & ipse te enutriet. Nec deterreri uos à rectis studijs, à pia sententia sinite, uel inopiæ, uel aliarum ærumnarum metu. Quidam languidioribus animis præditi, deficiunt à Christo, & adiungunt se hostibus Euangelij, nec uident, q̃ miserum, q̃ turpe sit, assentari Tyrannis. Hesiodi uersiculus extat, qui præceptum grauissimũ cõtinet, quod sæpe inculcant & Prophetæ:

μηδὲ κακῶν ἕταρον μηδ' ἐσθλῶν νεικεσσῆρα.

Ne fias socius improborũ, nec conuiciator honestorũ. Hic uersiculus admoneat uos, ne ad societatem eorum uos adiungatis, qui cũ ueritate belligerantur, ac ne adplaudatis conuicijs, quę dicuntur aduersus piam doctrinam. Hæc petulantia habet tristes exitus.

Deum autem rogemus, ut honesta
& pia studia gubernet
ac tueatur.

HISTORIA DE DIVITE ET DE EGENO LAZARO, LUCÆ 16. REDDITA UERSIBUS À QUODAM STUDIOSO ALB.

URbs antiqua fuit fama celebertrima quõdã,
A Solymis clarum nomen adepta uiris:
Imperijs florens & sancto gentis honore,
Vix capere ut laudes quiuerit ipsa suas.
Hic quidam ueteri regum de semine natus,
Nam generis summum creditur esse decus,
Multiplici gaudens cultu rerumq; potente
Ornatu, ingentes diues habebat opes.

Nullius

Nullius ampla boni deerat cui copia: quicq
Possedit culti iugera multa soli.
Et quæcunq animo ferrent noua gaudia molli,
Delicias studium quærere semper erat.
Quicquid & in tota pulchrum aut spectabile terra,
India quę mittit, Parthia quæ ue tulit,
Ille sua congesta domo gazaq tenebat,
Et cura hæc illi maxima mentis erat.
Huicq uolupatum naues luxusq ministræ,
Verrebant plenis æquora lata notis:
Vecturæ ad domini lautas noua munera mensas,
Munera uix ulli cognita facta prius.
Hic quoq cum faceret læta conuiuia mente,
Hospite cognatos exciperetq domo,
Ipse suos sæpe est miratus pectore luxus,
Alta gerens tacita gaudia mente sua.
Namq ibi regalis ex omni parte paratus
Expositi tota connituere domo.
Atria splendebant auratis ampla columnis,
Cœlesti qualis fulget ab arce nitor.
Strataq erant aulæ Pario de marmore facta,
Et nitidum primo limine stabat ebur.
Ipse etiam dominus pulchro spectabilis ostro,
Regali ornatu conspiciendus erat.
Et tinctas Tyrio gestabat murice uestes,
Regia quæ prisco tempore pompa fuit.
Ergo ita dum uiuit nulli splendore secundus,
Indulgens Baccho delicijsq suis:
Illius ante domum foribus bipatentibus altam,
Qua tenet ad dominum maxima porta uiam,

Lazarus infirmo uix languida corpore membra
Sustentans, panem supplice uoce petit.
Et simul ad dominum liuentia brachia tendens,
Ossa graui scabie debilitata trahit.
Vtq; est inualidus, limen procumbit in ipsum,
Nec stando corpus sustinuere pedes.
Cum ueluti magno torrentur uicta calore,
Atq; ipsis ingens ossibus ignis inest,
Altaq; per totum serpunt contagia corpus,
Et uires præbent materiamq; malo:
Interea inflantur calido tumefacta cruore,
Et tanquam nodi singula membra rigent.
Non aliter primis foribus miserabilis hæret
Lazarus, exiguæ dum stipis orat opem.
Nil ualuere preces eadem tam sæpe petentis,
Immites aures obstruit ille magis.
Quæ possent lachrymæ truncos & saxa mouere,
Ponderis hoc penitus nil habuere loco.
Sic igitur tristi uita est cum morte soluta,
Perditus ante fores dum iacet ille fame.
An subeat facinus cuiusquam pectora tantum,
Non ferat ut miseris, quam sibi ferret opem?
Ergo canes etiam nostræ rationis egentes,
Officio uincant pectora nostra suo?
Qui iam non duri, non aspera corda gerentes,
Lingebant artus Lazare sancte tuos.
Et fluit inde salus, ubi copia nulla iuuandi est,
Atq; ibi cessat, ubi est copia diues opum.
Sed tamen illa suo tandem quoq; fine probantur,
Amborumq; sequens exitus acta probat.

Lazarus

Lazarus æthereas moriens succeſſit in arces,
Inq; Abrahæ ſentit gaudia multa ſinu.
Nam chorus angelicus uinclis & mole ſolutam
Corporea mentem uexit ad aſtra piam.
Regna ſed ille Erebi ſubijt manesq; profundos,
Tormina ſub triſti dæmone ſæua ferens.
Sed nos hac monitos uoluit ſub imagine Chriſtus,
Erudiens iſto pectora noſtra modo,
Senſibus ut teneant imis mortalia corda,
Atq; alta ſecum mente repoſta gerant,
Qualis in hoc mundo ſit ſors & uita piorum,
Ingentiq; animo triſtia cuncta ferant:
Quantaq; crudeli lateant in corda uenena
Horum, qui ſanctæ nil pietatis habent.
Iuſſit & euentus amborum diſcere, namq;
Quiſq; ſuæ mortis fine probandus erit.
Iam ſic ante fores deſerta Eccleſia Regum
Luce carens omni, Pontificumq; iacet.
Hic ſibi quærit opem, quam non tamen inuenit, inde
Innumeris premitur ſed magis ipſa malis.
Pontifices ipſi ſanctorum cæde triumphos
Iniuſta titulos ſæuitiaq; parant.
Incenduntq; odijs Reges, acuuntq; furorem,
Vt contra moueant impia bella pios.
Doctores etiam nullo curante fideles,
Enecat inuiſos undiq; dira fames.
Ingenuæq; artes, morum uitæq; magiſtræ
Contemptę, iuſto prorſus honore carent.
Inde parum docti ſpargunt mala dogmata multi,
Qua non pernicies grandior eſſe poteſt.

Talia dum patitur lacerata Ecclesia damna,
Auxilium Regum sedula uoce rogat.
Pontifices etiam precibus uotisq; fatigat,
Ne iaceat tantis obruta tota malis.
Verum hi duricia silices adamantaq; uincunt,
Et duro innatum pectore robur habent,
Nonq; pijs animum inducunt succurrere fessis,
Quos semper solos aspera damna premunt,
Quin etiam ferro mactant crudeliter omnes
Qui ueræ quicquam relligionis habent.
Nec tamen ipse suos ex omni parte relinquit,
Atq; aliquos saltem seruat alitq; Deus.
Nam uelut Angelici curant te Lazare cœtus,
In mediaq; tibi morte pericla leuant:
Custodes etiam tales Ecclesia missos
Imperio Christi, sentit adesse sibi.
Agmina sic seruant Elisæum ardentia uatem,
Hostica cum solus castra ducesq; capit.
Cum Rex Heroas raperet Chaldæus in ignem,
Quod statuæ nollent impia thura dare:
Angelus inq; rogo flammisq; uoracibus ipsos
Defendit, cœlo iussus adesse uiris.
Angelus & dura soluit te compede Petrum,
Omnia cœlesti sunt tibi tuta duce.
Atq; ut lingua canum lambendo urentia lenit
Vlcera, & exigua mitigat arte malum,
Sic aliqui Reges, quibus est Ecclesia curæ,
Qua possunt illam parte iuuare student,
Et lacertos ægri medicantur corporis artus,
Et pascunt magna cum bonitate pios.

Ergo

Ergo cum Christo regnum immortale tenebunt,
Hic requies fessis grata laboris erit.
Nam quia te coram rerum pater optime cernent,
Perfusi capient gaudia luce tua.
Et sunt adflatu diuino pectora iustis
Enthea lætitiæ plena futura nouæ.
Qualem nulla potest mortalis dicere lingua,
Hæc homines utinam cernere dona queant.
Non illis unquam ueniet metuenda senectus,
Denique nil atrox mors ibi iuris habet.
Non metuent sæuis mixtos Aquilonibus imbres,
Sponte dabit fruges terra inarata suas.
Undique perpetuo florebunt omnia uere,
Nec faciet solitas frigida bruma uices.
Aurea sic illis multoque beatior ætas,
Et ueniet nullos uita habitura metus.
Sed qui sacra Dei uiolarunt iura Tyranni,
Horribiles pœnas tunc sine fine luent.
Tunc scelerum ultrices curæ æterniq; pauores
Vrgebunt furijs conscia corda mali:
Inq; Aetnæ fauces alios immittet erynnis,
Qua uolat indomito plurimus igne globus:
Demergetq; alios stygij sub fluminis undas,
Feruida quas atra de pice spuma tegit:
In uultu ostendent crimen pallorq; fugæq;:
Credite, non leuis est uindicis ira Dei.

FINIS.

DE EXEMPLO EMENDATI LATRONIS propugnantis gloriam Christi in cruce, Declamatio recitata à Ioachimo Mollet Hamburgensi.

MVltis de causis semper in conspectu nobis crux Christi esse debet: Quanquam enim hic pulcherrimus orbis, dierũ ac noctium gratissimę uices, anni circuitus, Solis & cæterorum syderum mirandi cursus, terręq; fœcunditas, deniq; tota rerum natura nobis ad agnoscendam Dei uoluntatem ac præsentiam proposita est, tamen multo est illustrius testimonium ingentis & uerę erga nos beneuolentię Dei, supplicium filij, quod illum perferre nostra causa uoluit. Itaq; ab hoc pignore diuini amoris nunquã oculi deijciendi erant. Hic discendum quàm horribilis sit ira Dei aduersus hominum scelera, cum nulla eam uictima nisi filij mors placare potuerit. Hic & magnitudo considerandą est misericordię, quod filium pro nobis piaculum fieri uoluit, ac propter hanc tantam hostiam certam salutem promisit. Hæc capita sunt cœlestis sapientiæ, quę ibi nobis proponuntur: Deinde accedunt alia multa. Cumq; omnes Christi gestus aliquid significent, præcipue illa epitasis certaminum ipsius, Ecclesiam de multis maximis rebus admonet. Non temere pendet inter duos latrones, quorum alter est maledicus, alter ex latrone fit propugnator Christi. Multa docet nos cum ipsum spectaculum, tum maxime duorum altercatio, & Christi uelut agonotheræ concio interposita, quæ ut ipsi latroni salutaris fuit, ita non ad ipsum tantum pertinere iudicanda est. Euangelij uox

est com-

est communis omnibus pijs omnium ętatum, quę quidem dulcissimam consolationem proponit. Itaq; hanc imaginem animo intuens, & illam grauissimam disputationē cogitans, uideor mihi uidere Ecclesiam omniū ætatum, audio omnium Prophetarum & Apostolorū conciones, quarū summa in illo breui colloquio comprehensa est. Etsi autem nō dubito plerisq; uestrum has ipsas res melius esse notas ac meditatas, q̄ mihi, tamen cū hoc loco dicere iussus essem, & me pericula horum temporū his diebus de hac imagine admonuissent, libenter hoc argumentū elegi, ut exēplo latronis, qui semiuiuus ac laceratus, tamen gloriam filij Dei tuetur, & meum animum confirmarem, & adolescentes ad idem decus excitarem. Nec id argumentum alienum est ab hoc loco, aut his temporibus. Diu iam Pontifices exercent immanem sæuitiam in membra Christi, ac nunc, ut uniuersam Ecclesiam deleant, inflammare ciuile bellum conantur, Christum omnibus probris onerant, multo rabiosius quàm latro maledicus. Applaudunt Pontificum furori Reges, & præcipui uiri omnium ordinum, quadam inani utilitatis umbra capti. Adsentantur his docti, ut Silenus Cyclopi in antro, ut est in fabulis Euripidis. Et ut horū seruiant cupiditatibus, stylum aduersus Christum acuunt. Aliqui saniores dolent uicem Ecclesiæ oppressę horribili tyrannide, sed minis potentum perterrefacti iacent, ut Apostoli dilapsi erant, cū Christus afficeretur supplicio. Tali tempore, & si nos quidem priuati, oppressi tyrannide, parum prodesse Ecclesiæ possumus, tamen imitemur exemplum semiuiui latronis, qui conuicijs respondet, & gloriam Christi sua uoce quantum potest, cum iam animam inter dentes teneret,

teneret, defendit. Cum igitur hæc oratio maxime conueniat huic tempori, quæso ut non solum æquo animo historiam latronũ audiatis, sed etiam excerpatis exempla uobis utilia, & animos excitetis ad imitandam uirtutem pij latronis, qui & fide hunc medium Iesum supplicij socium, agnoscit esse autorem uitæ perpetuæ, & fortiter eum aduersus latronem conuiciatorem propugnat. Repetam igitur totius spectaculi significationem paulo altius. Duo latrones pariter affecti supplicio cũ Christo, significant uniuersum genus humanum destinatum esse morti propter peccatum. Hic igitur nõ duos tantum latrunculos pendere cogitabitis, sed omnes homines omnium ætatum. Cogitabitis & illud, omnes esse latrones: Multa enim sunt & atrocia singulorum scelera, multi adiuuerunt mala consilia aduersus pios suscepta: Deniq; omnes aliquo modo manus attulimus filio Dei. Porro cum in media morte uersaremur, filius Dei nobis donatus est, ut uictima fieret pro nobis, ac placata patris ira, aboleret peccatum & mortem, & redderet uitam æternam. Id beneficium offert & impertit omnibus, quos erratorum pœnitet, quiq; ueniam ab ipso petunt, & freti ipsius promissis, liberationem expectant. Hiciam distrahuntur hominum iudicia ac uoluntates. Maxima pars aspernatur hoc beneficium, præsertim cum uideant Christum perinde ut cæteros calamitatibus communibus conflictari, rapi etiam ad supplicium, interfici. An Epicuræi ab hoc cadauere pendente in cruce peterent aut expectarent nouam & perpetuam uitam? qui in tanta confusione uitæ, casu omnia ferri arbitrantur, nec statuere possunt, Deo humana curæ esse? Rident igitur tanquam poemata aut aniles ne-

nias

mias omnia testimonia, quæ Deus & de sua uoluntate, & de immortalitate omnibus ætatibus ordine tradidit, & tandem misso filio, & post mortem reuocato in uitā, confirmauit. Hic ille sarcasmus est maledici latronis: Age liberator egregie, tibi & nobis salutem reddito. Sic impij & si sunt in media morte, tamen non sentiunt malorum magnitudinem, non quærunt causam ærumnarum, nō metuunt Dei iudicium, ludunt etiam deridendis religionibus, & cum offecturæ sunt ipsorum commodis, delere Euangelium conantur, & expromunt impietatem ac sæuitiam aduersus Christum & eius membra. Vt tunc latro uirulentis ironijs exagitabat filium Dei, ita uidetis impios ludere omnibus ætatibus. Ac ne putetis nouum fuisse exemplum. Alius est hostis Christi multo infestior, scilicet Diabolus. Is primum odio Dei auulsit ab eo primos parentes. Is similibus ironijs in paradiso miseram mulierem fefellit, cū promitteret fore similē Deo: Eritis, inquit, sicut Dij. Idem calumniator habet fascinatas impiorum mentes omni tempore falsis de Deo persuasionibus. His abutitur tanquam organis, ad explendam infinitam odij sui acerbitatem aduersus filium Dei. Latro igitur, ut cæteri impij, actor est harum ironiarum, sed ille superbissimus spiritus hostis Dei, est earum poeta.

Quàm misera est autem seruitus, organum esse tanti furoris ac tanti odij aduersus Deum? Talis est uita Neronis & impiorum omnium, qui cū in cruce pendeant, hoc est, sint in media morte, nam uoluptates eorū non sunt diuturnæ, tamen liberatorem aspernantur. Et confirmat errorem Diabolus, qui postquā mentibus eorū offudit densiores nebulas, postea pro libidine sua illis

abutitur, accendit in eis odium Dei, & sæuitiam aduersus membra Christi. Non igitur liberantur à morte, sed ruunt in æternos cruciatus, cum quidem iam bis latrones sint, habent cõmunia scelera toti generi humano. His addunt contemptum beneficij Christi, & crudelitatem, quam in Christum & eius membra exercent. Huius impij agminis uniuersi ἐχθὼρ est maledicus latro. Nunc de altero dicam, qui emendatus significat Ecclesiam, quæ est altera pars generis humani, quæ & ipsa latrocinio contaminata est, ac destinata morti, agnoscit se habere peccata, & calamitatibus ingentibus ac morti obnoxia est, ut cæteri homines. Sed redditur ei post mortem noua & perpetua uita, lux, sapientia, iusticia, & lætitia. Hæc quomodo fiant, ex hoc colloquio discamus, quod, ut ante dixi, omnium Propheticarũ & Apostolicarum concionum summam complectitur. Agnoscit sua peccata hic latro, & ingenti motu animi confugere audet ad liberatorem. Audierat de hoc socio supplicij Iesu, quid docuisset: audierat eum testimonia doctrinæ suæ non uulgaria exhibuisse, & senserat eum iniuste, scelere Pontificum raptum esse ad supplicium. Audierat & quasdam eius uoces in cruce, quas animaduerterat non proficisci à uulgari homine. Videt naturam rerum, terræ motum, subitas tenebras solis de eo testimonia ædere: Quare statuit hunc uere esse liberatorem, & Christum. Hac fide excitatus, inquit: Memento mei Domine, cum ueneris in regnũ tuum. Considerate autem, quàm miranda lux in hoc latrone fulserit. Non deterretur fœditate supplicij & morte Christi, quo minus iudicet eũ esse promissum liberatorẽ. Deinde longe aliter de Messia sentit, & uel Pharisæi, uel Apostoli, utrique

expecta-

expectabant imperia & opes. Hic latro iam Prophetas interpretatur, docet Messiam liberaturum nos esse à ueris & æternis malis, à peccato, à perpetuis cruciatibus, ac regnaturum non in hac calamitosa uita, sed post hanc uitam, ubi fruemur Dei consuetudine, liberati ab omnibus erroribus & miserijs. Videtis hanc esse summam, & sententiam omnium promissionum, quæ Patribus & Prophetis traditæ sunt. Lucet ergo in latrone uera fides: & fidei proprium est petere ueniam propter ipsum liberatorē filium Dei, nec deterreri nostris delictis, quominus ad eum confugiamus, ac beneficium eius expectemus. Latro agnoscit sua scelera, non adfert ad Christum benefacta, aut merita, sed sentit hunc esse hostiam pro omnium delictis: uidet uoluntate Dei, huic tantam pœnam irrogatam esse innocenti, ut fiat hostia pro toto genere humano. Talis fides certo impetrat promissa à Deo. Quare Christus clara uoce eum absoluit à culpa, ac promittit ei nouam & perpetuam uitam, cōfirmans iam interpretationem promissionum Propheticarum: Hodie, inquit, eris mecum in paradiso. Corpora relinquebant, & tamen unà futuri erant in cœtu piorum Angelorum ac Prophetarum, qui Dei consuetudine fruuntur.

Audistis duas perspicuas Euangelij conciones, de beneficijs Christi, de reconciliatione, de uita perpetua. Latro petit ueniam fretus non benefactis suis, sed Domini clementia & sacrificio. Christus promittens ei ueniam, & uitam perpetuam, testatur hæc beneficia hoc modo credentibus dari. Possent hæc multo uberius exponi, sed cum apud eruditos habeatur oratio, nolui esse prolixior: dixi summam Euangelij in his concionibus com

prehenſam eſſe. Hortor etiam ut exemplum imitemur, ac ſimili fiducia ad filium Dei confugiamus. Hæc eſt, ut ſcitis, doctrinæ ſumma, de iuſticia fidei, ſeu de regeneratione, & aditu ad uitam æternam. Videamus reliqua. Ne fieri quidem poteſt, ut Eccleſia ſit ſine cultu Dei, ſine ſacrificijs, ſine bonis operibus, ſine certaminibus. Ideo enim Deus reſtituit genus humanum, ut inter homines ipſius noticia luceat ac celebretur: Quare cultus & officia certa poſtulat. Num hæc neglexit latro emendatus, num quia pendebat nudus ac uinctus, nulla officia Deo præſtitit? Ille uero præcipuos honores Chriſto tribuit, quos Deus in primis flagitat: agit pœnitentiam, agnoſcit ſuum ſcelus, recte ſentit de hoc liberatore, nihil deterritus illa miſerabili ſpecie morientis, inuocat eum. Hæc ſunt uere pia opera. Accedit & dimicatio. Quanq̃ enim penderet ſemiuiuus ac laceratis membris, tamen uenit in certamen cum conuiciatore, quo ſeuere caſtigato & obiurgato, defendit Chriſti gloriam. Hæc eſt confeſſio, quam quanti faciat Deus, ſæpe monet ſcriptura, ut cum ait Chriſtus: Qui confeſſus fuerit me coram hominibus, confitebor eum coram patre cœleſti. Breuiter indicaui bona opera emendati latronis. Nunc quæſo ut uniuerſam Eccleſiam eius temporis conſideretis: Filius Dei pendet in cruce, non iam oſtendens potentiam ſuam admirandis factis ut antea, quare deridetur ac deſpicitur ab impijs. Apoſtoli ſeu dubitatione, ſeu metu dilapſi erant. Multos auditores mouit & illud quod dicitur: Exitus acta probat. qui cogitabant hunc nequaq̃ Meſſiam eſſe, cum in tanta calamitate uideretur à Deo deſertus & abiectus eſſe. Sola reliqua eſt Maria mater, in qua lucet fides: Hæc expectat aliam cataſtrophen:

Nec

Nec enim spectatrix esse poterat huius supplicij, nisi fi-
de animus erectus fuisset. Sed quia Apostoli & cæteri
homines tacent, iam tota rerum natura incipit concio-
nari, & testimonio suo filium Dei ornare, & in tanta Ec
clesiæ trepidatione, ne desit concionator, excitat Deus
latronem de sublimi concionatem toti orbi terrarum.
Hic latro testatur hunc Iesum esse promissum liberato-
rem, & autorem nouæ & perpetuæ uitæ. Desinant iam
Pontifices, Episcopi, Monachi gloriari, suos cœtus, quos
uocant Ecclesiam, errare non posse, cum uideant tan-
tam Apostolorum trepidationem. Sed quoniam histo
ria mortis Christi haud dubie significat præcipue cala-
mitates Ecclesiæ postremi temporis, latronum concer-
tatio quędam est imago certaminum huius temporis.
Conuiciantur Christo Pontifices, Canonici, Monachi,
& horum satellites Tyranni, qui &si exiguo tempore
fruuntur suis uoluptatibus, tamen re ipsa pendent in
cruce impij latronis, breui pœnas scelerum daturi. In-
terea cũ ante finem mundi renouare doctrinam & con-
fessionem Deus uellet, excitauit, doctis & timidis cessan
tibus, Germanos milites, homines sine hypocrisi sa-
pientiæ aut iusticiæ. Non potest enim dissimulari aut
negari multos articulos doctrinæ Euangelicæ ita repur
gatos esse per hos, ut satis appareat diuinitus hanc lucẽ
Ecclesiæ redditam esse. Idem igitur in doctrina nostra-
rum Ecclesiarum traditur, de reconciliatione & de fide,
quod ibi sentit latro. Nec pudet nos hunc audire Apo-
stolum, cuius sententiam & fidem Christus perspicuo
testimonio approbat. Vtinam Christum etiam simili fi
de inuocemus. Etsi nihil dubito multos esse, in quibus
similis fidei scintillæ ardent. Non enim dubitandum

est, in eo cœtu esse membra ueræ Ecclesiæ, in quo recte traditur Euangelium, & abolita est εἰδωλομανία. Et nostris Ecclesijs non desunt testimonia Spiritus sancti: Videmus enim, quanta constantia multi pij supplicia perferant. Meminimus honestas matronas luctatas cũ terroribus mortis, egisse Deo gratias, quod agnouerint Christi beneficia, & magna tranquillitate animi, dum recitant laudes ac hymnos Deo, spiritum exhalasse, ut satis appareret in eis cœlestem lęticiam inchoatam esse, antequam è corpore discederent. Addit Deus & alia testimonia, quod mirabiliter seruat has Ecclesias: Aspernantur ueram doctrinam hostes nostri, & deesse testimonia miraculorum seu prodigiorum clamitant, cum ipsi nec recte facta, nec miranda habeant. Vt Christus nunc pendens in cruce, non ostendebat potentiam suã. Nihil inusitati conspiciebatur in latrone, præter illam pietatem, quam ridebant ἄθεοι. Ita nunc Ecclesia infirma est: Et tamen mira res erat, illa ipsa latronis emendatio. Talia miracula non desunt his temporibus. Sed si uolunt audire aduersarij sua prodigia, pauca commemorabo. An eum cœtum putemus Ecclesiam esse, qui flagitiosas libidines tanta pertinacia defendit, ut interficiat eos, qui sunt hortatores, ut anteferant honesta coniugia? In qua unquam barbarie auditum est interfici homines propter reprehensas uagas libidines, propter laudem coniugij? Prodigia quæruntur: Hæc prodigiosa turpitudo est certum testimonium, totũ illum cœtum contaminatum εἰδωλομανίᾳ, periurijs, libidinibus, parricidijs Ecclesiæ, agitari à Diabolo. Possem alia Pontificum prodigia multa recitare, quę nunc omitto: ac redeo ad illum Apostolum de sublimi concionante & defendente

dentem gloriam Christi. Non poterat semiuiuus aliʃ
gatus pietatē ſuam declarare iam alijs officijs, gubernaʃ
re Eccleſias, & late ſpargere doctrinam: Hoc unum poʃ
terat, caſtigare conuiciatorem. Ita nos, cum habeas
Reipub. teneant aduerſarij, cum toties fruſtra rogaueriʃ
mus Reges, ut de concordia deliberent, cum reuocare
eos ab errore non poſſimus, hunc tamen cultum Deo
præſtemus, lingua & ſtylo celebremus Chriſtum, refuteʃ
mus aduerſarios, taxemus impias eorum leges, ac hypoʃ
criſin, ut pij admoniti caueant, ne eorum ſocietate polʃ
luantur. Tot iam annos omnia moderata conſilia repuʃ
diant Pontifices, tantum de cæde cogitant, faciunt imʃ
pia & ſacrilega fœdera: Quam ad rem? ad defenſionē
manifeſtæ idolomaniæ, periuriorum, flagitioſarum liʃ
bidinum, ac parricidiorum. Hæc uera eſſe, ne ipſi quiʃ
dem negare poſſunt. Nec ullius tanta eſt eloquentia,
hæc ut excuſare uel in ſpeciem queat. Tonet licet ac fulʃ
mina torqueat Pericles, ut dicebatur, tamen in hac cauʃ
ſa ueritas ita perſpicua eſt, ut non poſſit τὸν ἥττω λόγον
κρείττω ποιεῖν. Viderint igitur pij, ne ſe ad tantorum ſceʃ
lerum ſocietatē adiungant. Cogitent exemplum emenʃ
dati latronis, oſtendant uoce, literis, & cæteris officijs,
ſe toto animo ab illa gigantea impietate abhorrere, ſe
nolle adminiſtros eſſe furoris illius Diaboli. Nam illa
ſcelera non ab humanis ingenijs, ſed uere ac proprie à
Diabolo oriuntur. Eſt quidem in magnis cruciatibus la
tro, qui Chriſtum ueneratur. Sed cogitate, quanta ſit be
atitudo, tenere certam ſpem uitę æternę. Ita nos & ſi mulʃ
tis exercemur ærumnis propter confeſſionem, tamen
hanc ducamus eſſe magnam fœlicitatē, quod abſumus
à conſilijs Pontificum, à Diaboli fœdere, qui ut Deum

contumelia

contumelia afficiat, ut quàm plurimos perdat, incendit Pontifices, agitat Tyrannos, ut ſtabiliant εἰδωλομανίαν & cætera flagitia. Nihil poteſt dici atrocius, quàm quod inquit Paulus: Si quis aliud Euangelium docet, anathema ſit. Omnes diras atq; imprecationes complexus eſt uoce anathematis. Et repetit uerbo triſtiore eandem ſententiam alibi: Si quis non amat Dominum Ieſum Chriſtũ, ſit anathema maranatha. Quo nomine intelligit certam ſpeciẽ anathematis, ob quod prorſus deleri, & è medio tolli neceſſe eſt, ut parricidas, & propter quod Deus toti rerum naturæ iraſcitur, terra fruges negat, ſol refugiens ſiſtit currus, amittit ſplendorem, denicq; quod contagio ſuo nocet toti generi humano, ut ille inquit in Tragœdia:

Diſcedite à me, ne umbra mea noceat bonis.

Eſt enim uox Paulina facta ab hærem motha, quod ſignificet rem deuotam, ac deſtinatam exitio & mortiui ſi quis mauult eſſe hærem & hatta, quod eſt peccatum ſeu ſcelus, ut Græci dixerunt καθάρματα, ſeu ἀλάσορας. Sic igitur Paulus nos de hoſtibus Chriſti ſentire iubet. Et ſæpe repetitum eſt hoc præceptum in concionibus Propheticis, quod quidẽ ſi quis contemnet, reipſa comperiet Erynnas ac furias uagari per omnes complices, adflare etiam mediocribus peiores impetus, implicare eos erroribus & horrendis calamitatibus. Has pœnas & conſiderare pij & cauere debent. Quanquam enim parricidæ illi aliquandiu florent, ut Dionyſius, Nero, & ſimilia portenta aliquandiu regnarunt, tamen exitus fuerunt tragici. Et interim multi pœnas dederunt familiaritatis ipſorũ. Pendent unà omnes Tyranni in cruce maledici latronis, & ſi cruciatus nondũ omnes ſentiũt.

Nemo

Nemo sanus libenter uersatur apud eum, quem scit iniustam cædem feciſſe. Quanto magis isti fugiendi sunt quorum mentes contaminatę sunt idolomania, linguâ periurijs, manus imbutæ cruore piorũ, cætera membra cõspurcata libidinibus. Ac ut de alijs obscurioribus sceleribus non dicam, quis sanus uolet se parricidiorũ societate polluere, quæ ab istis fiunt quotidie? Quàm multi docti & pij ab Episcopis & Monachis ubiq; terrarũ interficiuntur? Aiunt nihil sæuius esse Pantheris, et tamẽ sæpe leguntur in circo quasi reuerentia quadam peperciſſe sanctis Pantheræ. Has superat rabies Fabri, Mezentij, Nauseę & similium, qui adeo non parcunt ullis, ut ciuile bellum accendi, & tot nationes deleri, tot honestas matronas, tot infantes iugulari, uastitatem Ecclesiarum effici cupiant æternam: uerum est enim illud Poetæ:

Alta sedent ciuilis uulnera dextræ.

Vt autem maledicũ latronem castigat alter noster Apostolus, ita hæc flagitia singulis temporibus à pijs, & præsertim eruditis fortiter taxanda sunt. Quod ita demum grauiter & uere facietis, si eruditione instructi eritis, ut Paulus inquit: Sit sermo uester sale conditus. Non ut scopulos aut littora feriunt undæ ingenti tantum sonitu, ita solo clamore certandum est: Erudite refutandi sunt aduersarij, ut aliqui sanentur, boni confirmentur, ut in latronis obiurgatione grauissimæ insunt sententiæ, de gubernatione diuina, de prouidentia, quibus Epicureas in altero persuasiones refutat. Apud Aristophanem lex dicitur certaturis, ἔλεγχε καὶ ἐλέγχου. Causa cum causa congrediatur, ueris argumentis certetur, dicatur πρὸς ἔπος, & reuocetur antagonista intra metas. Videtis enim quàm uarias rimas quęrant nunc ad elabendum,

quantum technarum & Sophistices excogitent ad elu-dendam ueritatem. Antagonistas habemus, astutos, intentos, instructos literis & eloquentia, ac dimicantes non de lana caprina, sed pro focis suis, hoc est, de opibus, dignitate, uoluptatibus, quarum rerum causa acerrimæ cõtentiones inter homines existere solent. Vos contra uere pro aris pugnatis, hoc est, uobis cõmendata est defensio puritatis Euangelij & gloriæ Christi. Hæc militia non cõcedit uobis ocium, sed postulat acerrimum studium cognoscendæ cœlestis doctrinæ, flagitat animum non mollem, non detrectantem certamina. Hæc ut sæpe multumq; cogitetis, uos etiam atq; etiam adhortor, ut officium uestrum recte intelligatis, & agnoscatis uobis non leue munus à Deo mandatum esse, uosq; in extremo iudicio spectantibus omnibus hominibus atq; Angelis, ratione administrati muneris reddituros esse: ubi etiam hic noster latro inter iudices assidebit, & strenuos milites Christo commendabit, de ignauis ac desertoribus supplicium sumi petet. Quare nũc date operam adolescentes, qui huius Signiferi tyrones estis, ut uos diligenter exerceatis ac præparetis ad uera certamina, in quo gloriam Christi aliquanto post defendere uos oportebit. Hunc honorem Deus flagitat, ut heri in uersiculis significaui:

Vult adsertores laudum nos esse suarum,
Idq; magis poscit, quàm noua thura Deus.

DIX.I.

Oratio

Theologiæ, de studijs Theologicis.

SI ego aut quadam fœlicitate ingenij, aut doctrina atq; eloquentia, uel usu & exercitio, aut quacunq; mediocritate oratoria essem paulo instructior ad declamandum è publico suggestu, summis uiribus hic incumberem, ut Theologica studia (de quorum dignitate hic pro more dicendum est) omnibus redderem quàm commendatissima. Nunc cum uobis mea tenuitas non ignota sit, initio rogo, ne, si forsan ubertate, copia illa, & splendore orationis, cui eruditissimę aures uestræ assuetæ sunt, quem hic locus illustris & argumentum grauissimum deposcere uidentur, destituar, existimationem id sanctissimæ professionis Theologicæ, quam mirificis laudibus, diuino aliquo ore, alicuius uere diserti, omni omnium linguarum sono, in cœlum tolli oportuit, apud uos imminuat. Meam, meam scitote esse culpam, si rem cœlesti prœconio dignam, frigido encomio celebraro, aut non his, quibus meretur summarum laudum insignibus, ornauero. Theologicam professionē nostis esse eiusmodi doctrinam, qua in Ecclesia docetur & discitur uera cognitio sapientiæ & uoluntatis Dei. Scriptura enim sancta, quam à Patriarchis, Prophetis & Apostolis accepimus, quam non humana uoluntate, sed (ut Petrus ait) Spiritu sancto inspirante, prodiderunt sancti Dei homines, quæ totum hoc doctrinæ genus (quod Theologiam uocamus) complectitur, tota eò tendit, ad hunc scopū directa est, ut incomprehensi-

bilem illam, & infinitam bonitatem ac misericordiam Dei doceat nos cognoscere, ut in hac uita primum in uerbo & promissionibus diuinis fide apprehendamus cognitionem sapientię & uoluntatis Dei. Deinde & in omnibus creaturis, cœlo, terra, mari, & hac tota mundi machina, adeoq; propriȷ corporis nostri mirabili opificio, infinitam illam, & immensam Dei bonitatem, quotidiana miracula, & præsentiam diuinã, operumq; eius magnitudinem, &, ut Paulus inquit, multipliciter uariam sapientiam Dei animaduertamus, quod ipse scilicet non sit Deus à longe, cui non sint curæ res humanæ, (sicut imbecillitas humanę rationis peccato originis corruptæ somniat) quemadmodum & Homerus Poeta, de Ioue apud Aethiopas conuiuante, eam hebetudinẽ humanarum mentium taxat, sed Deus admodum nobis præsens, sicut Hieremias Propheta inquit. Et in hũc quidem finem ab initio mundi, uerbũ suũ dedit Deus, in hoc scriptura sancta prodita est, ut quotidie in cognitione Dei crescamus, ut subinde, quod toties inculcat Paulus, magis ac magis proficientes in cognitione uoluntatis diuinæ, lætemur in Deo, præsentiam eius in mirificis operibus adoremus, & reuereamur, ut per fidem & spiritum, gustum quendam percipiamus uitæ æternę, ut tandem eluctantes ex tot fluctibus, & periculis regni, mortis & Diaboli, emergamus ad perfectam cognitionem Dei, utq; tandem Deo ipso, quod maius quiddam est, quàm humana mente concipi hic potest, uita, gloria, claritate, ac beatitudine æterna perfruamur. Et hic quidem finis est bonorum, hoc est illud summum bonum, illa uera & omnibus numeris absoluta sapientia quam requirimus, illa sola & perfecta beatitudo,

de qua

de qua extra uerbum Dei inquisierunt Philosophi & sapientes mundi. Sed Deus passus est eos errare longe à Deo in uijs suis, ut Paulus in Actis inquit. Vere autem illius religionis, & Theologiæ, & solidæ illius sapientiæ inuentor & autor, non est Mercurius aliquis, non heros quispiam clarus, non Philosophus excellens, sed ipse creator omnium rerum Deus, uiuus & uerus, ut Esaias inquit: Qui condidit cœlum, & stabiliuit terram &c. Et Theologia hæc uera, non est eiusmodi cognitio, aut scientia, comparata solum ad uitam hanc momentaneam ἡμερόβιον strepitum rerum, & umbratile σκιᾶς huius mundi. Quemadmodum architectura, aut similes artes, tantum ad huius uitæ usum comparatæ sunt, quas pauci quidam perdiscunt, sed ad hanc cognitionẽ ueram Dei, ad hanc sapientiam percipiendam, omnes homines super terram, totumq; genus humanum creatum est, atq; illa diuina mens hominis, illa elegantissima corporis humani, omnium organorum, ac membrorum constructio, non in hoc est condita, ut solum artes illas, quæ non nisi huic mortali uitæ & corpori seruiunt, exerceat, sed ut infinitam illam sapientiam & bonitatem Dei cognoscat, & magnitudinem & uarietatẽ & mirificam illam in omnibus uim atq; potentiam operantis Dei contemplans, in Deo & omnibus operibus Dei lætetur, & summa exultatione & alacritate gratias agat, sicut Christus ipse Dominus noster breui & grauissima sententia dicit: Hæc est æterna uita, ut cognoscant te uerum Deum, & quem misisti Iesum Christum. id est, hæc est uita illa, salus illa, & beatitudo, in hoc tota uis est infinitæ, immensæ, & æternę consolationis, & fœlicitatis, ad quam homines conditi, & à Deo uocati

sumus, ut in hac uita animi nostri erudiantur per uerbum, & concepto Spiritu sancto, illuminentur subinde magis magisq; uera cognitione Dei, ut hic in Ecclesia incipiat renouatio & restauratio collapsæ naturę, regnum cœlorum, & iusticia, & uita æterna: ut tandem in futuro seculo, perfecte lætemur in Deo, lætitia quadam inenarrabili, & glorificata, ineffabili torrente omnium bonorum Dei, adeoq; perfecta κοινωνίᾳ, & communione (quæ in hoc tempore super omnem captum est humanarum mentium) diuinitatis perfruamur. Sciamus ergo Theologiam nō esse eiusmodi quandam cognitiunculam, quę huic mortali uitæ tantum ancilletur, cuiuscemodi sunt reliquæ artes, quæ suam tamen laudem, durante hac uita, habent, sed eiusmodi quandam diuinitus proditam sapientiam, ad quam percipiendam, homo initio conditus, propter quam diuinæ particula aurę (ut Poeta inquit) & illud pectus cœlestium rerum capax, illa mens cœlo ducens originem, nobis indita est. In quæcunq; ergo uitæ genera uaria tempestas huius uitæ conijciat homines, siue Iuris prudentię, siue rei Medicæ, siue rei militari dent operam, siue in Philosophico ocio, siue Repub. uersentur, tamen nisi ea, cum Theologia coniuncta habeant, sciant se à diuina & cœlesti origine degenerasse. Quantumcunq; ergo in tempestuoso mari huius uitæ circumerremus, sæpe etiam naufragemur, dum hic sollicitudine uictus torquetur, hic siti gloriæ, tamen in hoc portu acquiescendum est, tamen nisi initium, medium, finis humanarum rerum sit Theologia, iam homines esse desijmus, & uita est nō hominis, sed beluarum. Nulla usquam ergo occupatio dignior homine, nulla liberalior, nulla scientia aut cognitio excellentior

cellentior, & cognitio uera Dei & religionis. Propter hanc initio Adam conditus est ex gleba & puluere terræ: propter hanc Eua ipsius Dei creatoris mirifico opere ex costa masculi sculpta & ædificata est in formosam fœminam. Etsi forsan primum auditorem scholasticũ, simul & Doctorem Theologiæ requirimus, hunc sciamus magnum parentem fuisse Adamum, qui ipsum Deum magistrum habuit, qui ante lapsum perfusus Spiritu sancto, uere illuminatus fuit Theologus, quo uiro hic sol nihil aspexit post ipsum Christum præstantius. Si enim Adam non fuisset lapsus, tunc omnes posteri, & homines ex eo orti, φύσει fuissent Theologi: tũ uidisses totum orbem terrarum nihil aliud esse, & spaciosam quandam ac frequentissimam scholam Theologicam, in ipso paradiso, quasi in horto quodã, aut porticu Philosophica, mirabili amœnitate, passim consedentibus, obambulantibus tot discipulis, quorum συμφιλόσοφοι essent Angeli, quorum dominus & magister esset ipse Deus: uidisses masculum & fœminam in summa castitate, & puritate dulci quadã, & syncera σοφίᾳ, uera quadam & perfecta suauitate uitę & morum, de Deo & operibus Dei differere, confabulari: uidisses homines expertes calamitatum, ærumnarum, tristicię, ignaros funerum & sepulchri, liberos à tot terroribus Diaboli, ab omni tristitia, metu, pauore, & miseria, in perpetuo gaudio Spiritus sancti, admirabundos quotidie de operibus Dei, iucundissimũ in modũ colloqui. Non fuissent tenebræ hæ, tot mœstę cogitationes & curæ humanarũ mentium, quæ nunc sunt, sed omnia plena luce, uita, hilaritate, lætitia ineffabili: Et eiusce modi cœlestia poemata ac cantica de Deo & operibus Dei (cuiusce modi uix sum-

uix ſummis Patriarchis, Dauidi, & ſimilibus canere po ſtea datum eſt) tum bimuli infantes, & Habel paruulus in cunis, inter ipſa crepundia ceciniſſet. Nam niſi è cœlo generoſa illa & nobilis natura hominis, per peccatũ originis & horrendum lapſum Adæ, cum in corporis, tum animæ uiribus corrupta eſſet, & lumen illud humanæ mentis hebetatum, tum mira quadam acie mentis & oculorũ, motus illos cœleſtes, ſolis, lunæ, aliorumq; ſyderum ratos immutabilesq; curſus tam prope Adam eſſet intuitus, quàm nos currum in terra, aut nauim in mari gubernari uidemus. Et non ſolum cognouiſſent tum primi illi parentes, quòd Deus creaſſet cœlum, terram, mare, & omnia quæ in eis ſunt, ſed & mira quadã perſpicacia intellexiſſent, ipſum perpetuo eſſe præſentẽ omnibus hominibus ſimul, & animantibus dare uitã & halitum, atq; ita animi & corda eorũ iucundiſſimis affectibus gaudij & ineffabilis læticiæ inarſiſſent, de Deo, de minimis maximisq; operibus Dei, tum quidẽ tanta certitudo, tam firma πληροφορία de Deo fuiſſet in mentibus humanis, ut quoties Adam ſub aurora orans, aut Eua mane ornans ſe ad proximi fontis ſpeculum, ſolem orientem uidiſſet, ſumma cũ uoluptate cogitaſſet: En iterum nobis ſydus illud, quod quaſi figulus candelabrum finxit pater & Deus noſter. Deinde Cain & Habel paruuli, & adhuc in cunis reptantes, aut alacriter circumuolantes potius, quoties herbam aliquã odoram, quoties uiolam aut roſam, quoties pomũ generoſum, botrum aut uuas aſpexiſſent, non ſine iucundiſſimo ſenſu infinitæ & inperſcrutabilis bonitatis et ſapientię Dei, cogitaſſent: Hęc ſunt dona noſtri illius Patris, hic odor, hic ſuccus, opera ſunt cœleſtis dextræ; huius botri uel

unum

unum pampinum ego nõ possem fingere. Et tũ Adam & Eua cœlesti quadam, beata, & suauissima conuersatione, non aliter atq; tenelli filij sub blando parente, in summa fiducia erga Deum, in summa certitudine et dulcedine cordium, illum Deũ uiuum & uerũ suum agnouissent conditorem, nutricatorem, parentem, & admodum perspicua cognitione intellexissent, quomodo tot magnifica & præstantia opera, tot excellentes creaturę, mera quotidiana miracula, mera specula essent, in quibus fulgor infinitæ bonitatis & potentiæ Dei redditur. Nam hæc pulcherrima rerum machina in hoc condita est, ut sit ęterna, mirifica, & indelebilis pictura, in qua Deus & opera eius cernantur, sicut Paulus ad Rom. 1. dicit. Multa sunt admodum se signate dantia, & expressa uestigia diuinitatis, in hac tota uniuersitate rerum, pulcherrimum hoc & spacioſum, & tot astrorum luminibus distinctum cœlum, ingens illa moles terræ, & mirifica eius efficientia, & in omni genere crescentium fœcundi tas, infinita penè magnitudo maris, & inclusio aquarũ eius, ut Psalmus ait, quasi in utre, tot uolucres, tot genera animantium & piscium, tot herbæ, tot remedia, tanta in succis, odoribus, uarietas, quos una & eadem terra profert, quæ omnia ex uno eodemq; suboleſcunt pulue re, & incomprehensibili ac occultissimo auctu nascuntur. Hęc quidem satis magna testimonia sunt, quod hic mundus non casu extiterit, nec ex atomis conflatus sit, ut quidam Philosophi sentiunt, sed ęternam quandam & infinitam esse sapientiam, quæ hæc omnia mirifice architectata sit, quæq; eodem elegantissimo ordine conseruet ac gubernet, ut Paulus quoq; in Actis testatur, q Deus ideo in tota creatura ita uestigia sui, in singulis pe-

nè floſculis, ſingulis penè arborum foliis reliquerit, & ſeſe depinxerit, ut cognoſcamus eum non longe abeſſe ab unoquoq; noſtrum, & penè in noſtro proprio corpore, in pane & uino ſic è terra producto palpabilem eſſe. Et hæc quidé omnia, ſi peccato natura non uitiata eſſet, omnes poſteri Adam, maſculi iuxtà ac fœminæ, clariſſime cognita habuiſſent, atq; ita totum genus humanum ab Oriente uſque ad Occidentem, fuiſſet gymnaſium quoddam pulcherrimum & frequentiſſimum ſcholarium Theologiæ: niſi quod diſcrimen forſan fuiſſet donorum, ſicut ſtella à ſtella differt claritate. Verum poſt quam primi illi parẽtes noſtri decepti πανουργίᾳ Diaboli, qua non deſinit inſidiari regno Dei, lapſi ſunt, illa diuina & excellens natura hominis horribiliter corrupta eſt, debilitata, & fracta in uiribus corporis & animæ. Atq; illud uitium originis late in omnes poſteros Adæ propagatum eſt, ut iam in omnibus mortalibus, anteq; inſerantur Chriſto, horribilis ſit cæcitas, ut neq; Deum tam clare cognoſcere, neq; in ulla creatura Dei præſentiam & diuinam operationem ita cernere poſſint, atq; ab eo caſu ſchola Theologica, quæ aliàs per totũ fuiſſet diffuſa orbem terrarum, ab Oriente uſq; ad Occaſum, celebratio nominis Domini coacta eſt in anguſtũ, adeo ut inde ab Adam & Patriarchis, omnibus temporibus uera Eccleſia puſillus grex fuerit. Ante quidem horribilem illum lapſum ſic habituræ erant res humanę, quod Deus ipſe domeſtice plane & paterne, ſicut Pſalmus ait, gubernaſſet homines, ut tenellos filios tractans. Ibi ſyncera cognitio Dei, purus cultus, ardentiſſimus amor uerbi & uoluntatis Dei, ſumma & in dies creſcens admiratio operum Dei fuiſſet, ibi dulciſſimus affectus

erga

erga Deum, puriſſima Theologia, omnia plena uerita-
te, omnia plena iuſticia, ſumma uoluptas, inuocare De
um, appellare tantam & cœleſtem illam maieſtatẽ, Pa-
trem, laudare Deum, rimari, & expendere opera Dei.
Verum poſt lapſum Adæ, in illa prima, & aucta etiam,
& florenti ætate orbis, prę qua noſtri nouiſſimi tempo-
ris effœta ſenectus, podagra, & ſenilis tuſſis eſt mun-
di, apud maiorem & potentiorem partem hominum
omnia repleta idolatria, errore, & ex illo adflatu Dia-
boli nihil contemptius, nihil aſpernabilius eſſe cœpit
uero, ſancto, & ſyncero cultu Dei, ueraq; Theologia.
Nam poſt illud immane & horribile totius generis hu-
mani damnum, uera cognitio Dei, & uerbi diuini, & il
la ueſtigia paradiſiaci gymnaſij manſerunt in paucis.
Nam cum Adam poſt lapſum erigeretur rurſus, oraculo
uiuificæ promiſſionis diuinæ, de ſemine illo benedicto
Chriſto tranſmiſſum quidem eſt hoc lætum, & æternæ
conſolationis uerbum, & Euangelium ad poſteros. Sed
tamen intra parietes in angulis, tantum in familijs Pa-
triarcharum, apud Habel tantum, illud lumen Theolo
gorum, apud Noha parentem alterum generis huma-
ni, apud Sem uere magnum, uereq; auguſtum Melchi-
zedeck, quaſi margaritum precioſum, cuſtoditum, con
ſeruatumq; eſt reliquo toto Cainico, et Nimrotico mun
do & ante & poſt diluuium, inſaniente rabie infiniti er
roris, idolatriæ, abominationis, reliqua tota colluuie
hominum tumultuante bellis, cędibus, rixis, contentio
nibus, hominibus inter ſe flagrantibus uiperino plane
odio, omni genere acerbitatis & crudelitatis. Sunt ergo
reliquæ doctrinæ omnes, & Philoſophia tota, adeoq;
ipſe Decalogus, conſcriptio legum & ſtatutorum, me-

dicinæ, fomenta, ligamina, & remedia affecti, morbosi & leprosi corporis mundi, & uulnerati generis humani, quibus non opus fuisset in uita hominum, si illius lapsus, & tanti mali hæreditaria contagio non corripuisset posteros, aut si post lapsum omnes homines Habelica fide uerbum & promissionem Dei audire & retinere potuissent. Verum Theologia illa pura, est doctrina, & professio, ad quam integra natura initio condita est, ad quam creati, in cruce precio magno redempti, restaurati, & in æternũ tandem glorificandi sumus. Theologia, inquam, est illa professio, per quam Adam, Habel, Noha, Sem, & similes summi homines sub sole, cũ iam totum genus humanum esset potestati Satanę subiectum, aliquatenus in hac etiam uita ex regno mortis eluctati sunt in uitam, & è peccato & tenebris, ad originem paradisi & regni cœlestis. Proinde cum nulla sit Philosophia excellentior, nulla sapientia sublimior aut præstantior, q̃ Deum & opera eius cognoscere, omnes homines summo studio adniti, & in hoc incumbere debent, ut quamuis Iuris scientia, Medica arte, et similibus hæc uita carere non possit, tamen omnibus his rebus, & hoc toto mundo utantur, quasi non utantur, & totum uitæ cursum eò institutum & eò directum habeant, ut per studiũ uerę religionis, exercitium uerbi Dei, ad hãc primæ creationis, & cœlestis generositatis redeant originem. Sit sane Theologia, cum aucupio & occasione pecuniarũ careat, cum uentos & fumos illos mundanæ glorię nõ habeat, contemptibilis corã hominibus, at q̃ ingens & infinitus thesaurus est corã Deo. Et q̃uis ueræ Theologiæ Doctores & discipuli, siue Patriarchas, siue alios sanctos respiciamus, Habelicis perpetuo subiecti

sunt

sunt periculis (ut Satanę odium nunquam cessat) duris certaminibus, & uarijs agonibus conflictantes cum diabolo, & mundo, & quamuis impij perpetuo teneant titulum Cain, hoc est, possessoris, & regna possideant, quærant opes, fruantur uoluptatibus, habeant ingentem gloriam, & quidem prętextu iusticię persequantur Ecclesiam, ut Cain in fratrem Habel sæuiebat: Tamen omnes honesti & pij homines, præcipue adolescentes, cuiuscunq; sint ordinis, quodcunq; tandem ingrediantur studiorum iter, siue bonarum artium, siue iuris prudentiæ, hunc honorem debent habere Deo, ut sacris literis, & Theologiæ studiosis (sine qua ad finem, in quē creatus est homo, perueniri non potest) honorem summum habeant. Et nos, quibus mandatur prouincia docendi Euangelij, tametsi uocationis, & rei tantę magnitudo merito nos sollicitos detinet, ut in timore Dei res tantas administremus, tamen gratias ex corde Patri cœlesti agere debemus, quod relictis in sua cæcitate tot Epicureis, tot acerbis hostibus Euangelij & religionis, tot hypocritis, & Pharisęis superbis, tot admiratoribus obstinatis huius seculi, nobis infirmis & indignis Euangelij lucem, & aliquas tamen scintillas spiritus Christi dederit, has primitias, hunc arrabonem cœlestium bonorum & æternę uitæ, omnibus opibus, omnibus mundi regnis pluris ęstimemus. Habeant sibi suam præclaram beatitudinem, & illa gaudia, qui sine Deo, sine religione, carnalium cupiditatum rabie incitati, anhelant toti ad commoda & uoluptates huius mundi, & præ illis totam Theologiam, totumq; Euangelium non unius assis faciunt, non cassa nuce emptum sibi uelint. Quicquid sit, uel experientia ipsius mundi testatur, illos uer-

sari in incerto & lubrico, ut Christus ait: Quid prodest tandem, si unus homuncio potiatur rerũ, terra mariq; potens sit, totumq; deniq; mundum unus habeat, si animæ iacturam faciat? Ego uero hic hortor omnes pios animos, potissimum adolescentes, propter quos maxime hę pompę in Gymnasijs, ad cõmendandam dignitatem literarum & religionis adornantur, ut inde ab ineunte ætate assuefaciant se ad reuerentiam & amorem religionis, utq; de hac sanctissima professione (& si Theologi homines sint) magnifice sentiant & loquantur. Nam & secundum pręceptum Decalogi hoc postulat, ut nomen Dei ab omni creatura maximi pendatur, & adoretur: has uero prophanas uoces, tanquam uenenata spicula Satanæ fugiant, quibus Theologiæ, aut Theologorum nomen ironijs acerbis exagitatur, quę animos teneros efferare, & contemptu religionis in omnem reliquam ętatem imbuere, & ueneno Satanico incautos, ut non facile eluatur postea, inficere solent. Satis enim negocij habent, satisq; certaminis hi qui suspirijs & oratione indesinenti contendunt, ut in amore religionis maneant, tantum abest, ut non sit periculum, si quis more Cynico in risum iocumq; uertat res tantas, in quarum digna admiratione uix magnis certaminibus se retinent, imo à Deo retinentur, qui uere sunt sancti, uereq; pij.

Dixi.

DE ARTIBVS LIBERALIBVS ORATIO, à Philippo Melanchthone Tubingę habita, Anno 1517.

EGREGIA VIRTVTE VIRO IOANNI Stofflero Iustingensi, Mathematum professori, Phil. Mel. S. D.



Sermonem de liberalibus artibus habui nuper, uir clarissime, pro more istorum, qui in Philosophorum scholis rhetoricantur, eum dicare uisum est tibi, cũ quod eiusce-modi sit argumentum, quod adferere nomini ipse tuo iure queas, tum ꝙ hoc munere pietatem tibi meã probare cõtendam. Etenim debeo humanitati tuę, nõ quantũ agnosco, sed quantũ agnosse me cupio: cupio autẽ quantũ decet. Iam quę te non decent omniũ insignia laudũ, qui tot annis, tanto studio Mathematũ abstrusa recludis, qui tanto studiosos omnes, atq; adeo me fauore cõplecti, eoq; ceu stimulo ad gloriã excitare soles. Id quod sensi tacitus, cũ interpretãdi Arati munere nos onerares. nihil ardentius, nihil maiore uoluptate unq; cœpi, & spero rem casurã nõ infœliciter, modo tu adspires porrõ. Vertimus aliquantũ operis latino carmine, neq; uero quo ueteres modo, qui imitati potius ꝙ interpretati uidentur. Tu interim, dum illud absolutũ fuerit, hanc habe oratiunculam officiosi animi testem: fortasse lautiorem uoles, & magis elegantem, sed fieri nequibat, is est rerũ aceruus. Breuibus confudi plurima, & uereor ne nõ decora sit uarietas, perinde atq; id est quod Lucianus ait; κάμηλος ϕὶ ἀεγυπτίοισιμ. Vale. Tubingę.

Egregius



Gregius animi uir Plato Athenæus & sapientiæ nomine uenerabilis, in disertatione quam Etastas seu de Philosophia inscripsit, Socraten ait ingressum in Dionysi Grammatici, spectasse illic genijs elegantissimis nobiles pueros, & ex ijs fortè duos ultro accitro contendentes: Esse quædam de Anaxagoręuel Oenopidę scitis controuersa uidebantur. Sic enim in ludo illi orbes pingere, flexuras ductare, uersilibus punctis finire, & artifici manu uariegatas undiq; lineolas imitarier. Hæc, uti solebat, penito cõtemplatus animo senex, cuidam è familiaribus puerorũ adsedit, blande illum officio cubiti admonitum scitatus: Quid hoc, quod meditentur adolescentes tanto studio & cura? Num honestũ ac magnum? Continuo iste nugari, nescio quę, cognitu sublimia & quasdam Philosophias garrire. Socrates contra impudentiã demiratus hominis, contatur, num ergo turpe ducat id quod agit iuuentus philosophari. Aderat ibi quispiam non malus uir, is improbe dolens responsum Socrati, & autoritate tanta uiro, & de sapientię studijs modesta roganti, commodum interuenit: Socrati ait, mittendum hominẽ sordidum, squalentibus obrutum uoluptatibus, & indignum plane, qui cũ Philosophiæ disputatio communicetur. Prudenter ille quidem non ad omnes pertinere sacrosanctam rem, sapientiam arbitratus, ἀμύητον iure solenniũ interdixit. Idem ego propemodum acturus, num ardua res, num pulchra, num laudanda Philosophia, eos mihi auditores dari cupio, quorum ita sint affectæ mentes, ut sponte orantem sequi certent. Si quis ea barbarie, ea immanitate, ut splendore ac pulchritudine sapientiæ trahi non

possit

possit, iam relegatus esto, iam quasq; cycladas aut gyaras malis, q̃ ardentis Philosophię uultus. Neq; uero hic facundia luditur peregrina ferrugo, neq; fastus ingenij. Ipsa sese res genuina facie bonis mentibus probare solet, quo fit, ut & aperta magis ac simplex mea sit futura oratio. Artes primum dependemus administras Philosophiæ. Deinde illam ipsam quoq; si uisum fuerit, quæ maius aliquid cõmuni hominum sensu spirans, caput inter nubila cõdit: Ea est uox Dæmonij. Omnẽ isthunc locum, opinor & hoc anno, mense Iulio, concione quadam à nobis explicatũ cognostis. Hoc tum erat studio, cum è suis fontibus deriuaré artes, ut animi naturę ostenderem insita earum initia, scilicet hanc facem prima lux & quintegra mentibus humanis fœnerat. Deinde ut imperiti naturæ iudices, ut abhorrentes à ueterum historijs, qui unam gentem, aut unũ fortasse Marsyan, primitijs artium dignantur. Nam ut eadem gentibus omnibus, atq; adeo omni cœlo æqui boniq; ratio, ijdem iusti fontes, sic eadem ubiq; naturæ scientia, modo par studium accedat, & utin summa dicam, rex Iuppiter omnibus idem. Grandia hæc, tum, nec ἀπροσδιόνυσα ei loco. Sed exporrigo frontem adulescentię dicturus. Quędam iucundiora, quędam etiam clariora prioribus feram in medium. Atinterim, si quid ab humanitate uestra, optimi uiri, pietas mea, uel à uobis adulescentes nunquam non officiosa uoluntas emereri potest, quæso non solo argumenti nomine, uerum & mea ipsius causa, pari cũ cæteris Oratoribus uestris loco pari gratia habete.

Constans & uetusta fama est, natum Ioue Mercurium, quum ad Aegypti flumina puerà Nymphis aleretur, ut eratindoles festiua, per lusum iocumq; solitum

pleraq; commentari, Deas uafricie fallere, nouas artes, noua opera miranda posteris effingere. Eximia est, quę gentibus inde aliquot inter sacra fuit Lyra, id enim fabulis callido nomẽ inuento proditur. Factam aiunt è concha quã forte fortuna iam in sicco destituerat Nilus in alueum regressus: Testudiné uocant notiori uocabulo. Festiuum profecto naturæ opus. Oblongula est, ut reliqua taceam, & capite quasi in orbem sinuato, ac ob id apta manibus habendo. Quod cũ in ripa ludens puer obseruasset, utilem ratus ostraci figuram, adit propius, aridam cædit, sonat ea & nescio quid blandius, statim Deus arripit lætabundus, bene pulchræ rei sperans, pellem neruo culmis infigit, chordas adstruit septem, intendit chely, experitur cantu organon, αὐτοχειρίῳ mirator, interq; manus & brachia uersat, placetq; iam non autori tantum, sed ipsis etiam Dijs nutricibus: Cœpit esse laudatũ & selectis numinibus: Donatur Apollini. Nec longo post tempore Phœbus operam nauans hominum gratię, chelin dedit Orpheo muneri. Fuit ἐπὶ χορδῇ, Homero ac Pyndaro magnis testibus, dum Orpheus Calliopæ studio de Musarum numero duas adiiceret resticulas. Post Orphei fata, aiunt alij ad Musęum gnatum uenisse, alij fatidicam in Lesbon delatã, atq; inde à Terpandro in Aegiptum patriam, gratissima munera, diuinorum conscijs sacerdotibus. Ibi esse cœpit Aegypto sacra, quam pleræq; secutæ nationes, itidem coluere Mercurij chelin. Nomen inde factum syderi, Lyra, quo res ætati posteræ foret augustior. Hęc est Lyræ celebrata nobilitas tot gentibus, tot liberis. Quorsum uero hæc? quid de una sibi tantum Lyra placet antiquitas? Quæso mihi paulisper autem commodate,

rem

rem explicabo nõ uanus. Poetica mythos uno eodemq; iucundo inuoluchro, & populari quidem, primas artium origines, primosq; authores tenet. Mercurius Ioue natus, Iouis mens habetur ijs, qui ueteris Philosophiæ periti sunt. Lyram de testudine, non falsa mundi imagine, sic in re parua lusit natura, πολυσλαίσλαλον fecit, chordis ornauit septẽ: Est enim ille sacer habitus numerus. Septem hæ sunt artes, ut agam historica fide, supera defluxæ mente, quibus omnis naturę scientia comprehenditur. Iam & præsides Musæ totidem, quæ duę reliquę septeno choro ius omnium sibi uendicãt. Ecce Dei manu fabrefactam Lyram, ecce Deum munus, Artes. Mihi uero iam de naturæ scientia, non Dęmonij uoce res est, putoq; nostris ingenijs propria, rationis usu contingit. Ea est in oratione partim, partim in rebus. Scientia rerũ prior, sed nos uulgari more dicemus. Quæ ad sermonẽ spectant, ingeniorũ puerilium exercendi habẽtur initia. Grammatica prima, cui quoniam elementa literarũ debemus, nulla ex parte non est necessaria: quid enim attinet longius immorari palam concessæ rei, & utile mortalibus repertum, literæ, ἄσβεσοι memorię custodes, popularis regulæ sermonis, ut mittam cætera. Huic accedit proxima Dialectica, subtilis differendi ratio, nam id indicat nomen literaturæ comes, complexa quicquid hoc omne, quo se aliqua uis effert ingenij: ac si licet hoc audacius paulo, sola mihi omnium mater artium habeti posse uidetur: Tantum abest, ut dignũ docto speres, ut pectus ad sapientiam formare quouis modo queas, si Dialecticon politias, uaniſſime omnium, quisquis es contempseris. Neq; enim ille mercium pater Oceanus tantum opum, tantum diuitiarum orbi conuehit uni-

uerso, quantum artium una cyclopediæ, Dialectica. Et attingerem ex ijs aliquot, ni passim id sonarent scholæ: at si uultis tamen, ostendam usui fuisse uel summis ingenijs. Vir animi sagax Aristoteles, ut hunc nominem, in quem opinio hominum consentiens multis iam seculis conspirauit, quæso quid præstat ubiq; uel aptius uel eruditius Dialectica? potestq; illa quasi Delphico gladio, ut omnium sensa nunquam non penitissime confodiat. Inuenit, disponit, Dialecticæ debet, ipsa enim quid quæq; res, quid cuiq; cohærens, & quo ordine, pulcherrime distinctis filis notat. Iam si Platonicos huc accire datur, quantos inter illos eminet Augustinus, qui dialexi ceu Mercurij alis, ita Platonici uim animi excelsam uocant, humana superans, diuina proximus attigit. Non audio quosdam male feriatos homines, qui cum ἀγεώμμητοι & ἄμουσοι literas uulgo iactitent, hoc habent primum, ut à Dialecticis q̃ longissime absint. Age belle ridetur hæc tota fex à Socrate, non in Gorgia tantũ & Lache, sed omnibus penè dissertationibus Platonis. Habet Grammatica ut docte loquaris, hęc ut uere, ut discriminatim, ut certũ, ut solidum, quod enthymemata, syllogismi, theses, finitio, partitio commodũ exhibent. Et syncera sunt & firma, quę in hanc aleam cõueniunt, minimeq; fucata. Dędali statuas quondam suspexit antiquitas, nõ de adsciticia specie, ut Pausanias ait, sed ingenua quadam forma, cui plane γνήσιον hoc erat, admirandam referre ipso decore maiestatem, & propemodum illud melioris seculi θεῖον. Fortassis & de nostris Dialecticis tale quiddam licebit, Stoicos dico, aridi sunt ac ieiuni sermonem, fœcundi sensa: uerũ hęc aliàs. Omnino de ipso sciendi amore Dialectica inter

primores

primores artium recenseri non temere solet. Quare ualeant ἀντίτεχνοι suis complicibus, τοιοῦτον τὸ βαρβαρὸν γένος, ut cum Euripide dicam: liberum est enim cuiq; aut bonum esse aut malum. Vos qui Philosophiæ nomen dedistis adolescentes, qui boni esse, qui sapere dextræ menti, qui prodesse olim Reipub. contenditis, in elementa Dialecticæ incumbite. Nullo pharmaco magis aut uegetum aut acre, nulla harmonia reddi potest ingenium elegantius. Bias rogatus, quid esset cuiq; inter prima dulce, respondit, quid proprium. Est autem uel maxime propria homini ratiocinatio, διάλεξις, contemplatio cuiusq; diligens. Iam quæso quid eo suauius? Varium Poetę Proteum fingunt, omnium sibi rerũ uultus formasq; aptantem. Quo nimirum commento intelligentiæ nostrę metamorphosin in omnes rerum species significant. Discernit autem species rerũ unica Dialectica, perpetua & inconcussa ueri scientia. Quam uellem hæc pluribus agere liceret per horam, quo magis perspicue uobis Dialectica probaretur. Sat fuerit adiecisse, Neminem à conditis literis unquam ullo sapientum iudicio, inter candidatos studiorum cuiusq; generis censum, huius expertem. Sed aurem Cynthius uellit oranti, & admonet supereſſe Rhetoricam. Quid uero illa? Pars Dialecticæ, quosdam argumentorum locos populariter instruens. Et de Grammatica, Dialectica, Rhetorica, Logicis artibus tantum. Chordæ illæ tres in chely symphonę, Musarum trium ludus: Polymneia, cui nomen est à memoria, literas habet. Euterpe Dialecticam, quod mira sciendi cupidine rapiantur, qui in contemplatione degunt. Melpomene forum demulcens, Rhetoricam. Quæ rerum est cognitio, pendet

omnis è numeraria, quã uocant Arithmeticam. Si enim, ut uisum Platoni, aliqua rerum prima notio inserta est natura mentibus hominum, qua liceat uti, uel ad uniuersalium contemplationũ principia agnoscenda καὶ πρόληψιν, ut doctus uir Epicurus uocat, uel ad uestigandas singularium partes, quæso quæ est alia, quàm ordinis, quàm numeri regula? qua uidetur in unoquoque, quid primum, quid extremum, quid unum, quę multa. Quæ ut non temere solent magistra ferula discier, ita natura prius percepta tenemus. Laratan aiunt, quisquis ille fuit, Pythagoræ Doctor, dixisse animam numero matrem esse. uidelicet, quo significaret congenitam numerandi scientiam animis mortalium. Et licet de puerorũ rudibus ingenijs periculum facere, an non primum est, quod scire uidentur numerus, par, impar luditur, item cubus primus & postremus. Quamobrem in erudiendis pueris à numero auspicandum censet Plato, quo excultis ijs quæ natura insunt seminarijs, recipi cætera promptius queant. Et Pythagoras omnẽ philosophandi rationem è natura mentis humanę cognatoq; studio deriuans, principia Philosophiæ numeros posuit. Tum qui præstitere quondam sapientia magni uiri, ἀριθμεῖν numerare, pro philosophari dixerunt. Abenzoar nosse inquit omnia, qui sciat numerare. Et Neocli Plato quærenti, cur homo sapientissimũ animal, respondit, quoniam numeros calleat. Iam quæ archana uenati maiores è pari ac impari, quæ sublimia ex uno, duobus, tribus, quatuor, quinq;, sex, septem, & rursum ex horum congressibus, dies defecerit explicare conantem. Accedunt ad numeros literæ, sortes, ænigmata, nomismata, & huiusce modi non paucę commerciorum notæ. Nec

est ut

est ut Syros aut Phœnicas memorem uobis authores numeri. Eadem generi hominum ratio idem hoc ubiq; præstat, ut signet, discernat, iudicet, quæ usuræ ueniunt è numeraria. Sequuntur eam ponderum ac magnitudinum mensuræ, planæ, solidæq; figuræ, æqua, iniqua proportio, quæ ferè capita Geometriæ sunt. Hinc admirandæ hominum generi machinæ, acut Eudoxi, Archytę, Mænechmi, Archimedis, Boetij automata prætereã, quantum bombarda, nostrate inuentum, bellicis contulit? Addo Plasticen, & quę nascitur è perspectiuis Picturam, utrunq; ciuitatum uel pulcherrimum ornamentũ. Huius generis sunt celandi, scalpendi artes, & inter eas Calcographica, æreęq; Germanorum scribendi formulæ. Hic artium nexus, hæc origo mechanicon duabus principibus artibus Arithmetica & Geometria, hic usus est utriusq; per tot manuarias operas. Quod si ad animũ transferas, Dij boni, quæ suauitas, quod nectar offunditur contemplanti, imò quæ lux sese ex illo rerum chaos aperiet: ist hæc mentem sensilibus hærentem, auellit seducitq; ad intelligibilem æternamq; naturam. Sic Plato ἀριθμεῖν philosophari, & θεὸν ἀεὶ γεωμετρεῖν cõmodum afficta notatione dixit, id est, semper æternam ueri naturam intelligendo uersare. De Arithmetica Geometriaq; obiter: in colophone ac fastigio artium, Musica & Astronomia locantur. Age quid Musica laudatius? elegantis ea harmoniæ ratio, siue organicam, siue naturalem uelis. Insignis utraq; honore poematũ, id quod alia sum acturus oratione. Plerisq; gratior Musica orbe artium aliarum, quod hęc ad contemplationẽ pariter moresq; conferunt. Erigunt aliæ ad cœlestia mentes nostras, hęc una cœlo superos ad humana deducit: quo argumento

ueteres

ueteres arbitror musica signa passim Deum statuis appendisse, quasi illis Dij conciliati nobiscum uersentur. Confert moribus, ꝙ nulla res familiarior tranquillandis animantiũ affectibus. Scitis de Orphei Lyra quid & quæ Pythagoreę gentis instituta fuerint, ᾠδαῖς χρῆσθαι πρὸς λύραν. Ex ea factiõe Clinia celebris uir, modestissime usus disciplina magistri, quoties animo turbabatur quacunꝙ causa, statim ad Lyram properabat: rogatus aliquoties, quid hoc? nihil respondit præter hanc uocula πρᾴυνομαι. Atꝙ hi sunt proprie Musarum soni, qui ad honestam uitæ constitutionem, qui ad uirtutem pertinent: Succedunt Musicę saltatorię artes, Arcadum inuenta, sed longior est res, ꝙ à nobis agi modo possit. Reliqua cyclopedęę Astronomia est, numeros, magnitudines, motus, harmoniam, id est compagem superi atꝙ inferi orbis, dimensa, syderum effectiones ac influxum complexa, Medicinæ parens, fati conscia. Arithmetica, Geometria harmonica ancillarijs disciplinis communiter utitur. Longius hanc quadruuij seriem duxissem, sed hora deficimus, agitꝙ rem eam publicis scholis quotidie Iohannes Stoffler Philosophus, autoritate, fide, literisꝙ Mathematum uenerabilis. At hæ quatuor artes, quatuor item in Lyra Mercurij chordulæ, suum quæꝙ stridens, prima se Terpsichorę debet, ordinis ac numeri artifici, habet enim à choris nomen Dea. Secunda Thalię, quoniam floreat exculta γεωμετρῶν commodis uita. Musicam Erato iucunda regit affectio. Eminet inter socias clarissima in Homericę Dianę modum Vrania, principem astrorum scientiam decora referens. Septem chordas numerari adulescentes audistis, nec discretę Lyra uoces redduntur, plures quatuor, tres orationis

tionis funiculi communes quadruuio. Quatuor aliæ chordæ rebus suis discrepant. Non confingo licenter hęc auditores, ut illi Atticorum κορυπλάθοι: Platonicis quoq; ueteribus ratio sapiendi talis fuit, autore Plutarcho. Et de quaterno Lyrę systemate quę disputaui, Tetpandri sunt, ait ille:

ἡμεῖς τοι τετράχορδον ἀποστέψαντες ἀοιδὴν
ἑπτατόνῳ φόρμιγγι νέας μελισδήσομεν ὕμνους.

Septena iam forte chely noua carmina uatem,
Quatuor & distincta modis panxisse iuuabit.

Iam ne, quę Mercurij sit Lyra tenetis, quot chordę, quot artes? Et Musas artium præsides appellare sum solitus. Illęuero quid? Congenitus hominum animis ardor & strenua sciendi cupido. Testis antiquissimus uates Orpheus, qui Musas hymno canens, inquit:

πάσης παιδείης ἀρετὴν γεννῶσαι ἄμεμπτον
θρέπτεσθαι ψυχῆς, διανοίας ὀρθοδότειραι.

Hoc est, si uenerandam Orphei maiestatem carmine licet nostro imitemur:

Munera uestra Deę uirtus & gloria uerax,
Quasq; artes agit humanæ uis feruida mentis,
Vos animi dulces etiam ueneramur alumnas
Aeternum recti quibus inseuistis amorem.

Censæ artium numero Musæ septem, duæ supersunt, Cleio & Calliope, quibus æquum in omnes literas ius: historię Cleio, Calliopen poemati præficimus. Omnis generis scripta usurpant historia & poema, nec alij maiori fruge opera ue leguntur authores, q̃ Historici ac Poetæ. Adulescentes animos è uulgarium studiorũ sorde euellunt, locoq; referunt excelso, iam uiris digna spirantes. De Artibus hactenus, quæ organa sunt, & quasi

quædam præludia magnę illius Dijs genitæ sapientiæ, quibus instructæ mentes hominum, Dei numen cœlis demissum excipere queant. Nec fas puto de illa plura commentari, quisq; secum bonus uir anxie cogitet, quæ illi γνησίη ἀλύμποιο, ut Callimachus ait: Ipsa est quæ in medio artium choro cõmunis omnibus desidit, omniũ rerum certa scientia. Sic Apollinem prudens antiquitas in medijs Musis pinxit uniuersitatem omnem cithara temperantem, ut est apud Orpheum:

πάντα πόλου κιθαρῇ πολυκερκίσ[ω] Αρμόζ[ει].

Capita artium, nomenq; τῆς σοφίας, ut licuit, breuissime attigi, nõ in hoc uersatus, ut magnifice laudarem. Egregie nobilis pictor Timanthes Cyclopem in tabula, uti ferunt, breuicula dormientem delineauit, eius cũ esset magnitudinem expressurus, iuxta Satyros thyrso pollicem monstri dimetientes fecit. Quomodo nos angustis ingenijs homines ingentia molimur, Philosophię laudes, nec ferè nisi dormientis sapientiæ oras cõtingimus. Equidem cum temperarem mihi à laudibus, quas multi multas ineptissime effutire solent, hoc egi tantum, ut q̃ honestæ res essent artes, quippe sacræ, intelligeretis. Tum ut admonerem iuuentutem, easdem Musas esse, quas hodie uocant artes. Proba ratio est, cur uelim adulescentes hoc omnes rectissime norint. Passim prostant Musę in poematis, uitio indoctorum interpretum, qui rem multo dignam studio negligunt, & quantum conijcio, iuuentæ operas uani distinent. Idem Mercurius est pueri, qui animus nobis, & ὄντος ὄντως ὁ σοφός. Eadem Musæ, deinde & eadem chordę, quę artes, animi cum habitu suo consonantia, Lyræ harmonia. Iam quis est è uobis, qui non harum rerum honestate capiatur? Con-

ueniebat

ueniebat fortasse ut inhortarer uos ad uirtutem, sed uestra iam sponte currentes. Agite exempla uobis magnorum hominum, qui me circumsidunt capite, agite intenti spem patriæ longe pulcherrimã, ante oculos, ipsumq; animi sensum ponite, quo nihil esse optandum uobis, nihil contendendum, præter honestas literas, præter uirtutem cognoscatis. Nullis delicijs, nullo errore hominum, regia uia excedite: nulla uos cupido auellat infamis à uirtute. Infamem adpello, quæ aliena sit à studijs literarum, atq; ab ijs, quibus addicti sacris omnes estis. Eleganter admonet dialogo Lucianus, qui fluctus illi abhorrentes à uirtute Musisq; : eum quando Caspar Currer, bonorum studiorum amantissimus iuuenis, Latinum fecit, haud grauatim referã. Iucunda est fabula. Sic enim Venus natum compellat: Quid ò Cupido cæteros Deos subegisti omnes, Iouem, Neptunum, Apollinem, Iunonem, matremq; ipsam me, sola uero abstinues Pallade, ac aduersum istam nulli facularum ignes, uacua telis pharetra, tu denicq; inermis arcu pilisq; cares? CVP. Pertimesco ipsam mater, horrenda est enim, actorua aspectu, admodumq; uirilis. Itaq; quoties intento eam arcu iaculoq; peto, cõcussa me galea excutit, exterret, caduntq; manibus continuo sagittæ. VEN. An non erat hac Mars formidabilior? & hunc tamen armis spoliatum expugnasti. CVP. Imò ille lubens me recipit, inuitatq;. Minerua uero obductis supercilijs obseruat semper. Ad eam si quando aduolaui temere, faciebus aduolutis, ait ista: Per Iouem, si me puer adortus fueris, te transfodiam, aut arreptum pede in tartara conijciam, uel ipsa te dilanians discerpam. Tum acribus intuetur oculis, & circum pectus gestat imaginunculam

quandam uiperis capillorum uice comatam. Hanc uehementer equidé formido, perterret enim me, fugioq; quoties adſpecto. VEN. At qui Mineruam quidem metuis, atq; huius geſtamen gorgona, qui Iouis fulmé non expaueſcas? Dein autem Muſæ cur nullis queunt abs te uulneribus confici, ſuntq; quod aiunt, extra tela, num galeas & hæ incutiunt, aut gorgonas obiiciunt? CVP. Ipſas ego reuereor mater, caſtæ ſunt, & ſemper aliquid curę molientes, cõtinuo cantu occupatæ. Sæpe igitur adſum illis ſuauitate carminis delinitus. VEN. Sinito & illas, quod uenerandę ſint ſcilicet: Dianam cur non uulneras? CVP. In ſumma nequaquam poſſibile eſt adſequi eam, ſemper per montes fugientem, quin illa ſuo quodam flagrat cupidine. VEN. Quo gnate? CVP. Venatu quidem ceruorũ ac hinnulorum, quos inſectatur ut capiat, ac iaculo figat, ac prorſum tota rerũ eiuſmodi ſtudio tenetur, tametſi fratrem eius iaculo potentem, ac eminus ferire ſolitum. VEN. Scio gnate, ſæpenumero arma expertum tua. Hæc fabula eſt profutura moribus ueſtris, ſi frequentem animo agitaueritis: Sic enim & nugę ſeria ducent.

Dixi.



Sermo

SERMO HABITVS APVD IVVENtutem Academiæ Vittenbergensis, de corrigendis Adulescentiæ studijs, Authore Phil. Mel.

EXIMIA PIETATE AC DOCTRINAE uiro, Domino Othoni Beckman, Iurisconsulto, Canonico Vuitenberg. Philippus Melanchthon D. S.

NOn parum refert ad uitæ tuendæ rationes, quo genere literarum rudis ætas initio formetur, cum ob alia multa, tum hoc maxime, ꝙ nihil efficacius est ad mutanda ingenia, moresq; hominum literis: Nam ferè semper talis est unusquisq;, qualem studia faciunt. Nec mihi bonę literæ, nisi quæ mentis bonæ sunt, uidentur. Itaq; præstat optimis iuuentutem erudiri, mores enim optimos optimę literæ conferunt. At uideas hodie passim in Germania tale quoddam genus iuuenilium studiorum tractari, quod non modo sit ad omnem reliquam uitam inutile, sed omnino etiam pernicioſum. Etenim deserta pædia quibus nescio nugis ingenia cæterum fœlicia occupatur ac franguntur, Philosophiam ipsi uocant. Non hoc dico, quo à Philosophia studios auocem, sed hunc philosophandi ordinem ac dustum nō probo. Nec enim angustis adeo finibus circunscripta est Philosophia, ut philosophari nihil aliud sit quàm nugari. Maxima eius pars contempta iacet, ea uidelicet

delicet, quæ sola humanitatis nomine maioribus nostris digna uisa est. Aduleſcens quiſpiam ad Xenocratē adductus, percipiendę Philoſophiæ gratia, cum nondum quidquam cyclicorum attigiſſet, ſapientiæ ſacris prohibitus eſt. Sic enim ait Xenocrates:

Οὗτος πῦ ἐμῦ πόκος οὐ κναφθήσετ.

O nos fœlices, ſi recta ſtudia deum fauore renaſcantur, quæ iam ferè caput exerere in Saxonibus cœperunt. Proinde iuuentutem noſtram ſermone nuper habito inhortatus ſum, ut ad bonas literas lętis animis adſpiret. Atq; hoc unum egi paucis, ut intelligat quæ nam ſit Barbaricorum, quę bonorum ſtudiorum ratio. Neq; dubito, cui ſatis utrunq; genus cognitum eſt, conaturum totis uiribus, ut ea parte præſtet, quæ & optima eſt, & ab optimis probatur. Quæ enim ueſania fuerit, immenſo labore, cura, nugas emere? Orationem tuo nomini Orthodoctiſsime dedico δόσιμ ὀλίγυντε φίλάντε. Debemus enim tibi, quicunq; literas profitemur, atque adeo ego multis ſanè nominibus, quem pluribus quotidie ſoles officijs cumulare. Hoc igitur munus qualecunq; eſt, ſi de animo ęſtimes meo, ampliſſimum ac pulcherrimum accepiſti. Vale. Vuittembergæ Menſe Octobri, Anno 1518.

Næ ego

NAE ego plane uidear impudens, atq; mei prorsum oblitus, in hoc cœtu Mag. D. Rect. Eximij Principes Academię dicturus, quem cum alias & ingenium & umbratile studiorum genus ab huiusmodi theatris, & hac plausibili Oratorum quasi curia auocet, abstertere modo cum primis rei quam acturus sum difficultas potuit, ni me cum pietas in recta studia, tum officij mei rationes inhortentur, quo bonas literas ac renascentes Musas, quam quòd maxime commendatas uobis uniuersis uelim. Illarum enim causam suscepi tutandam, aduersus eos, qui uulgo sibi in scholis doctorum titulos ac premia, Barbari barbaris artibus, hoc est, ui & fraude arrogarunt, & hactenus ferè malicios is ingenijs homines retinent. Germanicam iuuentutem paulo superioribus annis alicubi conatam in hoc fœlix certamen literarum descendere, iam nunc quoq; non pauci, uelut è medio cursu, commento plusquam Thracio reuocant: Difficilius esse studium literarum renascentium, quàm utilius: Græca à quibusdam male feriatis ingenijs arripi, ac ad ostentationē parari: Dubiæ fidei Hebræa esse: Interim à genuino literas cultu perire: Philosophiam desertum iri, & id genus reliquis conuicijs. Cum isto grege in doctorum congressuro, quis non intelligat uel Herculi non uno Theseo opus esse? Adeo suscepto negocio non parum æquo dicat audacior. Vt interim fieam uix posse hanc à me prouinciam administrari, citra modestiæ periculum, qua dispeream, si quid unquá rerum humanarū prius duxi. Ardeo enim amore recti, & quum studia uestra uehementer iuuari aduleſcentes cupiam, fiet ut quędam liberius q̄ isti uolent, dicam. At

quando

quando me huc siue ratio (ita enim uideor mihi) siue casus aliquis impulit, uolo hanc mecũ, Clarissimi uiri, causam habere uos cõmunem, quorum industria, consiliis operaq; fit, ut passim à situ & squalore adserantur literæ, natiuumq; nitorem ubiq; recepturæ sperentur. Placuit igitur paucis commonere iuuentutem illustris Academiæ nostræ, ut quantum ad summam præclari instituti uestri attinet, intelligat, quæ sit renascentium studiorum ratio, quæ illorum quæ Barbari maiores nostri è Scotis in Galliam, è Gallis in Germaniam inuexerunt, ut ordine ac ductu generis utriusq; cognito, ipsi iudicetis, utrum maiore commodo, periculo minore, liceat amplecti. Adq; id hoc omnis oratio mea incumbet, uti spem uobis elegantis literaturæ (de Græca & Latina loquor) faciam. Scio enim in ipso iam uestibulo pleroscq; nouitate rei, si nõ deterreri, certe angi. Præstabat autem orationis argumentum, & quasi filum, ab ipsis studiorũ fontibus, & omnium seculorũ literatis institutis ducere; sed ea scenę alterius erunt. Iam quod attinet, breuibus Barbara studia cum synceris committam, docebo quibus auspicijs Latina discenda sint, & Græca tentanda. Interim quæso dicentem benigni audite, id quod à uobis uel singulare meum erga uos studium, uel ipsa literarum dignitas impetrabit.

Annis ab hinc opinor octingentis, orbe prope uniuerso à Gotthis commoto, & à Longobardis deuastata Italia, simul cum Romano imperio Romanę literę sunt intermortuæ, quod unà belli furor & bibliothecas exciderat, & Musas ocio, ita ut fit, negato extinxerat. Scitis enim q̃ non conueniat cum sapientiæ studijs, atq; adeo ciuilium rerum cultu Marti, quem fingit Homerus no-

ster cum

ſter cũ Pallade acerbis odijs conflictantem, μαινόμενον, ut ipſe ait, τυκτὸν κακόν, quo fere tempore Gregorius, quem iſti Magnũ, ego præſultorem καὶ λαλέχον Theologiæ pereuntis uoco, cæterũ eximia uir pietate, Romanam Eccleſiam adminiſtrauit, & infœliciſſimi ſeculi caſum, quoad potuit, docendo ſcribendoq; ſuſtinuit. Sub id ætatis nemo, ut uidetur, noſtrorum hominum fuit, qui aliquid inſigne ſcriptum ad poſteros dederit. Verũ hactenus in Scotis atque Hibernis literas diuturna pax aluerat, clarebantq; hi cum alijs quibuſdam, tum maxime uenerabili Beda, Græce & Latine haud uulgariter perito: adhæc in Philoſophia, Mathematicis, ſacris ſic erudito, ut cum ueteſtis quoq; conferri poſſet. Interim frigebat Italia, frigebat Gallia. Germania ut ſemper armis & literis inſtructior erat, eaq; tum potiſſimum in Italia ſæuiebãt: nondum enim uniuerſa Chriſtum profitebatur. In hunc rerum ſtatum Carolus natus, cum fines Romani imperij pacaſſet, ad inſtaurandas literas animum adiecit. Nam & ipſe præter multarum rerum cognitionem, pleraſq; diſciplinas, quæ ſcholis debent, expeditas & compertas habebat. Alcuinum ex Anglia in Gallos duxit, quo authore, Pariſij literas profiteri cœperunt, auſpicio certe læto. Nam puræ adhuc erant, & accedebat Græcarum rerum mediocris peritia. Ea nobis ætas Hugones, Richardos, & alios non peſſimos ſcriptores ædidit. Philoſophia, non uti nunc, ex Ariſtotele petebatur, ſed totam ſibi adſeruerant Mathemata, quæ magnæ curę tum literati omnes habebant, id quod indicant ueteres Monachorum diui Benedicti bibliothecæ: è quibus nemo clarus extitit, qui non opere Mathematico ſit eruditionem ſuam egregie teſtatus. Deinde

usu res acta est, incidetuntq; homines quidam, siue libidine ingeniorum, siue amore litium ducti, in Aristotelem, eumq; mancum, & lacerum, & qui alioqui Græcis obscurus, κὰι τὸ λοξίαν similis uidetur, Latine sic redditum, ut etiam Sibyllæ furentis coniecturas exerceret: Huc tamen incauti homines impegerunt. Sensim neglectę meliores disciplinę, eruditione Greca excidimus, omnino pro bonis non bona doceri cœpta. Hinc prodiere Thomæ, Scoti, Durandi, Seraphici, Cherubici, & reliqui proles numerosior Cadmea sobole. Accedit insuper, quod non solum cõtempti ueteres studio nouorum, sed omnino si qui in eam supererant ætatem, ceu in Lethen ablegati perierunt, ut dubites num alia re argutiarum authores plus nocuerint, quàm quecordes tot millia ueterum scriptorum ad internicionem usque aboleri passi sunt. Talibus deinde semel iuris diuini ac humani potestas facta est, ex horum decretis iuuentus erudiebatur. Proinde in scientiam Iuris ac rem Medicã pariter posthac sæuitum est: Oportebat enim similem præceptoribus discipulum esse, ut aiunt uulgo κακὸς κόραξ κακὸν ὠόν. Hæc ratio studiorum annos circiter trecentos in Anglia, in Gallijs, in Germania regnauit, ut ne quid interim dicam immodestius. Quàm pernicio sa, conijcere licet propemodum ex his quæ dixi, atq; ut plane intelligatis, animum aduortite. Primum, desertis ueterum disciplinis, quando audax ista commentandi & philosophandi ratio inualuit, simul Græca contempta, Mathematica deserta, Sacra negligentius culta sunt. Quo malo, quæ sæuior pestis esse potuit? Certe nulla uulgarior unquã fuit. Nam cum ad eam usq; ætatem, & Philosophia tota Græca fuisset, & sacrorum Latinæ

tinæ literæ, præter Cyprianum, Hilarium, Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, nullæ insignes extarent, & Græcorum usum uernaculum sacra Occidentis magna ex parte eatenus habuissent, fieri non potuit, quin Græcis contemptis, unà quidquid commodi studijs humanis Philosophia confert, confert autẽ longe plurimũ, deinde cura sacrorum sensim interiret. Hic casus uere Christianos Ecclesię ritus ac mores, ille studia literarum labefactauit. Aequius forsan alterius ruina ferri potuit. Nam & lapsantes literas, incorrupti Ecclesię ritus, facile instaurare poterant, & bonis literis, si quæ saluæ mansissent, liberum erat, ruinosos Ecclesiæ mores corrigere, animos hominum iacentes excitare, confirmare, & in ordinem cogere. At uero siue fato, siue nostro uitio euenit, simul bonę literę nõ bonis, prisca pietas ceremonijs, hominum traditionibus, constitutionibus, decretis, capitulis, extrauagationibus, glossis δευτερώτων mutata est. Neq; retulit quod Nicena Synodo Patres tam prudenter cauerunt, τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατέτω. Audacius hęc uideat alicui, & ex usu uel ætatis uel studiorum meorũ: uerũ, ut sic dicam, res uestrę, ingenui iuuenes, postulant, Nam ut quidam segnius cum bonis artibus in gratiam redeant, nimirum in causa est, quod nondum quisquã eos libere admonuit. Iam igitur cognoscite, quę nam sit illa Barbarorum commentandi ratio, quæ è quibus manarit fontibus audistis. Artiũ genera omnino tria sunt, λογικὸν, φυσικὸν, προφητικὸν. Logicum uim omnem ac discrimina sermonis tractat, & cum peripsum in illa superiora sit iter, primum formandę pueritię rudimentum est, literas docet, proprietatem sermonis aut regulis adstringit, aut collatis autorum figuris, indicat quid

obſerues, id quod ferè Grammatica præſtat. Deinde cum paulo progreſſus fueris, iudicium animis comparat, quo metas rerum, ortus, fines, ductum, ſic agnoſcas, ut ſicubi quid inciderit exacte tractandum, omnia quę ad inſtitutum pertinent, quaſi in numerato habeas, & artis adminiculis ita ſenſus auditorum capias, ut diſſentire temere non queant. Hę partes illius ſunt, quam nos Dialecticam, alij Rhetoricā uocant: Nominibus enim uariant authores, quum ars eadem ſit. Atq; hic docendi ordo quondam fuit, quum uigerent adhuc literę, donec in bullatos quoſdam Magiſtros incidimus, qui ſciſtis qua mole commentariorum Grammatica primum oppreſſerant. Sed quando ea reuixerunt, de Dialecticis uideamus, quę adhuc ex Tartaretis, Bricot, Peruerſore, Eckijs, Copulatis burſę montis, Exercitijs taurinis & caninis, & alijs huius farinæ petimus. Licet hac parte mihi liberius agere, nam & ijſdem ego annos iam ſex perpetuos pene detritus ſum. Et quum rem probe meditatam habeam, non erit difficile mihi ſuis eam coloribus pingere, ac declarare, nō eſſe διαλεκτικὰ, quę iſti amuſi, inſcitiæ Magiſtri profitentur. Primum Dialectica, ut dixi, methodus quædam eſt omnium quęſtionum compendiaria, διωκτικὴ τέχνη καὶ διακριτικὴ: qua conſtat ordo & iudicium cuiuſq; rei tractandæ, ut in quoque uideamus, quid, quantum, quale, quur, quomodo: Si ſimplex ſit, ſin complexum, uerum ne an falſum. Simplicium diſcrimina, notionesq; iſti per loca ſenta ſitu cogunt, noctemq; profundam. Complexorum doctrinę, quas tenebras nō offuderunt argutijs? Quales ſunt: Genus eſt ſpecies, Nullus & nemo mordent ſe in ſacco, Pariſijs & Romæ uenditur piper. Arcent foro ſuo quę non

aſſequun-

assequuntur. Librum κατηγοριῶν aiunt Dialecticę tabu lis non censeri, quum inde omne artificium inueniendi, ceu è fonte fluat, & κατηγορίαι nō sint nisi μέλη & quędam simplicium. Et hic argutantur: Num singula genera generalis. realiter (ut uocant) discrepent, atq; de eo nondum inter Scotistas ipsos conuenit, multo minus cū factionis diuersæ nominibus. Analytica posteriora, cum sint disponendi series, ac ut Simplicius Peripateticus ait, canon ac amussis artificiosę disputationis inter Metaphysica nostri retulerunt, Nempe quo rem per se non admodum difficilem, ac mire utilem studijs honeste tractandis, & difficilem & inutilem redderent. Hoccine est illud docere quod iactant? Hæccine sunt sine quibus pensum arti cuiq; suum reddi nequit? Hęccine sunt, quæ tam splendidis Philosophię titulis auctionantur? At quanto minoris didicissent recte sapere, q; desipere. Sed cohibeo animum, ne quem uel bonorum nimia libertas offendat. Vos à me adulescentes hoc unum agi putetis, utilius quàm quod olim tractabant, studium uideri renascentium literarum. Equidem aliquot noui recti iudicij uiros, quibus cum sæpe rem eandem contuli, prorsum nostræ sententiæ, omnibus calculis adstipulantes. Amicus mihi quispiam est non uulgaris, sub quo primum puer præceptore in Sueuis Tubingę, Dialecticis merui annum unum aut alterum, hactenus ut fratre semper familiaris. usus, Franciscus Stadianus, eruditione ac uitę genere tali, ut à bonis ac doctis omnibus certatim diligi mereatur: Is Analytica posteriora Sueuicę iuuentuti anno superiore prælecturus, à nobis Themistij libellos, quos Latine reddidit Hermolaus, accepit. Addidi quędam è Philopono transcripta,

neq; enim Græca omnia satis mihi probantur. Admonui insuper illic ab Aristotele Rhetorica doceri. Legit, re legitq;, & quo est iudicio, protinus ad scopum aduortit animum, ibi re penitus cognita, & pro fœlicitate ingenij sui aucta illustrataq;, tot notabilibus, acceptionibus, distinctionibus exauctoratis, causam integram, ueluti recuperatorio iudicio restituit, scholę simpliciter ac candide summam rei τὸ ἄλφα ἰῶ traditurus. Adhęc male precatus nugis, obnixe à me contendit, Aristoteli purgando socias manus adijcerem: Conaturum omnia sese pro uiribus, uti artium elementa uindicta Barbarorũ liberarentur. Primi nominis studia, à sordibus recipi non posse, nisi purgatis adulescentię rudimentis. Id fere quenq; in summis posse, quod in infimis assueuerit. In summa, omnia sibi de grandioribus polliceri, si exercendę iuuentę ratio melior iniretur. Placuit amici consiliũ, & negocium unà literarium suscepimus, Dij reliqua secundent. Nunc quęso uos quanti facitis huius uiri iudicium, cum in alijs disciplinis οὐ πρέσγως, tum in hoc genere summa cum laude annos opinor decem uersati? Hoc egero uobiscum teste, atq; eo sanè iurato, non esse in his uulgatis stromatis, quod probari cuiquam prętet personatos quosdam professores, γαλὸς μᾶλλον ἢ φιλοσόφους, queat. Iratas habeam Musas, ni hęc ita damnem, ut pro eis meliora fœlicioraq; uos amplecti uelim. Alioqui liberum per me cuiq; fuerit, quorsum uel usus uocat, uel ingenium trahit sequi. Sat scio nullum fuisse seculum, neq; Grecorum neq; Latinorum, quod non sit egregie nugatum philosophando, ueteres aliquanto q; noui fœlicius. Quare afferas ad ea studia, oportet, animum acrem & curam, deinde Magistrum adhibeas boni iudicij

ni iudicij, qui seligat quænam & quatenus discenda sint. Dolet enim sanis esse qui persuaserunt sibi, nisi hęc nugalia didicerimus, non fore ex usu, quidquid studiorum affectemus. Modestus uir Socrates erat, qui cum opinione sapientię uulgo coleretur, dicebat, hoc unum se scire, quod nihil sciret: illi contra hoc unum nesciunt, quod nihil sciunt. Atq; utinam fœliciter eos aliquando ἐρωτᾷς ὁ λόγιος uirga sua demulceat ut expergefiant, ut desipere se agnoscant. Vt euagarer longius, ipsa me rei indignitas perpulit. Volo enim fidem studiosis factã, aliud quoddam literarum genus utilius esse, quàm sit quod Copulata iactãt, atq; hęc in Rhetoricis nostris longius. Quin uideamus, & hoc facile nesit, hac enim se commendatione diuendunt: quasi uero angustis adeo finibus contenta uirtus esse debeat, ut quod cuiq; procliue sit aggredi, continuo idem honestum sit. Quantum ætatis homini datum est, nedum adulescentiam, insumunt, ut Euripos omnes, sic enim Nazanzenus uocat, Aristotelicos exhauriant, id quod nescio an unquam alicui cõtigerit. Subinde enim quod exhauritur influit, fœlicius id quidem quàm quod de Danaidum dolijs ferunt. Adde quod cum se ueri scientiam meditari gloriantur, plurimũ operę fallaciis nectendisq; dolis linguę nauant, ut festiuiter ludit Isocrates cũ ait: Οἱ προαποσυλῶντες μὲν τὴν ἀλήθειαν ζητοῦσιν, οὐθὲν δ' οἷς ἀρχῇ τῶν ἐπαγγελμάτων, ψευδῆ λέγειν ἐπιχειροῦσιν. Deinde ex tot factionum diuersis opinionibus, uix unam aut alteram, quę sibi constet, reperias. Solent enim, ut ex ueteribus Theologis quidam primi nominis dixit, in omni humano dogmate falsis uera, ueris falsa miscere, καὶ τ' ἀληθῆ τοῖς ψεύδεσιν ἐγκρύπτειν, ut Dionysij uerbis utar.

Ibi uero

Ibi uero quanto agas negocio, quibus auditorem perfugijs trahas, dum ſententię Doctoris inter ſe conueniant, nimirum ut candida nigris: at nil refert, cadat, an recto ſtet fabula talo, modo clamatum ſit fortiter. Quanto ſatius erat hic uel τὸ ἐπέχειν nouæ Academiæ amplecti. Vereor ne moleſtũ ſit uobis audire tam inconditas nugas, alioquin exemplis hęc comprobarem non paucis. Interim partium ſtudijs diſceditur, aluntur odia, friget humanitas, & cum à literis nihil abeſſe debeat longius rancore, nam communia erant Muſis & Gratijs quondam ſacra, horum ſtudia, quęcunq; ſunt, uel ſola nutrit inuidia. Sic imbuti, quum ad ſublimia, Theologiam, Iuris ſcientiam, aut rem medicam, effœtis iam annis pedem mouent, quid aliud defectis ingenij uiribus, quàm quod in ludo conſueuerunt, agant? Nugantur ergo bis pueri ſenes, quanquam ſi cui paulo fœlicior eſt genius luſiſſe pudet, ſed nõ incidere ludum. Porro uobis Adoleſcentibus ueſtram gratulor fœlicitatẽ, quibus benignitate optimi ac ſapientiſſimi Principis noſtri Friderici, Ducis Saxoniæ, Electoris, contigit longe ſalubertimis eruditi: fontes ipſos artium ex optimis authoribus hauritis. Hic natiuum ac ſyncerum Ariſtotelem, ille Quintilianum Rhetorem, hic Plinium tantum non ditiſſimũ pædęę, acueluti quoddam copiæ cornu, ille argutias, ſed arte temperatas docet. Accedunt ſine quibus nemo poteſt eruditus cenſeri, Mathematica, item Poemata, Oratores, profeſſoribus non proletarijs. Hęc ſi cognoueritis quo ordine tractanda ſint, certo ſcio, & facilia, & admirandi profectus uidebuntur. Puerilia ſtudia quę appellant προγυμνάσματα, Grammatica, Dialectica, Rhetorica eatenus diſcenda ſunt, qua ad dicendũ ac iudicandum

dicandum instructus, fastigia studiorum nō temere affectes. Iungendæ Græcę literæ Latinis, ut Philosophos, Theologos, Historicos, Oratores, Poetas lecturus, quaqua te uortas, tem ipsam adsequare, non umbram rerū, uelut Ixion cum Iunone cōgressurus, in nubem incidit. Hoc quasi uiatico comparato, per cōpendia ἡ ἐντεῦθεν, ut Plato ait, Philosophiam accede. Nam in ea sum plane sententia, ut qui uelit insigne aliquid, uel in sacris, uel foro conari, parum effecturum, ni animum antea humanis disciplinis (sic enim Philosophiam uoco) prudenter, & quantum satis est, exercuerit. Nolo autem philosophando quenquam nugari, ita enim fit, ut communis etiam sensus tandem obliuiscare. Sed ex optimis optima selige, eaq; cum ad scientiam naturæ, tum ad mores formandos attinentia. In primis hic eruditione Græca opus est, quæ naturę scientiam uniuersam complectitur, ut de moribus apposite ac copiose dicere queas. Plurimum ualent Aristotelis Moralia, Leges Platonis, Poetæ, atque ij sane, qui & optimi sunt, & in hoc legi possunt, ut animos erudiant. Homerus Græcis fons omnium disciplinarum, Vergilius ac Horatius Latinis. Necessaria est omnino ad hanc rem historia, cui si ausim, me hercle non inuitus uni contulero, quidquid emeretur laudum uniuersus artium orbis. Hæc quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non, plenius ac melius Chrysippo & Crantore dicit. Hac nulla uitæ pars, neq; publica, neq; priuata uacare potest. Huic administratio rerum urbanarum domesticarumq; debet. Ac nescio an minore incommodo mundus hic noster sole, animo uidelicet suo caritus sit, quàm historia, ciuilium negociorum ratio. Consensu maiorum nostro-

rum celebratum est, Musas ex memoria natas esse. Eo, ni fallor, significatum, ex historia omne artium genus manare. Complector ergo Philosophiæ nomine scientiam naturæ, morum rationes, & exempla. Quibus qui recte imbutus fuerit, ille uiam sibi ad summa munijt. Causas acturus habebit unde diuitem rerum ac amplam orationem condat: Ciuitatem administraturus, unde æqui, boni, iusti formulas petat. Nimirũ hæc Philosophiæ commoda Demostheni clarissimo Oratori uisa sunt, quur tam accurate eam adulescenti cuidam commendarit: νόμιζε δέ. reliqua ipsi in Erotico legite. M. Cicero nusquam non dedit Philosophiæ primas, & audistis opinor, quid ille in comparatione Seruij Sulpicij, & Q. Scæuolæ Iurisconsulti quendam σοφόν Romani cognominarunt, admirati uberé in eo Philosophicarũ rerũ scientiã. Verũ quod ad sacra attinet, plurimũ refert quomodo animũ cõpares. Nam si quod studiorum genus, sacra profecto potissimũ ingenio, usu & cura opus habent. Est enim odor unguentorũ domini super humanarũ disciplinarum aromata: Duce Spiritu, comite artium nostrarũ cultu, ad sacra uenire licet. Sicut ad Herculianũ Synesius scribit: ἐρρωμένως ἐυθυμῶς δεῖ βίωτος φιλοσοφίᾳ χρώμενος ἐς τὸ θεῖον πολιτεύσῃ ἀξιαγάστως. Id si cui non uidetur, cogitet præter cætera & orichalcũ à Tyrijs in templi Solymi fabricam collatum esse. Itaq; cum Theologia partim Hebraica, partim Græca sit, nam Latini riuos illorum bibimus, linguæ externæ discendę sunt, ne ueluti κωφὰ πρόσωπα, cum Theologis agamus. Ibi se splendor uerborum ac proprietas aperiet, & patescet uelut intra meridiana cubilia uerus ille ac genuinus litetæ sensus. Proxime cum literam percepimus, se-

quemur

quemur elenchum rerũ. Faceſſent iam tot frigidę gloſſu læ, concordantiæ, diſcordantiæ, & ſi quæ ſunt aliæ ingenij remorę. Atq; cum animos ad fontes cõtulerimus, Chriſtum ſapere incipiemus, mandatum eius lucidum nobis fiet, & nectare illo beato diuinæ ſapientię perfundemur. At cum in uineis Engaddi cyperum legerimus, occurret ſponſus ſaliens ſuper montes, & tranſiliens ſuper colles, ductos in palatia Eden בשמן תורק ſucco liquido, fragrante, impios animos difluente inunget, ac morte oſculi dignabitur. Illius membris inſerti uiuemus, ſpirabimus, uegetabimur, Sion contemplantes, & ſilentio κρυφιομύσῳ Salem adorantes. Hic cœleſtis ſapientiæ fructus eſt. Eam igitur q̃ puriſſime non interpollatam noſtris argutijs colamus. Id quod cum aliquoties inculcat Paulus, tum in Epiſtola ad Titum ſedulo à Chriſtiani hominis doctrina exigit, ἀδιαφθορίαν integritatem, hoc eſt, ne lubrica ſit fides. Deinde σεμνότητα mundiciem, hoc eſt, ne alienis literis improbe ſacra contaminemus. Opinor quod futurum ſciebat, ſi ſacris prophana miſcerentur, fore, ut ſimul prophani affectus, odia, ſtudia factionum, ſciſmata, iurgia, conſertim ſuccederent. Proinde qui diuinis initiari uolet, Adam illum ueterem exuat oportet, ut incorruptibilem Adam induat, hoc eſt, humanos affectus, ipſumq; callidi ſerpentis iugum ſupera uirtute frangat, excutiat, ut in gloria Domini transformetur in abyſſum abyſſus. Hoc ſanè in cauſa erat cur dicerem uſu literarum deſtitutam Eccleſiam, ueram ac germanam pietatem traditionibus humanis alicubi mutaſſe. Poſtquam hominum commenta placere cœperũt, & amore operum noſtrorum uicti, pro manna Beelphegor guſtauimus, homines nõ χοῖροι

esse cœpimus. Hæc uelim ita dicere uideat, ut sentio. Sentio autem omnino aliud nihil, q̃ quod Euangelicæ ueritati Ecclesię decretis probatur, eritq; mihi quod Hebræi dicunt צנוח וסרחרח אבייתר. Iam ne obscure intelligitis, quantum sit in renascentibus studijs momenti, quantum ad excolendas bonas mentes conducant? Quem non misereſcat superioris ætatis, quæ tam clara luce studiorum deserta, in orci tenebras, & nescio quas fæces literarum incidit? Quem non tangat ingens nostri seculi calamitas, quod & uetustis authoribus nostratium incuria orbatum est, deinde quod hi quoque lucri fecissent ex bonis, ni perijssent illi desiderati. Superest igitur, Iuuenes, ut audiatis, quanquã ita se res habeat, & difficilia sint, quæ pulchra sunt, tamen ita uincet industria difficultatem, ut longe minore impendio bona q̃ mala uos sperem assecuturos. Deliguntuobis præceptores uestri quæ ex usu est scire, friuola secernunt, atq; ij Latina quidem, simul cum Latinis Græca disci, & debent, & facile possunt. Modo succisiuas aliquot horas Græcis date, ego faxo studio ac labore meo, ne opera uos uestra frustretur. Statim enim ab initio difficultatem rei Grammaticæ optimorum authorum lectione temperabo, ut quod illic regula, hic exempla doceant. Accedet obiter in authoribus interim quod ad mores, uel rerum secretarum scientiam pertinet: omnia si contuleritis, pulcherrime absoluent orbem studiorũ. Erit enim curæ mihi, ut pro re quæ uidentur diligenter admoneam. Homerũ habemus in manibus, habemus & Pauli Epistolam ad Titum. Hic spectare uobis licebit, quantum sermonis proprietas, ad intelligenda sacrorũ mysteria, conferat: quid item interſit inter interpretes

Græce

Græce doctos, & indoctos. In alijs nota mala pro bonis ducantur, in hoc negocio diutius citra iacturam inepti re non licet. Capessite ergo sana studia, & quod à Poeta dictũ est, animo uoluite: Dimidium facti qui cœpit, habet. Sapere audete, ueteres Latinos colite, Græca amplexamini, sine quibus Latina tractari recte nequeunt. Ea pro omnium literarum usu, ingenium alent mitius, ac elegantius undequaq; reddent. Paucis annis prodiere in lucem, qui uobis & exemplo & stimulo sint: Video enim uidere mihi tacitus aliquot locis reflorescere Germaniam, planeq; moribus & communi hominum sensu mitescere, & quasi cicurari, quæ Barbaris olim disciplinis effera, nescio quid immane solita est spirare. Proinde locabitis operam, non modo commodo uestro, eoq; ad posteros propagando, sed omnino gloriæ non intermorituræ Principis omnium consensu optimi, qui nihil adserẽdis bonis literis habet potius. Equidem quod ad me attinet, nihil nõ connitar, ne defuisse uel pientissimi Principis uoluntati, uel studijs uestris optimi Auditores uidear. Atq; hoc me nomine uobis Clarissimi uiri, Academiæ Saxonicæ Principes, addico ac deuoueo, uestrum erit aduleſcentiam meam bonis literis consecratam, minime malis artibus imbutam, denicq; in fidem uestram sedulo commendatam, benigne officioseq; tueri ac conseruare.

Dixi.

NECESSARIAS ESSE AD OMNE STV
diorum genus Artes Dicendi, Phil.
Mel. Declamatio.

SIMONI GRYNEO SVO PHILIPPVS
Melanchthon S. D.



Su comperimus, eam esse optimarum rerum conditionem, ut uulgo ferè fastidiantur. Nam cum literis nihil neq; melius, neque pulchrius habeant humana, tamen uix paucos, diuino haud dubie beneficio nuper restitutæ, admiratione sui cepere. Etenim quod Pindarus optimam rerum aquam, & pulcherrimam possessionem aurum esse cecinit, næ ille, nisi multitudinis auribus inseruisset, rebus omnibus literas antetulisset. Neque enim quidquam est cuius uel usus latius pateat, uel dignitas harum amplitudinem superet. At ea est uulgi amentia, ut non aliud perinde contemnat, atq; elegantiorum literaturam: eamq; cum uiderem hoc potissimum tempore nostris sordere, breui declamatione laudaui. Institueram equidem pro eo acres merebatur ἐπίδειξιν copiosiorem. Sed cum immorari non liceret, malui qualicunq; oratione reuocare in uiam studiosos, & causam literarum, ut Græce dicam, διαγράφειν. planeq; accidit, ut cum amphora, iuxta Poetam, institui cœpisset, currente rota urceus exierit. Verum quid quid hoc est operis, tibi, mi Simon, propter incredibilẽ amorẽ tuum erga meliores disciplinas, dedicare uisum est, ut uel tuo exemplo nonnullos ad literatũ studium inuitem. Vale. Vitembergę.

Quem-

Vemadmodum Hesiodo dolet, nescire mortales, quantum & Malua & Albucum adferre cõmodi rebus humanis queant, tametsi uiles herbæ, ita nos quoque non nunc primũ querimur ignorare adulescentes, quantum momenti habeant ad solidam eruditionem parandum dicendi artes, quæ in speciem nihil profitentur eiusmodi, cui uulgus adplaudat, cæterum utilitate facile res humanas omnes uicerint. Neq; enim usq; quidquam est in tota rerum uniuersitate, unde ad mortales ampliora commoda, quàm ex hoc artium genere redeant. Sed cum earum precium iuuentus ignoret, fit, ut pleriſq; sordeant, minimeq; digne iudicentur, quibus discendis operam nauent. Præclarum est Philosophum dici: magnificum, Iurisconsultum audire: Theologico nomine, nihil hoc tempore ad uulgus plausibilius est: dicendi artium, tanquam Megarensium, nulla ratio habetur. Propterea uisum est hoc loco ostendere, quæ res maxime nobis earum studium commendare debeant. Atq; hic mihi uel Pericleam uim optarim, dum stultam iuuentutem in uiam reuocare contendo, quę elegantiorem literaturam partim errore contemnit, quod ad reliquas disciplinas comparandas inutilem esse censet, partim inertia fugit. Est enim & literarum, perinde atq; aliarum bonarum rerum ea natura, ut sine summo labore nemini contingant. Notũ enim illud est, Difficilia esse, quæ pulchra sunt. Quanquam qui rationem subduxerit, quantulo negocio, quantũ lucri faciat, qui commodorum magnitudinem ob oculos posuerit, hunc nullæ res quantumuis durę, ab harum artium studio detertuerint, quas, nisi cognoris, ne dici quidem potest, q; infœliciter

πάλω· *à simili.*

Propoſitio.

citer reliquas diſciplinas tractaturus ſis. Proinde æquis animis audite, quæ me rationes adduxerint, cur elegantiorem literaturam rebus humanis plane neceſſariam eſſe iudicem. Primum, nemo tam uecors eſt, qui non uideat nobis certa quadam loquendi ratione opus eſſe, qua dilucide explicemus animorum noſtrorum ſenſa, quacunq; de re uel publice uel priuatim agendum eſt. Fortaſſe ridiculum fuerit hic diſputare, cp̃ neceſſarius homini ſermo ſit. Nam qui literas contemnunt, neutiquã uideri uolunt homini ſermonem adimere, ſed orationis cultum adſpernantur. Proinde quantum referat, certam loquendi rationẽ teneri, paucis indicabimus. Nam qui recte rem æſtimare uolet, is intelliget, non ita multũ intereſſe, mutus ſis plane, an artem ad dicendũ non adhibeas. Neq; enim fieri poteſt, ut quæ ſentis, ſic exponas ut intelligi queant, niſi arte loquendi facultatem & pares & confirmes. Vſu enim compererunt prudentes uiri, nihil eſſe difficilius, cp̃ dilucide ac perſpicue de re qua piam dicere. Primum enim niſi uim pondusq; uerborum dicendo tueare, orationem tuam qui adſequetur auditor? Nam cum uſu, uelut numi, uocabula probentur, receptis utendum eſt, quæ, quia eloquentes homines, quaſi per manus poſteris tradidere, obſcuritate uacant. Superiore ſeculo, cum ſua quiſq; uerba cuderet, & peregrina Latinis miſcerẽtur, eiuſmodi conflata eſt oratio, quę ne ab illius quidẽ ętatis hominibus intelligi potuit. Tantum abeſt, ut poſteritas adſequatur. Quis enim Scotum, aut huius farinę alium ſcriptorẽ hoc tẽpore intelligat? Deinde uix exercitatiſſimi præſtiterint, necubi ſtructuram orationis ac phraſin uiolent: quæ ſi uitiata fuerit, neceſſe eſt orationẽ obſcuriorem reddi. At hic cp̃ multa

Argumentum à definitione.

multa efferunt improprie etiam eruditi? Quoties absur dis ac ineptis metaphoris sermonem obscurant? Quis enim Apuleium, & huius simias ferat? Sed recte Apu leius, qui cum asinum repręsentaret, rudere quàm loqui maluit. Postremo, ut uerba phrasinq; satis noris, diffici limum tamen est, suo quæq; loco distribuere, alia depri mere, alia attollere, quædam breuiter adstringere, aliàs euagari liberius, quędam dissimulate ac tegere, alia pro mere, ut tanquam inter umbras lumina extent ac emi neant. Est enim eloquentia omnino amplius quiddã, quam tumultuaria uerborum congeries. Verum uideo errore labi iuuentutem, quæ cũ nesciat eloquentiæ cum uim tum naturam, nõ arbitratur precium aliquod ope ræ fore, cur eam sibi maiore studio contentioneq; paret, & laudari à nobis professorculis putat uulgari more, quemadmodum sua ungenta solent Pharmacopolæ: nec optimorum prudentissimorumq; hominũ autho ritate commonetur, qui ad illius studium una uoce adu lescentes & communi classico inuitant. Miseram homi num conditionem, quando, ut queq; res optima est, ita longissime à conspectu nostro recessit, minimeq; agno scitur. Nec dubitarim ego, quin si oculis cerni posset elo quentiæ dignitas, mirabiles, ut ille ait, amores sui excita ret. Sed cum casu iuuentus, non ratione uiuat, temera rio quodam impetu ad ea delabitur, quæ uulgo maxi me celebrantur. Quare si quis est non imprudens rerũ æstimator, is apud se expendat, primum nihil esse, cuius usus latius pateat, q̃ sermonis commoda. Omnis homi num societas, ratio uitæ instituendæ publice ac priua tim, conquirendorumq; omnium quibus uitã tuemur, deniq; commercia omnia sermone cõtinentur. Deinde

Excursus.

perſuadeat ſibi neminem adpoſite ac dilucide de ulla re dicturũ eſſe, niſi qui arte quadam, imitationeq; optimorum & magna cura orationem ea lingua qua publice utimur, formarit. Quod ubi animaduerterit, haud dubie nihil prius, nihil antiquius habebit diſcendis loquendi artibus. Siue enim conſilio alĳ iuuandi ſunt, ſiue docendi, ſiue tuendum eſt dogma aliquod, ſiue de iure, æquo ac bono diſſerendum eſt, nihilo plus efficias, q̃ in ſcænis mutæ perſonæ ſolent, niſi arte elaboratam orationem attuleris, quę res obſcuras tanquam in lumine collocet. Non ignoro eſſe, qui elegantiam à recte loquendi ratione ſeparant, nec referre putant, modo rem indicent, qualicunq; oratione utantur. Qui ſi rem propius inſpexiſſent, neutiquam adſciticium & ſuperuacaneum ab eloquentiæ profeſſoribus fucum requiri iudicarent. Ipſa orationis puritas, natiuaq; facies elegantia eſt, quam niſi tueare, non modo non uenuſte aut inquinate, ſed improprie, obſcure, ac inepte dixeris. Et quem admodum in fingendis corporibus ea demum elegantia eſt, ubi iuſta proportione membra omnia inter ſe cõſentiunt, ſi quid ſecus facias, monſtroſum erit, ita cũ genuinam orationis ſpeciem noua compoſitione deformaueris, monſtroſam plane ac ineptam facies. Picus in Epiſtola qua barbaris Philoſophiæ ſcriptoribus patrocinatur, ludens, credo in ἀλόγῳ argumento, & elegantiam à recte dicendi ratione ſeparat, & explicari res qualicunq; oratione poſſe cenſet. Huic equidem nihil ſuccenſeo, qui barbariem non magis ex animi ſententia tuetur, q̃ febrim Fauorinus laudabat. Hoc miror, eſſe quibus tam friuolæ argutię ſerio perſuaſerint, nihil refert, quomodo loquamur. An uero recte corpus imitabitur

Occupatio

bitur pictor, si nulla ratione penicillum regat, si temere feratur manus, nec ducantur arte lineæ? Ad eum modũ nec animi tui sententiã alijs ob oculos posueris, ni proprijs & illustribus uerbis apta uocum compositione, iusto sententiarum ordine utare. Nam perinde atq; corpora coloribus, animi sententiã oratione repræsentamus. Quare necesse est dicendo certam aliquam imaginem arte concipi, quæ discernat inter se tanquam uultus sententiarum. Flagitium est, si quis uiæ ignaro deuiam semitam monstret: At qui recte dicendi cura uacant, quoties lectorem à uia abducunt? quoties unius uerbi abusu ludificantur? Non semel imposuere in Philosophia, in sacris literis solœcismi nostris interpretibus. Quis enim omnium Pauli sententiam in Corinthijs adsecutus est, ubi Grilli isti elegantiæ contemptores, uerterũt: Ex multis facierum personis &c. Quę Augustinum tempestas aufert, quo minus propositum teneat, in enarrando eo quod est apud Ioannem τὴν ἀρχὴν ὃ καὶ λαλῶ ὑμῖν? Hoc genus extant innumera passim, ubi mediocriter etiam eruditos barbarismi fefellerunt. Adeo non quouis orationis genere lectori satisfeceris, sed cura studioq; paranda facultas est, qua animi tui sententiã perspicue aliorum oculis subijcere possis, omniaq; commode quæ res poscit, eloqui: id est enim eleganter dicere. Quin igitur helleborum propinamus ijs, qui uenustatẽ orationis fastidiunt, adeo à communi hominum sensu alienis, ut ne quidem, quid loqui sit, intelligant. Peperit elegantiam necessitas, quod & barbara omnia incerta sunt, & quæ oratorijs ornamentis illustrata sunt percipiuntur. Nam in hũc usum adhiberi schemata Fabius scripsit, neq; unquam ueram speciem ab utilitate recte

diuidi sentit. In sacris libris, ut interim prophanos omit tam, quid quęso desideras Rhetoricorum schematum? At his opinor non usuri erant Prophetæ, si nihil ad rem facere iudicassent. Videtis qua ratione uobis eloquentiæ studia commendem, quod nec exponere, quæ uolumus ipsi, nec quæ à maioribus recte scripta extant, intelligere possimus, nisi certam dicendi normam perdidicerimus. Equidem non uideo quomodo alijs hominũ uice futuri sint, qui nec quę sentiunt, explicare, nec quod recte dicitur, adsequi queunt. Quare ut nulla sit eloquentię dignitas, nulla gratia, tamen ea uis est, ut non igni, non aere, ut aiunt, non aqua pluribus in locis utamur. Quomodo enim consistant res humanę, si legum sacrarum & prophanarum patrocinium eloquentia deserat, si nec publicis, nec priuatis consilijs oratio quæ intelligi possit, adhibeatur, si res gestę nullis literis ad posteros transmitti queant? Ecquod uestigium humanitatis in tali Republica reliquũ fuerit? Porro ab hac quantulum distabat ætas superior? quum sacrorum librorũ sermonem prope nemo iam intelligeret, quotidieq; stultorum Sophistarũ arbitrio fingerentur, ac refingerentur sacręleges. Res gestę illorum temporum æternis obrutę tenebris iacent, nemo enim erat, qui eis literarũ lumen adhibere posset. Disciplinę omnes dicendi genere sic obscuratę sunt, ut ne Doctores quidem ipsi, quid profiterentur satis compertum haberent. Digladiabantur inter se de figuris sermonis Philosophi, tanquam in tenebris Andabatę, nec quisquam à domesticis suis plane intelligebatur. Recte ille ἀνάχαρσιν παῤ ἀθηναίοις σολοικίσιν, ἀθυνάτους, πῤὰ σκύθαις. At isti domi suę ἐσολοίκιζον, suamq; singuli dialecton mira libertate cõminiscebantur

bantur. Iures eis uoluptati fuisse, non aliter atq; Heraclito illi, cæteris mortalibus tenebras offundere. Iam cũ minime obscurũ sit, quanti nobis eloquentiæ contemptus constiterit, cur barbariem non abominamur tanq; nocentissimam pestem? cur nõ magno consensu è scholis exibilamus? cur ipsi nobis tantisper inuidemus eloquentiam, qua nihil melius, nihil amplius in terris hic sol uidit? Hactenus docuimus, quę cogat necessitas certam dicendi rationem sectari ac tueri, quæ si quem parũ mouet, ei uero multo iustius asini auriculas Dij addiderint, q; Midæ. Accedit huc non contemnendus studiorum eloquentiæ fructus, q; earũ artium usu, quibus eloquentia continetur, excitantur, eruduntur q; ingenia, ut res humanas omnes prudentius dispiciãt, neq; propius umbra corpus adsectatur, quàm eloquentiam comitatur prudentia. De rebus humanis adhuc loquor, de sacris postea. Videbant inter se maiores nostri hæc duo: bene dicendi scientiam, & animi iudicium natura cohęrere: quare & non inepti quidam orationem esse dixerunt, explicatam animi rationem. Et Homerus Poeta ijsdem eloquentiam ac prudentiam tribuit. Mitto iam alios, Vlyssi, cuius orationem hybernis niuibus comparat, utrunq; uno uersiculo adscribit, cum inquit:

Argumentum à fructu.

σοὶ δ' ἔνι μὲν μορφὴ ἐπέων, ἔνι δὲ φρένες ἐσθλαί.

Nec tempero mihi, quo minus recenseam & Latine ab erudito quodam expressum:

Mente uales, iuncta est facundis gratia dictis.

O diuinam sententiam, multoq; dignioręm, quæ iuuenilibus pectoribus solicite inseratur, q; Delphica aliquot scita. Quid enim spectabat aliud optimus senex, quàm sic inter se copulatas esse prudentiam ac eloquentiam,

ut diuelli nulla ratione possint. Atq; utinam sibi omnes adulescentes hunc uersiculum propositũ putent, quorsum tanquam ad scopum omnia studia sua, rationesq; dirigant, sentiantq; sibi omnem operam, curam, industriam, cogitationem, mentem deniq; omnem in his artibus parandis figendam esse: quarum Homerus haud dubie ob eam causam mentionem fecit, quod uideri omniũ rerũ humanarũ, ut sunt, & pulcherrimas & maxime utiles uoluit. Quid in consilio fuisse censetis ueteribus Latinis, cur dicendi artes humanitatem adpellarint? Iudicabant illi nimirum harum disciplinarum studio non linguam tantum expoliri, sed & feritatem, barbariemq; ingeniorũ corrigi. Nam cultu perinde ac plericq; syluestrem indolem exuunt, mansuescunt ingenia, cicurantur q.

Lectio. Duæ sunt autem causæ, cur recte dicendi studio animi iudicium acuatur. Prior est, quod qui ijs artibus operam dant, ad eiusmodi scriptorum exempla se comparent, necesse est, qui in maximis rebus gerendis, ac tractandis uersati, summam prudentiam usu consecuti sunt, quorũ commercio fit, ut nonnihil iudicij contrahant lectores, & tanquam qui in sole ambulant, colorentur. Solet enim iuuenilibus ingenijs exemplar aliquod recte dicendi, sentiendiq; proponi, unde & uerborum uim, & orationis structuram, & explicandi figuras discant. Nam & dicendi rationem, perinde ac cæteras artes imitatio adiuuat. Neq; enim uerisimile est pingendi arti tantum ab Apelle uenustatis, gratiæq; adijci potuisse, nisi fingendorum lineamentorum rationem multo ante ostendissent ij, qui primum, μονογράμματα, deinde κατάγραφα pinxerunt. Sic & ex optimis scriptoribus

tibus concipienda est certa quædam & dicendi & iudicandi ratio κατὰ ἰδέαν, quam sequaris, quacunq; de re differendum fuerit. Proinde qui disertos scriptores in manibus habent, secum expendant, quid in quouis potissimum mirari, laudare, imitariq; deceat. Primi omnium sunt, ad quos cognoscendos inuitatur iuuentus, Poetæ ac Historici: quos qui uoluptatis tantum causa, perinde atq; in conuiuijs Cythariστrias, accersunt, ne illi summorum hominum æstimationem grauiter lędunt. Nam & prodesse illi uoluere, & bonas mentes optima potissimũ delectant. Est ita ab illis & dicendi forma petenda, & obseruandum quid de cõmunibus rebus ferè iudicauerint. Sæpe ridere soleo Græcorũ Grammatico rum uulgus, qui ad Physiologian totum Homeri carmẽ referunt, mireq; sibi placent, cum noua metamorphosi belli nugatores ex Ioue æthera, ex Iunone aerem faciũt, quæ ne per febrim quidem, unquam somniaturus erat Homerus. Quanto satius fuerat ea ostendi, quę ille lectoribus propriè admirationi esse uoluit: proprietatem ac lucem in explicando, carminis οἰκονομίαν, cũ uaria consilia, uarios casus miro ordine recenset, cũ aptas occasiones nouis euentibus accõmodat, quanta decori seruãdi cura, quãta sit item uerborũ ac figurarũ copia, uarietasq; ijs locis, in quibus detineri lectorẽ uolebat. Vides q; minime frigida sit aut ieiuna seditionis descriptio, in secundo Iliados. Nã & motus eius occasionẽ, & ipsum uulgi furorẽ, seditiosas quorundã conciones, qui multitudini frigidam, quod aiunt, suffundebant, & Therſitę mores, morumq; argumentũ, formã, duas itẽ grauissimas eorũ orationes, qui multitudinis animos sedabant, in quibus uehemẽtior est Vlyssea, lenior Nestorea. Bone Deus, q; De Homero.

perspicue

perſpicue, quàm grauiter tractat: nec recte dicendi archetypum facile uſquam reperias hoc loco abſolutiorem, cuius elegantiam uirtutesq; omnes is demum propius cernet, qui imitari & exprimere ſtylo conabitur. Caue enim putes Homerũ temere à M. Cicerone planè Oratorem uocari, aut inconſulte ſcripſiſſe Fabium, excellere hunc Poetam Oratorijs omnibus uirtutibus. Iam quæ ſcena res humanas uetius repræſentauit, quàm Homeri carmen, ut fieri nequeat, quin obiter & rerum admiratione tangamur, quũ dictionem conſideramus. Offerunt ſeſe ultro ſpectanda morum exempla, Principum uulgiq; adfectus, uaria rerum geſtarum conſilia: quibus niſi eruditi animos Arceſilaus ſenſiſſet, nunquam amaſium ſuum Homerum uocaſſet. Mihi quidem omnium quæ hominum ingenia peperere, nullum prudentius Homerico ſcriptum extare uidetur. Nec dibitarim adfirmare, quod Horatius cenſuit, Homerum, quid rectum, quid utile ſit, melius Chryſippo & Crantore docere. Quęſo qui potuit Regum temeritas feſtiuius notari, q̃ cum fingit ſomnio commotum Agamemnonem, uniuerſum exercitũ Gręcum in diſcrimen adducere? Conſtat enim quàm ob friuolas cauſas nonnunquã omnia miſceant Principes. Quid in Achillis clypeo? nonne rerum elementa, & clariſſima ſydera, præterea horum poſitus etiã ac meatus graphice deſcripſit, unde poſtea & Philoſophi dimetiendi cœli rationẽ accepere? Nam & eodem loco circumagi Arcton inquit, nec unquam occidere, & eregione illi oppoſitum eſſe Oriona: quæ ſententia bonam Aſtronomiæ partem complexus eſt. Quid, quod ibidem & pacis cõmoda & belli ærumnas inter ſe confert, cum duas urbes, alteram pace florentẽ, alteram

Syderum nomenclatura apud Homerum

alteram bello uastatam depingit? quo magis inuisum, opinor, bellum rem perniciosissimam, optimo cuiq; faceret. In pacata urbe nuptijs locus est, exercentur iudicia, aguntur causę, admirationi sunt Oratores. In altera iugulantur liberi, silent leges, mutum est forum, postremo miseranda est omnium ciuilium rerũ uastitas. Quid cedo potuit hoc cõmento excogitari prudentius? Neq; enim plures Homeri locos hic attingere uisum est. Tantum hos indicaui, ut studiosis adulescentibus fidem facerem, bonorum scriptorum cognitione nõ os tantum ac linguam, sed pectus etiam formari. Id opinor in consilio quondam Græcis fuit, cur Homerum familiaris. notum esse suis hominibus uoluerint. Solon enim & Pisistratus lege constituerunt, ut illius carmen ordine diggereretur. Nam aureo illo seculo adhuc suarũ partium Principes esse sentiebant, præstare, ne quod utile scriptum intercideret. Nunc regium nihil est, nisi idem sit ἔμμετρον. Mox institutum est, ut à Rhapsodis seu Homeristis, publice in theatris decantaretur Homericum poema, ut diuino carmine iuuenum aures adsiduo personarent, effetq; semper in promptu recte dicendi, iudicandiq; regula. Fœlicissime cum Homero certauit ex Latinis Vergilius, planeq; par, nisi fallor, utriq; laus, siue dictionem spectes, siue sententiarum grauitatem, debetur. Quid Tragici, quàm multis exemplis tyrannorum mores & fata proposuere? Quid comœdia, nisi priuatę uitæ speculum? In uniuersum quid præstare studiosis poetica possit, indicauit Fabius. Ego figurarum copiam præcipue nostrę orationi suppeditare uideo, uarietateq; terum animos tum erudire, tum delectare.

Historia iudicium formari, dicendiq; facultatem au- De Historia,

geri Demosthenes censuit, cũ Thucydidem adeo familiarem sibi fecit, ut octies etiam descripserit. Amauit & Xenophontem Cicero. Et cũ uniuersa historia πολιτείας quędam sit, uarias constituendarũ rerum publicarũ formas adumbrat. Nam ut hic nihil aliud dicam, quid admirabilius est τῶν πολιτειῶν collatione apud Herodotum, ubi Persarum Satrapę alij δημαρχίαν, alij ὀλιγαρχίαν, alij μοναρχίαν probant? Quo loco uides grauissimum scriptorem morbos omnes, uitiaq; ciuitatum, uelut in tabula depinxisse. Verum nemo tam imprudens est, qui nõ hoc consilio animaduerterit conscriptas esse historias, ut omnium humanarum officiorum exempla tanquam in illustri posita loco cernerentur. Quæ si nihil ad erudiendos excitandosq; mortalium animos conducunt, quid fuit, cur Scipio senserit se clarorum uirorum imagines intuentem, ad uirtutem accendi? Oratores cum Respublicas administrarint, & in iudicijs uersati, de iure, æquo ac bono tam multa differuerint, consentaneum est, pleraq; utiliter monere. Quis enim Philosophię moralis locus est, qué nõ attigerint Demosthenes ac Cicero? Optimã πολιτείαν, nemo Philosopho rum sic ἐξωγράφησε, ac illi in actionibus suis, cum in improbos ac seditiosos ciues, tanquã ferrum, stylum stringunt, cum aduersus hostilem uim Respublicas consilio muniunt. Quid de pace popularius ueriusq; excogitari potuit, quàm quod in ea oratione qua legem agrariam dissuadet, Cicero dixit? Quid ciuilius ea legum prędicatione, quàm ex Demosthenica oratione κατὰ ἀριστογείτονος Iurisconsulti in suos commentarios transtulere? Sed quorsum attinet hic prolixius scriptorum ἐγκώμιον texere? Quin ipsi periculũ facite, quid ex classicis quisq;

præstet

præstet, quanta perspicuitate gratiaq; omnia explicet, q̃ prudenter omnia colligat, quę ad institutũ pertinent. Nisi enim ad horum imitationem te componas, prorsus desperanda est recte dicendi iudicandiq; facultas. Supereſt, ut iudicemus & alteram causam, cur eloquentiæ studijs iudicium acui statuerimus. Id uero fit, quod bene dicendi cura per sese uegetiorem animum reddit, ut quid in quaq; re maxime cõueniat, aut prosit, rectius perspiciat. Nam ut corporum robur exercitio confirmari uidemus, ita fieri nequit, quin hebescant eorũ animi, qui nullo ingenioso labore excitantur. Nemini dubiũ est, quin multum conducat bonorũ scriptorum lectio: Verum nisi ad illam scribendi dicendiq; cõsuetudo accesserit, neq; perspicere satis acute poteris illorũ sententias ac uirtutes, neq; animo certam iudicandi commentandiq; regulam concipere. Propterea ad cõparandam tum loquendi, tum iudicandi facultatem, nihil perinde necessariũ est, atq; styli exercitium. Quid enim aliud uolebat Afranius, cũ fingeret usu patre sapientiam progignatam esse, quàm assiduo dicendi cõmentandiq; studio animũ expergefieri ac erudiri? Reliquit in eam sententiam, dignam memoriam posteritatis uocem Anaxagoras, τὴν χεῖρα, σοφίας αἰτίαν εἶναι, quod uidebat artes omnes usu comparari, ocioq; ingenia ferè sterilescere. Nam ut mechanicas artes experiundo discimus, neq; quisquam tam demens est, qui se mox Apellen fore confidat, ubi penicillum primũ in manus acceperit, ita multo usu assuefacienda mens est, ut sese acrius in omnia intendat. Itaq; tantum stylo tribuit Marcus Cicero, ut optimum & præstantissimum dicendi effectorem ac magistrum esse scripserit, solitusq; sit per ocium, aliàs è Græcis

Exercitium styli.

Stylus optimus dicendi effector.

Latina facere, aliàs noua cudere, aliàs declamare, qua industria & ingenij uim ac uigorem tuebatur & locupletabat facundiam. Sic enim de se ipse in Bruto, ne quid temere comminisci uidear: Nos autem non desistebamus, cum omni genere exercitationis, tum maxime stylo, nostrum illud quod erat, augere quantùmcũq; erat. Demosthenes aliquandiu meditandæ orationis causa se in specum quendam abdidit, feruntq; pertinacissime fraudato genio lucubrare solitum. Estq; Plutarchus author, lucernis noctu usum esse adsiduis, donec quinquagesimum annum attigit. Didicerunt enim usu prudentissimi homines, quàm non uulgaris artificis sit, dilucide aptecq; dicere. At ex nostris iuuenibus quotusquisq; uel perpetuo decennio unum aliquem uersiculum scribere instituit? Plericq; compendiariam uiam ad consequendam eruditionem esse censent, si q̃ plurima audierint aut legerint. Itaq; alij totos dies sursum ac deorsum currunt, scholas omnes perreptant, præceptores passim audiunt, mirantur q; non intellectos, dictata excipiunt, uncialibus literis elenchos commentariorum notant, minio illustrant. In precio sunt interpretes, qui q̃ plurima dictando tempus extrahunt, nec quisquam semisse præceptorem emerit, qui ab hac consuetudine uel transuersum unguem discesserit. Rursum alij domo nusquã pedem proferunt, libriscq; se tanquam pistrino cuidam addicunt, charras uoluunt ac reuoluunt, beatos se putant, ubi quotidie magnum numerum chartarum percurrerint. An non utriq; miseri uidentur, cum tanto labore, tantaq; ualetudinis iactura desipere tantũ discant. Primum enim nisi stylo excitetur animus, per se hebescit: deinde cum immodica se uel auscultatione, uel lectione

Obiurgatio.

ctione obtuunt, ingeniorum aciem, si qua contigit, obtundunt. Iam & iudicij inopia fit, ut ferè pessima quæq; cupidissime audiant, ac legant, ne non multa peruagentur. Quos si quis ceu domũ reuocatos interroget, quid hac discendi ratione sequantur, quis finis, quæ meta animo proposita sit, intelliget non aliter ac mente captos, quid agant nescire. Nec enim uel sententias, uel sermonem scriptorum obseruant, cum imitandi cura uacent. Tantum oculis auribusq; negocium faciunt, animus interim Epimenideum quendam somnũ dormit: & cũ nullum certum exemplar exprimere studeant, fit, ut & dicendi & iudicandi ratio deprauetur. Gratulatur sibi Demosthenes apud Athenienses dicturus, q; ipsi per se quæ optima sint cernant. At nos stili exercitium prædicamus his, qui nunquam periculum rei fecerunt, nec commodorum, quę secum hæc exercitatio adfert, uim amplitudinemq; uel per transennam uiderunt, quo magis metuo, ne parum fidei habeat oratio nostra, cum stylo tantum tribuimus. Verũ si quis est nõ plane iniquus Musis, is apud se expendat, quę ueteribus docẽdi, discendiq; ratio fuerit, qua disciplinæ omnes nõ tantũ illustratę, sed etiã auctę sunt. Pauci in ludis literarijs authores, sed hi optimi proponebãtur, quos imitaretur iuuentus. Et quemadmodum de re rustica præceptũ est, ne maior fundus sit, q̃ qui coli probe possit, ait enim Vergilius:

Laudato ingentia rura,
Exiguum colito.

sic illi cum uiderent nec per disci, nec exprimi posse multos fœliciter, turbaq; scriptorum confundi potius, q̃ erudiri iuuenilia ingenia, pauciores admittebãt, quos sibi studiosi q̃ familiarissimos facerent. Declamabatur item adsiduo, scribebant alij

uersus, alij solutam orationem. Et quia inter se bene dicendi studio certabant, cura solicitudoq; iudicium acuebat. Quo instituto, cum nullum iucundius erat spectaculum, tum nihil priuatim aut publice utilius fieri potuit. Nam ex huiusmodi ludis prodiere clarissimi superioribus seculis homines, Græci ac Latini, pleriq; etiam Christiani: quos si imitari studerent nostri, bone Deus, quanto res humanæ magis florerent, & sacræ literę fœlicius tractarentur. Porro cum ueteres tantum operæ in exercendo stylo posuerint, cũ nec eruditio, nec eloquentia mediocris citra hoc studium parari queat, cum intelligi non possint, quę ab alijs prudenter scripta sunt, nisi ipsi styli usu ingenia excitemus: Sinite quæso à uobis impetrari, ut stylo nonnunquam ueſtras uires experiamini. Rem postulo non perinde difficilem, atq; salutarẽ, neq; enim aliunde studijs ueſtris amplior accessio fiet. Ludes autem & uersiculos, & solutam orationem: uideo enim putidiuscule dicere, quotquot poeticen nõ attigerunt, planeq; humi repere, nec uerborũ pondus, aut ullam figurarum uim tenere. Iam cum asperas confragosasq; compositiones multo sit facilimum in uersibus deprehendere, fit, ut qui carmen condunt, de solutę orationis numeris rectius iudicent. Et haud scio an de literis omnibus actum sit, ubi poetice fastidiri cœperit. Fit enim ut ornatus splendorq; uerborum nullo in precio sit, minore cura scribatur, oscitantius legantur omnia, rerum inquirendarum studium frigeat. Quare & Romanis temporibus poticæ contemptum incredibilis insciti a rerum omnium, infantiaq; secuta est. Et nuper adeo cum nostri homines uersiculos facere cœpissent, cum literis melioribus in gratiam rediere. Nec uideo ego conseruari

seruari posse quicquid illud est elegantiæ, quod hoc seculo reflorvit, nisi exercendo stylo carmen iuuentus meditetur. Sensit & M. Cicero facundiam uersibus scribendis ali, eamq; ob causam & sæpe scripsisse carmen, & Poetarum perstudiosum fuisse constat. Vidit posteritas plerag; eius epigrammata, extantq; hodie loci aliquot illustrium Poetarũ ab ipso Latinis uersibus luculentissime expositi. Plinius Orator æditis etiam poematis testatur hoc studio, dicendi uim adiuuari. Proinde qui discẽdo bonas horas bene collocare uolent, ueterũ exemplum imitentur, stylogq;, ut Quintilianus ait, fideli & facundiã parent, & iudicium acuant. Vehementer enim fallũtur, si quid sine hac exercitatione promoturos se in literis sperant. Mare uitem citius ferat, quam eruditionem, aut dicendi facultatem consequatur is, qui tanq; Mandragora sopitus, nunquam incalescit ut ingenium commentando expergefaciat. Exposui quæ me rationes ad artium dicendi studium inuitent, nempe, quod & certa dicendi ratio obseruanda sit, & harum artium usu studiosis nonnihil iudicij accedat. Quæ si quis ad se nihil pertinere sentit, is haud dubie ab omni humanitate longissime abest. Cõtra boni, ubi cõmodorum uim, quę ad nos à sermone redeunt, cõtemplati fuerint, animaduerterintq; & certa ratione dicendi opus esse, & his artibus ingenia cultiora reddi, uelis, ut aiunt, ac remis ad hęc studia properabũt. Verũ sunt nõ parũ multi præsertim hoc tempore, qui bonorũ cursum morantur, hi ad Theologicarum literarũ tractationẽ negant dicendi artiũ scientiam conducere: cœpitq; hic error, ceu cõtagione quadã late uagatus, plurimos, qui ne non ualde theologicari uideantur, humaniores disciplinas omnes cõtemnunt. *Epilogus.* *Confutatio.*

Ego

Ego uero serio illos theologicari optarim, eaq; præstare, quę Christianam mentem decent. Nunc uideo Theologicum nomen ignauiæ tantum prætexi, cæterum nihil minus esse, quàm quod profitentur. Nam dum piget elegantiam discere, seq; difficilimis scriptoribus euoluendis, exercendoq; stylo macerare, neq; enim ullarum literarum cognitio sine acri studio contingit, si quando domum bene poti rediere, conciunculam aliquam legunt, inde ubi decerpserint, quę ad stomachum faciunt, passim in conuiuijs, nam ibi potissimum sapiunt, declamant: & quia uulgus adplaudit, iam uero sibi tantum non absolute Theologi uidentur, cum de grauissimis rebus obscœni homines, impuro ore, nulla religione disputent. Et cum uetet Paulus καπηλεύειν λόγον θεοῦ, nemo impudentius cauponatur uerbũ Dei, quàm hi, qui cum nec moribus, nec eruditione bonis se probare possint, uulgi fauorem, impia sacrarum literarum tractatione emerentur. Quid multa? uideas eos adspernari literas nostras, quibus res bonæ honestæq; omnes, quibus pietas, quibus mores publici, imò quibus Christus ipse fabula est. In quos, si bene constitutã haberemus Rempublicam, nõ nos oratione, sed ui Magistratus animad uerteret. Quam enim crucem non merentur hi, qui ut præterea nihil peccent, exemplo suo iuuentutem à literis auocant? Quę nisi discantur, posteritatem sumus habituri nihilo saniorem superioribus seculis, cum literarũ imperitia res omnes humanas ac diuinas labefactasset. Quin igitur sic cogitamus, olim cum grauissime succenseret Ecclesiæ Deus, ereptas esse literas, secuta est & sacrarum insciția. Nam cum nostris uerbis loqui Deus uoluerit, de sermone diuino inepte iudicauerint imperiti artium

tium dicendi. Porro quę illis temporibus cæcitas mentes hominum tenebat? Christum quotusquisq; norat? Imò chartę iam obsoleuerant, quibus continebantur sacra. Articulos Parisij condebant, quos interim mundus, tanquam diuinas leges adorabat: pium nihil erat, nisi quod illi somniassent. Et belli homines, cum literas nullas tenerent unde sapere discerent, fatuam illam sophisticen peperetunt, cœperuntq; rixari de commenticijs uerborum compositionibus, ne non rhetoricarentur, quid interfit inter hæc, Papam uidi, & uidi Papam. Extatq; hodie articulus Parisiensis, Ego currit, male Latine dici, hæreticum esse, quisquis dissenserit. Satin' uidentur ultæ contumeliam literæ neglectæ? Quis enim credat cerebrum fuisse talium nugarum auctoribus? Hæc uero calamitas magna ex parte literarum insciticæ imputanda est, non enim patebant sacra, tanquam intercluſa uirgultis ac frondibus, unde mentis recte eruditionę ratio peteretur, negligebantur & diserti scriptores, qui monerent humana. Quanto tolerabilius fuerat pestilitate aut annonę caritate plecti Ecclesiam, q̄ tanta amentia? Planeq; mihi persuadeo, certum esse diuinæ iræ exemplum, si quando mundo literæ eripiuntur. Nam reliquis pœnis pij quoq; non raro mulctantur. At literarum insciticiam publica comitatur impietas. Nuper uero cum respicere afflictos iterum cœpisset optimus Pater, effetq; redditurus nobis Euangelium, pro sua liberalitate & literas restituit, quibus Euangelij tractatio adiuuaretur. Nec magis nouum uideri debet donum linguarum Apostolis collatum, quàm quod hę à tanto squalore receptæ, ex tenebris plus quàm tartareis in lucem reuocatę sunt. Nec in obscuro est, bonis quibusdam

uiris auxilio fuisse literarum scientiam, in Theologia restituenda. Primum itaq; ingratitudo fuerit, cœleste donum adspernati, deinde cum beneficio literarum restituta sint sacra, impij simus, si nullam harum rationē habeamus, sine quibus stare res Theologica non potest. Et ut paucis exponam, quid iudicem ad sacrarum literarum tractationem conferre linguarum scientiam, nō sum in eo errore, ut humani ingenij industria sacra penetrari statuam. Sunt in sacris, quę nisi monstrante Deo nemo unquam cernat: nec innotescit nobis Christus, nisi doceat Spiritus sanctus. Sic enim Christus ipse inquit, à spiritu se δοξασθήναι. Verum pręter prophetiam, uis uerborum cognoscenda est, in quibus tanquam in sacrario quodam, diuina mysteria recōdita sunt. Quid enim si non intellecta uerba magico more pronūcies? nonne surdo fabulam? At de sermone iudicare nemo recte poterit, nisi qui recte discendi rationem perdidicerit. Quid enim magis proclive est, quàm uerbo aliquo aut schemate falli? Nuper quidam ex Magistris nostris, cū enarraret ea quæ de Melchisedec in Genesi prodita sunt: Rex Salem panem ac uinum obtulit. non animaduertens, Salem loci nomen esse, multa de condimenti ui ac natura disseruit: Imposuit enim bono uiro uocum affinitas. Nam oscitantius omnia legunt, qui ingenium dicendi artibus non exercuere. Deceperunt & eruditos figurę, adeo nulla exercitatio dicendi ac scribendi satis cautos facit. Interrogabat me pridem doctus quispiam homo, ecquid sibi uellet Paulus cum inquit in Epistola ad Timotheum: Saluatur mulier per filiorum generationem, si in fide permanserint. (nam Græci plurali numero uerbum extulere) Ego cum non haberem

haberetur quod apte responderi uideretur, commentatios consulo. Ecce uobis Chrysostomum quàm belle nugatur cum uerbum μένωσι ad sobolem refert. Quod quàm non conueniat sententiæ Paulinæ, facile est iudicare. Nec uidet senex ille Synthesin esse Grammaticam, cum uniuersum sexum plurali uerbo complectitur. Similia horum exempla non rara suppeditabit quotidianus scriptorum usus. Postremo quàm aliam ob causam Sophistæ sacris libris ablegatis, nouum Theologiæ genus reperere, quàm quod illorum sermonem, & disserendi rationem non adsequebantur? Quorum exemplum, si quem à barbarie non deterret, is fustuario, non oratione castigandus est: nam si perrexerit iuuentus bonas literas contemnere, haud dubie futurum est, optimis neglectis, ut rursus sacræ bonæq; res omnes pessum eant. Fallitur enim quisquis uerbis tantum, non etiam mente barbaros fuisse Theologastros istos censet. Iam si quando Ecclesiasticum dogma tuendum fuerit, quid quæso præstabit is, qui quid sentiat, explicare non potest? An confusaneam aliquam ac Stoicam orationem adferet, in qua de uerborum interpunctione rixetur? Ab hoc auditor cum expectarit perspicuam facti dogmatis tractationem, perinde ac hians coruus discedet, diu frustra molestis distinctionibus fatigatus. Itaq; quos pietatis tenet studium, ij uel Christo, uel publicæ necessitati Ecclesiæ hoc præstent officij, ut recte loqui discant. Vocat huc etiam Paulus, cum in Corinthijs linguarum studium probat, cuius autoritas merito apud uos ualere debet, quibus in ore tam multus est. Indicaui paucis quid ad literarum prophanarum ac sacrarum tractationem conducat recte dicendi scientia. Nunc uestrum est cum *Peroratio.*

elegantiore literatura in gratiam redire, eamq; cupidè amplecti. Video pleroſq; intempeſtiue properare ad grauiores, ut uocant, diſciplinas, quoſdã ad Iura diſcenda, ad Medicinam ſpes quęſtus rapit, alij ad Theologiam contendunt, priuſquam robur aliquod fecerint in ſtudio artium dicendi. Qui ſi ſuo quæq; ordine adgrederentur, bone Deus, quanto rem fœlicius gererent? Nunc male tentato compendio ipſi ſeſe morantur.

Fuit apud nos Morio quiſpiam, qui in heri culinam ex more lingna ferebat: Is ſolitus eſt ex infima ſtrue, ea reuellere, quæ moueri ſine magno negocio non poterant. Interrogatusq; cur id fieret, reſpondit, ſe difficilimam laboris partem primum confecturum, ſumma illa facilius moueri: nec uidit quantum referret, ſingula ordine tollere. Huius mihi perſimiles uidentur, qui faſtiditis his artibus ad ſublimia prouolant. Nam & augetur diſcendi labor, & incommodius omnia tractantur, cum nondum ſint perpoliti primis rudimentis. Deum immortalem, quàm infœliciter ceſſit maioribus noſtris hæc præcipitantia. Nullum genus artium ſuperioribus ſeculis non fœde conſpurcatum eſt ab his, qui cum elegantiores literas non attigiſſent, in optimas quaſque & grauiſſimas diſciplinas tanquã in roſas porci irruerunt. Theologia ſtultis & impijs quæſtionibus prorſus obruta eſt. Qui Philoſophiam profeſſi ſunt, ne nomen quidem artis ſatis intellexerunt. De iure, æquo ac bono fieri non potuit, ut quidquam ſani comminiſcerentur hi, qui elegantioris literaturæ rudes erant: quod & ipſum diſciplinæ genus ex medijs humanitatis artibus deriuatum ſit, & ueterum Iuriſconſultorum literæ plenę ſint priſcæ, ueræq; eruditionis. Neque nunc ego ſermonis

ſpurciciem

ſpurciciem tantum in artium profeſſoribus accuſo, ſed imprudentiam, à quo ſe uitio adſerere nõ poſſunt, quorum ingenia dicendi artibus non ſunt exculta. Quare non ceſſo uos adhortari, ad elegantiæ earumq; artium ſtudium, ſine quibus diſciplinæ reliquæ non poſſunt non infœliciſsime tractari, quod à uobis par eſt, ut uel publica neceſſitas impetret. Nam ubi diſciplinas grauiores uitiarit barbaries, periclitari ſolent & hominum mores. Eſt enim multo uerius hoc, comparari mores ex doctrina, quàm quod Plato ſcripſit, ex Muſicorum cantibus.

Dixi.

ORATIO CASPARIS CRVCIGERI, de ordine diſcendi, habita in promotione Magiſtrorum, Anno 1531.

VM ex hoc loco ſæpe dictum ſit de uniuerſa Philoſophia, deq; harũ artium omnium dignitate, quæ in ſcholis ideo traduntur, quia ad bene beateq; uiuendum iudicantur eſſe neceſſariæ, Ego pro ingenij mei mediocritate, omiſſis illis præconijs ſuperiorum diſciplinarum, quas arbitror propter manifeſtam utilitatem commendatiſſimas eſſe omnibus, pauca quædam dicere inſtitui de hoc genere diſciplinarum, quod nos profite-

mur,& quo prima ætas ad percipiendas maiores artes prę̃paratur. Quanquam enim & harum utilitates quotidie uobis in ſcholis decantant præceptores,tamen hic aliquid de ea re dicendũ eſt, ut publico mori ſeruiamus.

Et quia à me publico nomine habetur oratio,tantum ei tribuetis authoritatis, Adoleſcentes, quantum exiſtimatis eſſe in hoc collegio uirorum optimorum & doctiſſimorum, præceptorum ueſtrorum, qui mihi hanc perſonam impoſuerunt. Nam horum omnium ſententia,mea uoce ad uos perfertur: qui cũ uobis optime conſultum uelint, non deſinunt uos hoc in loco adhortari ad hæc ſtudia colenda, quæ tum uobis priuatim honeſta atq; utilia,tum Reipub. retinendæ neceſſaria eſſe iudicant. Si quis autem huius ordinis authoritatem aſpernatur, & iudicia contemnit hominum,non ſolum peritorum, ſed etiam toti Reipublicæ optime cupientium, in hoc iure deſideranda erit humanitas.

Duxi autẽ uos adhortandos eſſe, ne ſtudia inferiorũ artiũ negligatis, quę etſi ad populũ parũ habent oſtentationis, tamẽ ad cognoſcendas ſuperiores artes,quę continent adminiſtrationẽ Reipub. uiam ſternũt. Itaq; etiã de ordine diſcendi pauca addemus,qui in omnibus rebus ualet plurimum,ut ſuauiſſime dixit Xenophon: οὐδὲν ὄντως ἔυχρησον ὄντι καλὸν ἀνθρώποις,ὡς ἡ τάξις.

Et ut inde ſumam initium, ſocietatem quandam artium inter ſe eſſe ſcitis. Quare etiamſi quędam in uita excellere atq; eminere uidentur, tamen aliarum ope indigent. Quare imprudenter faciunt,qui dũ ambitione,aut ſpe quæſtus incitati, properant ad illas ſuperiores,quarũ fructus uerſantur ob oculos etiã imperitis,reliquas diſciplinas negligũt & cõtemnunt, quaſi ad uitã inutiles.

Ac mihi

Ac mihi cogitanti interdum uidetur huius societatis quædam in ipsis elementis literarũ similitudo esse, ubi &si dignitate præstant uocales, tamen sine consonantibus sermo nequit existere. Et quoniam ex literis omnes artes procreantur, uestigia quædam in ipsis elementis animaduertere possumus, ut in seminibus, artium dissimilitudinis. Longe antecellunt omnibus uocales, quæ per se uitam & spiritum habent, quia perfectum sonum ædunt, non adiutæ ab alijs. Reliquæ quasi tibiæ ab his inflatæ sonum accipiunt.

Significãt igitur uocales principẽ omniũ artiũ, doctrinam religionis, quę longe supra alias artes collocata, gubernat omnia uitę consilia, negocia, & studia. Nec uero ciuilis disciplina sine religione retineri potest: Et iuris scientia plurimũ à doctrina religionis mutuatur. Ideo sicut semiuocales & si habent obscurã quandã uocẽ, tamen suũ munus tueri nõ possunt sine uocalibus, Ita in disciplina politica, religio ciuilibus institutis uocẽ addit, tuetur authoritate sua ius humanũ, & emendat cũ opus est.

Mutæ literę quasi priuatam uitam significant, quæ uete muta est, hoc est agrestis, & fera, sine religione & ciuili consuetudine. Vt igitur sermo ex dissimilibus literis contexitur, ita diuersa genera artium atq; actionum in uita necessaria sunt.

Quanquam aũt iamdudũ uereor, ut uiri docti in hoc conseſſu has ineptias æquo animo ferant, tamẽ quoniã habetur oratio ad iuuentutẽ, spero eos boni cõsulturos esse hunc ludum, in quo & societatẽ & gradus artiũ pingere uoluimus. Et uisum est in ipsis elemẽtis literarũ pingere, ut quoniã hęc quotidie ob oculos uersantur, sæpe ueniant ista in mentem scholasticis, quorũ cogitatione nobis

nobis quidem uidetur acui & formari iudicium de utilitate artium. Et ego in hac schola professor Grammaticus, libenter sumpsi orationem ex hoc artificio, quod exerceo.

Cogitate autem, Adolescentes, quid futurum sit, si quis consonantibus omissis, tantum uocalibus uti uelit in loquendo: Is profecto cum tota rerum natura pugnabit. Ideo enim literæ uocantur elementa, quod sicut in natura necessaria sunt elementa, ex quibus corpora constant, ita literæ necessariè sunt ad sermonem componendum. Quare sicut illa diuina series in uniuersitate rerum perturbaretur exempto uno elemento, ita abiectis consonantibus, nulla articulata uox existere posset. Itaq; sicut dissimilium literarum naturalis inter se societas est, ita dissimiles artes inter se copulatæ atq; deiunctæ sunt. At hunc chorum artium perturbant isti, qui sentiunt inferiores disciplinas ad uitam inutiles esse, quia earum fructus imperitis non ita in conspectu est.

Si quis admirator cœli ac stellarum (quid enim his corporibus pulchrius cogitari potest?) uelit aquâ ex rerum natura tolli, q̃ impar sit stellarum claritati, nonne hunc insanire diceremus? Si quis propter admirationẽ doctrinæ religionis, iubeat è uita tollere omnia iura atq; instituta ciuitatũ, omnia uincula domesticæ uitę, nonne hunc omnes sani homines ui atq; armis cohercendum esse iudicarent?

Et uidimus his annis quosdam ἀνοσίως θεολογοῦντας dementatos huiusmodi fanaticis opinionibus, erroris sui pœnas dare. Meministis enim Monetarium & Anabaptistas, & hoc genus alia portenta. Ad hunc modum iudicate insanire eos, qui chorum & concentum artium

artium perturbant, neglectis et contemptis inferioribus artibus. Quare sicut de litetarum elementis cogitantes, totum ἄλφα καὶ βῆτα necessarium esse ad sermonem ducitis, ita disciplinas omnes quæ in scholis traduntur, existimabitis ad uitam esse necessarias.

Nam is demum recte sentiet de artibus, qui cum gradus earum animaduerterit, intelliget singulas certæ utilitatis causa repertas esse.

Hęc dixi ad commonefaciendos adolescentes, quorum multos uidemus magno non tantum suo, sed Reipub. incommodo, intempestiue properare ad superiores disciplinas. Nam studia uestra non tantum ad uos, sed ad Rempub. pertinent.

Et hunc finem studiorum uestrorum uobis proponere debebatis, ut ea ad dandum consilium Reipub. & ad docendas Ecclesias, & retinendam doctrinam religionis conferenda esse statueretis, quorum nihil pręstare poteritis sine perfecta doctrina. At perfecta doctrina nulli continget sine disciplinis inferioribus.

Cum hac cogitatione animus conformatus est, proxima de ordine discendi deliberatio esse debet. Neque ego hoc loco dicã, quanta sit uis ordinis in genere, quæ tes & nota est, & latius patet, q̃ ut hic explicari possit. Si agricola prius serere uelit, postea arare, aut si uelit sub Canicula sementem facere, sub bruma arare, labor atq; impensa perierit: Ita si in percipiendis disciplinis non seruetur iustus ordo, profectus omnis desperandus erit.

Bonum malum fit, aiunt, non datum in tempore: Proinde etiam optimarum & maximarum rerum studia nocent, si nõ apto tempore suscipiantur. Quare maiores nostri, ut ordinem discendi constituerent, certos

gradus quasi classes excogitauerunt, per quos ordine ab inferioribus artibus traduceretur iuuentus ad superiores. Nunc quasi perfractis illis repagulis, nullo ordine res geritur. Subito sicut fungi nascuntur nobis Theologi, Iurisconsulti, & Medici, sine Grammatica sine Dialectica, sine ratione dicendi, sine incunabulis Philosophiæ naturalis ac moralis. Quorũ cognitio, non solum quia perliberalis est, olim tradebatur cõmuniter omnibus, priusquam admitterẽtur ad superiores disciplinas, Sed etiam quia iudicium acuit, & præparat ad res maiores percipiendas. Modo autem satis est afferre ad illas disciplinas grauissimas, magnum pileum, & insignem contemptum omnis doctrinæ humanioris.

Hanc temeritatem nisi leges ac Magistratus coherce bunt, breui nullæ erunt in Repub. literæ, nulla doctrina ullius rei. Nam isti Theologi, Iurisconsulti, ac Medici, subito nascentes, nulla præditi liberali doctrina, non solum alias artes interire sinent, sed nec suas professiones tueri poterunt. Nec nihil pertinet hæc cura conseruandarum literarum ad Magistratus: Ideo enim appellantur Dij à Spiritu sancto, ut diuina dona in tertis, religionem, ciuilem statum, & omnes honestas artes tueantur ac retineant. Propter hanc procurationem diuinarum rerũ gerunt augustum titulum, quo nullum habet Magistratus ornamentum maius aut uenerabilius.

Quare conuenit eos prospicere, ne perturbato discendi ordine, honestæ disciplinę intercidant. Plato inquit, Respub. mutari, si contingat Musicam mutari. Neq; id abs re dictum est. Sed hoc multo uerius est, Mutatione studiorum mutari Respub. Omnes autem mutationes Rerumpub. ad Magistratuum curam pertinent. Et per-

uersa

uersa ratio discendi, maximarum atq; optimarum rerum ruinam trahit. Inprimis igitur in hac re uigilantes esse Magistratus oportet. Neq; dubito quin olim de his rebus nouas leges conditurí sint, cum præsentes turbæ atq; motus Rerumpub. consilescent. Quibus utinam contingat Dei beneficio, facilis & mollis κατασροφή.

Interim tamen quantum nos autoritate, studio, ac diligentia consequi possumus, dabimus operam, ut ordine discat iuuentus.

Sed hoc magna ex parte in uobis quoq; positum est: Nos enim & diligenter hac de re adhortamur uos, & lectiones optimas in omnibus disciplinis proponimus. Summa fide traduntur artes, quæ continent rationem dicendi: Elementa Philosophiæ & Mathematum planissime proponuntur. In qua schola secundus liber Plinij tam perspicue enarratus est, ut hic enarratur? Reliquum igitur est, ne uobis ipsi deesse uelitis, sed præsentibus commodis fruamini.

Quod quidem ut faciatis, adducere uos debet cum ipsa cognitionis suauitas, tum etiam utilitas. Nam incredibilem uoluptatē parit eloquentia: Mire delectat homines historia rerum gestarum, quæ & ipsa traditur, cū dicendi exempla proponuntur. Et nihil dulcius est, q̄ intueri animo eas res, quę in Philosophia nobis traduntur, de magnitudine cœlestium corporum ac terræ, de uarijs motibus syderum, quomodo lumina cœlestia uarie mixta inter se ac temperata, diuersos effectus pariunt in hac inferiori natura, sicut aliter atq; aliter mixtę uoces diuersas cantiones efficiunt. Iuuat etiam uidere causas officiorum ciuilium in natura diuinitus scriptas, & mirabili prudentia à doctis hominibus animaduersas.

Iam utilitas maxime percipitur ex his studijs: sunt enim, ut Græci dicunt, πρὸ ὕλης in superioribus artibus, quę certe dicẽdi scientiã requirũt. Quid enim promouerit aliquis, si sermonis genus nõ queat iudicare? Et multa ubiq; sumunt ex Philosophia naturali ac morali: quorũ qui nõ uident fontes, turpiter interdũ hallucinantur.

Et quoniam Reipub. interest, bonas artes conseruare, omnes sentiatis hoc à uobis Rempub. petere, ut detis operam, ne uestra negligentia artes intercidant. Cum autem maiora beneficia omnes à Repub. quàm à priuatis ullis, siue parentibus, siue amicis accipiamus, ęquum est nos uicissim hanc illi gratiam reddere, & nostro labore artes retinere ac defendere.

Quare uos adhortor, Adolescentes, ut ita inducatis animum, prius uobis cognoscenda esse elementa Philosophiæ, & ad superiores disciplinas accedatis, & in ea diligenter collocetis studium atq; operam.

ἀρχὴ, inquiunt, ἥμισυ παντός, Dimidium facti, qui bene cœpit, habet. Faciliora igitur omnia erunt istis in alijs disciplinis, qui recte cœperunt, qui ad alias afferunt earum artium scientiam, sine quibus illæ neq; percipi, neq; tractari, neq; intelligi possunt.

Et hanc orationem existimate me publica autoritate habuisse, quam si quis contemnit, is sciat Deum ultorem huius contumeliæ fore. Ac Respub. ornauit etiam priuilegijs hæc nostra studia & honoribus, quos nunc his iuuenibus libenter decernemus, quia singularem laudem hoc tempore in tanta peruersitate iudiciorum merentur isti, qui hæc communia Philosophiæ studia attigerunt.

Dixi.

De uti-

DE VTILITATE STVDIORVM ELOquentiæ, Oratio Georgij Sabini, habita in Gymnasio Francofordiensi, Anno 1538.

CLARISSIMO VIRO, CVM GENERIS nobilitate, tum uirtute præstanti, D. Eustachio à Schlieben, patrono suo, Georgius Sabinus S. D.

MAgis studijs quorundam amicorũ, quàm meo iudicio factum est, ut ędderetur oratio, quam de eloquentię exercitijs ac laudibus more scholastico habui. Videbam enim multo esse tenuiorem, quàm ut respondere argumenti magnitudini. Quæ enim ars alia tantas ad uitam utilitates adfert, quæ res maiores gubernat, cũ eloquentia? Explicat religiones, regit uniuersam togatam administrationem, dominatur in iudicijs, in curia, in Principum consilijs, & infinita negociorũ uarietate. Sępe etiam bella, & stantes in procinctu acies dirimit. Itaq; præclare Ouidius cum ad Mercurium inquit: Pacis & armorum Deus arbiter. significat eloquentiam, & in pace res maximas regere, & sæpe bella ac populorum tumultus sedare. Tantam facultatem pro dignitate laudare, non est mediocrium uirium. Ego autem de me illud multo uerius prædicare possum, quod de seipso inquit Ouidius:

Inuida me spacijs natura coercuit arctis,
Ingenij uires exiguasq; dedit.

Quare mihi ueniam dari peto, quod susceptо grauissimo argumento, tam tenuem Oratiunculam sine motibus, sine splendore aliquo composui. Nam si qua est in æditione culpa, amicorum est, quibus tamen eo minus repugnaui, quia arbitror omnes in hoc genere exhortationes prodesse iuuenibus, præsertim hoc tempore, cum languescant hæc studia, non solum fatalibus causis, sed etiam hominum ignauia. Et ut Homerus inquit, ὕπερ μοῖραν. Quare omnes boni uiri, maximeq; illi, qui tenent Respub. & qui studijs iuuentutis præstant, excitare debent adolescentiam ad has artes colendas atq; amandas, quibus carere Respub. nullo modo potest. Quales tenebræ in religione, qualis barbaries in iudicijs & negocijs ciuilibus futura est, amisso literarum elegantiorum & eloquentiæ lumine? Facile igitur patior extare hanc meam qualemcunq; exhortationem. Cum autem usitato more patronum aliquem huic scripto quærerem, multæ concurrebant iustæ causæ, ut tui nominis auspicio ederem, quem scio maxime & studijs & laudibus eloquentiæ fauere. Etsi enim abundas ingenij & fortunæ ornamentis, tamen his ingens decus addit eloquentia tua, & cętera illustriora efficit. Nam cum natura te ad hanc artē omniū reginam finxerit, cumq; doctrina excultus sis, magnam tibi laudem, magnam admirationem, dicendi facultas parit, non solum in patria lingua, sed etiam Latina. Eaq; in re illud in primis glorioſum est, quod tua eloquentia patriæ præsidio est. Deinde hanc nostrā Academiam authoritate tua apud Illustrissimum & Clementissimū Principem Marchionem

tem Electorem præcipue tueri soles: Me quoq; singulari comitate adiuuas. Quare hanc ad te Epistolam publice scripsi, primum ut omnes intelligerent te à nobis, & propter admirationem tuarum uirtutum, & propter egregiam erga literas uoluntatem, diligi, coli, & obseruari: Deinde, ut hæc ipsa studia nostra tibi commendarem. Itaque si officio meo delectaberis, præclare me hoc munus collocasse arbitrabor. Peto igitur, ut pro tua excellenti humanitate, & hoc meum officium specimen esse grati erga te animi statuas, & me tuo fauore atque authoritate, in hac publica functione defendas. Est enim iustissimum, eloquentiæ studia ac professores ab ijs defendi atque ornari, quibus eloquentia summam dignitatem atque authoritatem in Republica parit.

Bene ac fœliciter uale. Francofordiæ
ad Oderam, Calendis
Nouemb. Anno
1538.

Non

NOn ignoro quantum onus suscipiat is, qui eloquentium scriptorum enarrationem instituit. Etenim non solum genus sermonis ei notum esse oportet, sed etiam exponenda sunt authorum consilia, multa ex historijs omnium temporum repetenda. denique ut accommodet ad usum, interpres non rudis esse debet Reipub. Hæc cum per sese ardua sint, mihi nouitas ipsa & negocij & loci, multo reddit ea difficiliora. Nam antea nunquam in publico cœtu docui, & fieri nequit, quin recens hospes huius Academię, magis metuam iudicia uestra. Omnium oculi in nouos hospites intenti sunt, multoq; iudicant de eis morosius, q̃ de notis & familiaribus. Itaq; magna in sollicitudine esse cœpi, postquam hęc prouincia mihi ab Illustrissimo Principe nostro Electore mandata est, uosq; magno opere oro, ne fiducia ingenij aut doctrinæ singularis à me expetitam esse existimetis: sed quodam amore patrię hic potissimum uiuere malui, & si quid contigit ingenij aut industriæ, conferre potissimum ad patriæ utilitatem. Quare non arrogantia, sed quodam probabili consilio, seu studio potius à me expetitum esse hunc locum putetis. Vobisq; initio polliceor, mihi non defuturam esse diligentiam in ullo officio, quod à modesto & tranquillo hospite requiri potest. Academiæ authoritatem maximi faciam, professorum beneuolentiam, quibus potero officijs, tuebor, perficiam etiam, ne ciues in me humanitatem desiderent. Hanc meam uoluntatem si probabitis, spero uos de ingenio meo, & de his operis scholasticis minus acerbe iudicaturos esse. Ac uero in primis decet uiros doctos candor, in prouehendis & iuuandis tyronibus,

qui

qui Reipub. operam nauare studeant. Quare rogo, ut his auspicijs meis faueatis, mihiq; , ut ille ait, crescendi copiam detis: quod si facietis, melius de publicis studijs mereri potero.

Cum autem hæc prælectio instituta sit præcipue, ut ad eloquentiæ seu recte dicendi studium iuuentus assuefiat, dicam aliquid de eloquentię laudibus ac utilitate. Et quoniam iuuentutis excitandę causa, hæc oratio habetur, dicam de ijs utilitatibus, quæ nunc in hac forma Reipub. bonis ingenijs expetenda sunt. Eximia quędã uirtus est eloquentia, quæ est facultas sapienter & ornate dicendi, de religione, de Republica, deq; alijs artibus, regens Imperia, summorum Principum consilia, uoluntates inclinans populorum ac gentium, & uel incendens languentes, uel reuocans ac sedans incitatas, qualem describit Vergilius eloquentiam cum ait:

Ac ueluti magno in populo cum sępe coorta est
Seditio, sæuitq; animis ignobile uulgus,
Iamq; faces & saxa uolant, furor arma ministrat:
Tum pietate grauem ac meritis si forte uirũ quem
Conspexere, silent, arrectisq; auribus astant,
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

Porro de hac excellenti ui, & perfecta eloquentia, nõ sum dicturus, sed de his nostris studijs, hoc est, de diligentia recte dicendi, seu componendæ Latinæ orationis, quæ tamen pars aliqua est eloquentiæ, & uelut inchoatio. Hæc quantum sit ornamentum, q̃ multiplices utilitates afferat, exponam. Primum enim commemorabo, quid conducat studium recte dicendi ad cæteras artes uel intelligendas, uel tractandas. Magna est dignitas scientiæ iuris, magnus usus. Cum autem leges sint

eruditissime scripte, & multa in eis compareant uestigia ueteris Reipub. non dubium est, quin multum lucis eis accedat, recte intellecto genere sermonis, & cognitis historijs. Iudicium autem de genere sermonis, confirmat hæc exercitatio dicendi. Sed non tantum in foro, in iudicijs inter illiteratos uersabitur is, qui Iuris scientiam profitetur, uerum adhibebitur ad maiora negocia, ac uere oratoria, ubi magnæ ac difficiles causæ Latinam orationem flagitabunt. Hoc loco quis nõ uidet, quantum decus sit homini docto, posse diserte, perspicue, non sordide, res magnas explicare?

Memini in conuentu Augustano, Liburnos ad Principum concilium uenire, petitum auxilia cõtra Turcas, & deplorare calamitates patriæ suę graui oratione: ibi cæteri Principes omnes detulerunt munus respondendi ad Illustrissimũ Principem Electorem Marchionem Ioachimum I. Non erat nouum, Germanicas ei causas committi, sciebant enim à nemine splendidius ac ornatius agi: Sed cũ laudem eloquentiæ præcipuam uni Marchioni tribuerent, & aliàs Latine dicentẽ audissent, hanc causam etiam ei commendabant. Hoc iudicium cæterorum Principum, nostro q̃ fuerit honorificum, omnes intelligitis. Itaq; cum audiretur cum summa attentione, honestissimis laudibus ornauit Liburnos, propter fidem & fortitudinem, quam in sustinendis & depellendis Turcarum irruptionibus, tot iam annos præstiterunt, ac bene sperare eos de uoluntate Imperatoris iussit, cuius omnes cogitationes iam in parando bello aduersus Turcas consumerentur. Hanc eius orationem prudentes omnes, propter consilium & sententiarum grauitatẽ, eruditi etiam propter genus uerborũ, magna

cum

cum admiratione audiebant: Tantum laudis Principi pariebat Latine dicendi facultas. Quare & reliquæ nobilitati, & cæteris qui ad Rempub. acceſſuri ſunt, omni ſtudio eloquentia expetenda eſt, præſertim hac ætate. Videtis enim quantę res in hac natione motę ſint, quantum ſit negocij noſtris Principibus, cum omnibus Regibus Chriſtiani nominis, ubi pleraq; omnia Latine agenda ſunt. Qua in re & illud conſiderandum eſt, nunquã cæteros Reges adeo ſtudioſos fuiſſe eloquentiæ, ut nũc ſunt. Etenim non modo Itali & Galli, ſed etiam Poloni & Pannones, exploſa ueteri barbarie, nunc cum ſcribũt ad exteros, elegans, nitidum, acuere Latinum orationis genus adhibent. Nec alia ars apud pleraſq; nationes plus habet dignitatis, q̃ Latine dicendi facultas. Iam cogitate quàm multa incommoda ſint expectanda, ſi mittantur ad exteros legati infantes: Primum ridetur gentis ignauia, detrahitur authoritas noſtris, non interſunt conſilijs, accipiunt dictata ab alijs, nec raro turpiter falluntur, & tanquam naribus trahuntur, ut non intellecta probent. Cum igitur ſit perſpicua utilitas, cum inuitent maximorum Regum & Principũ exterorum exempla, cur ſoli Germani huic ſtudio iam luxum, apparatũ conuiuiorum, & neſcio quas uoluptates anteferimus, qui quidem paulo ante etiam hac laude cæteris nationibus antecellebamus? Sed breui mira eſt facta huius nationis mutatio, negligitur res militaris, literę non ſolum ſpernuntur, ſed etiam ſunt in odio. Et honeſtiſſimis ſtudijs ſucceſſerunt multa uitia, luxus, ambitio, perfidia, & pleræq; alię peſtes, quæ inteſtinas diſcordias & alias calamitates pariunt. Quare & Principes, & reliqui qui authoritate cæteros præcedunt, omni contentione iuuen-

tutem reuocare ad recta ſtudia debeant, ac præcipue ad eloquentiam, quæ in Repub. maximum habet uſum.

Porro ſi quis hoc ſtudium eo minus curat, quia putat tantum prodeſſe ad genus ſermonis, is longe errat. Etſi enim nõ eſt exigua utilitas, inſtructum eſſe copia ſermonis, tamen exercitatio dicendi etiam de multis rebus format iudicia, & certe animos ad diligentiam aſſuefacit. Legendi ſunt de optimis rebus ſapientiſſimi ſcriptores, qui non intelliguntur, niſi conſilia ac uoluntates eorum ita conſideremus, quaſi unà cũ illis uiuentes, ijſdem interſimus deliberationibus ac negocijs, in quibus ipſi uerſabantur. Tota Reſpub. uetus animo intuenda, & ad præſentem formam conferenda eſt. Hæ cogitationes aliquid ad prudentiam cõducunt, ac de multis magnis rebus nos admonent, de moribus, de iure, de actionum ac iudiciorum uarietate, de natura rerum. Demoſthenes dicitur octies deſcripſiſſe Thucydiden, ut ſibi authorem eloquentem & familiariſſimum faceret. Nec uero aucupatus eſt præcipue uerba aut genus ſermonis. Nam Thucydidis oratio admodũ diſſimilis eſt forenſi. Sed uarias Reipub. mutationes ac momenta conſiderabat in hiſtoria, excerpebat Principũ conſilia, quorum cognitio ipſi quoque in publicis deliberationibus proderat. Aliquid etiam grauitatis addidit Demoſthenis orationibus, imitatio Thucydidis: Multas enim refert Demoſthenes ſententias Thucydidis. Citant leges multis in locis Homerum, citant Ciceronem, non uerborum cauſa, ſed tanquam ſententias in foro dictas, quarum authoritatem in iudicijs ualere uolunt. Quoties Medici citant Poetas in natura rerum diſcribenda? Quis enim non uidet Poetas uel præcipue hoc ſtuduiſſe, ut pleraſq; naturæ

naturæ partes illustrarent? Itaq; complexi sunt summa cum uenustate ortus & occasus syderum, ac totam doctrinam quæ in uulgaribus libellis de Sphęra traditur, descriptiones fulminum, iridis, & reliqua meteora, herbarum plurimarum & multorum remediorũ naturas. Cicero uero & moralem Philosophiam totam complexus est, & quosdam locos qui ad Philosophiam naturalem pertinent, quorum lectio non modo copiam sermonis, sed etiam rerum scientiam alere potest. Quid est enim illa disputatione, de immortalitate animæ, in prima Thusculana eruditius ac iucundius? Multo etiam eruditior est libelllus de natura Deorum: Ac in utroque multa sumuntur argumenta ex ea doctrina, quam profitentur hi, qui proprie dicuntur Physici. Fateamur ergo eloquentium scriptorum lectionem, non modo ad copiam sermonis, & phrasin comparandam prodesse, sed etiam ad augendam rerum cognitionem, & iudicia formanda de multis maximis rebus. Deinde diligentia in exercitio styli, illa uero in primis acuit ingenia. Nam in inueniendo res quæ ad causam pertinent, prudenter omnes inuestigandę & cogitandæ sunt. Ad hęc deliberandum de rerum ordine & œconomia. Nec minor est cura perspicere quid deceat, quid locis ac temporibus congruat. Postremo compositio & cura elocutionis nõ leuiter exercet scribentem. Huius exercitij consuetudo parit immensas utilitates, prohibet præcipitantiam, & quasi frenum ingenijs injicit, ne temere sine delectu, sine ordine, sine cura effundant omnia, quæ sese offerũt. adfert diligentiam, ut ea quę gignimus, formemus etiã, & arte meliora efficiamus. Id si facerent scriptores uel sacrarum rerum, uel alij, quanto fœlicior esset status re-

tum humanarum. Quorum pleriq; si ad curam in dicendo assuefacti essent, multo essent in deligendis utilibus argumentis, & in cauendis publicis periculis, diligentiores.

Pericles ascensurus in concionem, ac præmetiens animo, quantum periculi inconsiderate dicta afferrent, solitus est precari à Dijs, ne quod sibi uerbum excideret, quod officeret Reipub. Et Demosthenes, cum ei obijceretur, quod meditatus ad dicendum ueniret, respondit, sibi nō modo impudentem, sed etiam improbum ciuem uideri illum, qui de rebus summis, uniuersæ ciuitati consilium daturus, auderet dicere, re non ante diu multumq; cogitata: Quare si possit, non solum scripta, sed sculpta se dicturum affirmauit. Adfert ergo inter cæteras utilitates consuetudo exercendi styli, multiplicem diligentiam, causa tota maiore cura expendenda & cogitanda, cum ipsi nobiscum deliberamus, quomodo eam dicturi aut acturi simus: prospicitur etiam quid in actione periculi sit, deliberatur, quomodo pericula in agendo cauenda sint. Deniq; si nihil est futili garrulitate turpius & pernicioſius, plurimū ad uirtutem in uno quoq;, & ad publicam tranquillitatē prodest hęc assuefactio, ad exercendum stylum, ad formandam & componendam orationē, ne omnia sine delectu effundantur. Multa etiam ingenij uitia corrigit stylus, & cohibet affectus, ne contra decorum concitatius ferantur.

Dixi hactenus, q̄ sit utile hoc studium recte scribendi his, qui ad Rempub. accessuri sunt. Togata administratio præcipue gubernatur eloquentia, & multa Latine agenda erunt. Quare ad hanc tantam rem, ut se iuuentus præparet, adhortanda atq; incitanda est acriter.

Iam

Iam in controuersijs religionis explicandis, quis non uideat magna doctrina, & magna ubertate sermonis, & dicendi facultate opus esse? Sunt enim res obscuræ, & scriptorum dissimilibus disputationibus inuolutæ. Vt igitur ex tanta caligine euoluantur, ut uere, proprie, dilucide explicentur, ea uero res requirit non mediocres artifices. Est autem bonæ & piæ mentis, etiam ob hanc causam expetere eloquentiam, ut ornare gloriam Dei, ut conferre aliquid ad utilitatem Ecclesiæ possit. Ad hunc finem præcipue referri nostra studia debebant, quod & Plato uidit, qui ait eam eloquentiam expetendam esse, quæ non futilia dicat, sed Deo grata. Vetus Ecclesia & habuit eloquentes scriptores, Basilium et alios, qui cum haberent studium recte dicendi, curabant: Primum, ut res ipsas recte intelligerent, postea ut proprie & perspicue alijs traderent. Ideo sincerior apud eos doctrina est, & in posterioribus, qui nullam in dicendo curam adhibuerunt. Quid quod ipse sermo in sacris literis intelligi & iudicari non satis potest, nisi ratio dicendi & figurarum intelligatur. Dicam aliquid etiã de meo artificio, uidelicet, de Poetica. Psalmi magna ex parte prorsus Poeticis picturis ornati sunt, quæ profecto non possunt agnosci ab his, qui sunt ignari Poetices. Nec difficile est plurima exempla monstrare. In Psalmo de concordia: Ecce quàm bonum. comparat concordiam balsamo, quo Pontifex ungitur: significãs suauissimam esse, quia in Repub. in omnibus periculis utilissima est. Vide autẽ quàm uenuste pingat in Pontifice balsamũ, in barbam & in totam pallam defluens. Cur hac utitur pictura? non solum quia illud Pontificium balsamum erat præstantissimum, sed etiam ut significet in Repub. præcipuum

puum concordię autorē esse debere Pontificem. Huius munus est, efficere ac tueri doctrinæ consensum. Sed no lo esse prolixior in re manifesta, nam Theologis opus esse hac cultura, & his literis, quæ rationem dicendi tradunt, minime obscurum est. Nescio quæ res magis inflammare generosas mentes possit, q̄ publica utilitas, seu necessitas potius. Ostendi autem Reipub. magnopere opus esse, præsertim hoc tempore, eloquentiæ studio: quod si cogitabunt adolescentes præditi bonis & rectis ingenijs, accendet eos, ut spero, ad hoc studium Reipub. amor. Hęc causa in bonis pręcipue ualere debet.

Dicerem de præmijs etiam, nam his quoq; mouentur homines, sed in uita sæpe accidit, ut maiora sint præmia malis artibus. Menandri uersiculi citantur, quos hoc modo, ut potui, Latinos feci:

Hæc uita gaudet improbis potissimum,
Sed assentator omnium primas tenet,
Viuitq; longe iucundissime omnium.
Deinde sycophantæ proximus est honos,
Audire enim calumnias dulce admodum.
At tertius conceditur locus inuido,
Artes nocendi qui scit astutissime.

Fruantur ergo maioribus commodis assentatores, sycophantę, & alij instructi malis artibus. Sed tamen ea quę uere dicitur dignitas, nō potest nisi illis competere, qui bene merentur de Republica, uidelicet, bonorum iudicijs probari. Hæc est uera gloria, qua semper in Repub. in ciuitatibus, in Imperio maxime floruerunt boni uiri, eloquētia instructi, quales Romę fuerūt Lelius, Crassus, Cicero, & cæteri Oratores, qui, ut Cornelius Tacitus uenustissime dicit, ne priuati quidem sine dignitate erant, cum &

cum & populum Romanum, & Senatum consilio atq; authoritate regerent. Videtis & hodie in Germania magnam esse dignitatem Oratorũ in aulis & ciuitatibus. Quare si huius fastigij splendore mouẽtur aliqui, ut deceat, cogitẽt nõ exigua prẽmia huic studio proposita esse. Sed de hac Latine dicẽdi facultate iam loquor. Etsi sunt aliæ artes quæstuosiores, tamẽ hæc quoq; parit nõ mediocria cõmoda. Est autẽ moderati animi etiam, mediocrẽ fortunã boni consulere. Et Deo curæ est, ne egeant boni, qui de Repub. bene mereri studẽt, ut significauit Theocritus in fabula Comatæ, quã Adolescentibus recitabo:

Fuit quispiam locuples & auarus pastor, apud quem seruiuit Comata, qui fuit Musarũ cultor, qui & propter pietatem, & ut grex seruaretur diuinitus, singulis mensibus ouem Musis sacrificabat. Hac pietate impetrabat, ut grex aduersus morbos & lupos tutus esset, & multo fieret fœcundior. Sed dominus auarus rescisces singulis mẽsibus ouem mactari, seruũ furti accusat. Ille excusans religionẽ, cõmemorat etiã beneficia diuina, gregis incolumitatẽ, & fœcunditatem. Sed hæc oratio nõ flexit animum impiũ domini. Ridens igitur cœleste numen: Experiar, inquit, an Musæ, quibus tæ curæ esse affirmas, sint tibi famem depulsuræ, si te in hanc cauam arborẽ incluserò, nec dedero tibi cibũ. Statim igitur inclusit miserũ in arborẽ, ibi fame eum necaturus. Quid accidit? Post paucos dies grex scabie & pestilentia moritur. Hic cœpit pastorẽ sæuitiæ suæ pœnitere, cũ agnosceret se diuinitus puniri. Rediens igitur ad arborẽ, seruũ inuenit adhuc uiuũ, incolumẽ, & bene ualentem. Cunq; interrogaret, unde interim alitus esset, respõdet seruus, Musas in eam arborem examen apũ misisse, quæ mella ibi conficerent, hoc

melle se interea sustentatũ esse. Petit ergo herus ueniam sceleris, & agnoscit pios Deo curæ esse, eisq; si non magnas opes, at mediocria cõmoda suppeditari. Hac nos spe confirmemus, & recta ac utilia studia amplectamur. Fortassis etiam Ecclesia erit aliquando tranquillior, cũ ad iudicandũ adhibebuntur uiri boni & docti, qui controuersias planè & simpliciter explicare poterunt, & cũ mitiora studia homines colere cœperint.

Quare inuitent adolescentes, magnitudo publicę utilitatis, dignitas eloquentię, deniq; etiã cętera præmia, ut se dedant his literis atq; artibus, quę ad eloquentiã conducunt, seq; in hoc genere exerceant, & ad res maximas prępareni, pręsertim cũ hic labor homini ingenioso uoluptates etiã dulcissimas pariat. Primũ enim lectio grauissimorũ autorũ de maximis in Repub. motibus iucundissima est quęrentibus exẽpla uirtutis, & honesta consilia uitę priuatę aut publicę. Deinde delectat & ipsa orationis harmonia, ceu Musica quędã: nulla est enim cantilena dulcior, q; oratio de rebus bonis cõcinna & bene cõposita. Postremo ut canenti, sic scribenti, hęc ipsa exercitatio uoluptati est. Iuuat enim inuenire & quasi gignere honesta argumẽta, eaq; distribuere, disponere, ornare, cũ aliis cõferre, & inquirere meliora. Hęc naturaliter delectãt sana ingenia, & quędã ad uirtutẽ uia est, assuefacere animũ ad has honestas uoluptates intelligẽdas et expetẽdas. Est & illa magna cõmoditas, q; hę elegãtiores literę in omni fortuna usui sunt. Adminicula sunt in negocijs, in ocio ornãt nos, & sunt uoluptati. In rebus aduersis leuãt mœsticiã, leniunt curas ac dolores. Adiuuãt etiã bonos, ut religionis doctrinã melius intelligere possint, quę utilitas magno existimari à bonis debet. Dixi.

Oratio

ORATIO VITI THEODORI NORIbergensis, de Studio Linguarum, habita in promotione Magistrorum, Anno 1533.

TRincipio uobis gratias ago, Doctissimi Viri, quod huc & honoris nostri causa, & ut hæc primarũ artium studia ornaretis, conuenistis. Cum autem existimem id uestrũ officium ad studiorum honorem pertinere, spero uos ita induxisse animum, hoc etiam beneficium nobis dandum esse, ut nos nõ grauatim audiatis. Neq; enim huc prodimus, ut dignum aliquid uestra sapientia atq; auctoritate afferamus, quod in huius nostrę ætatis imbecillitate ne quidem requirendum est. Tota hæc fabula agitur adolescentium causa, ad quam uos acceditis spectatores, ut intelligat iuuentus, uobis hæc prima studia probari. Quanquam igitur in omni genere humanitas uestra nobis cognita & perspecta est, tamen id quoq; nostri est officij, uerecundè petere, ut nos æquo animo audiatis. Quare rogo, & ut hanc meam iuuenilem orationem boni consulatis, & ut uestra mihi autoritas adsit in hac causa quam agendam suscepi, quã spero uobis esse probatissimam.

Instituí enim de studio linguarum, ut uocant, dicere. Etsi enim plerunq; hic de Philosophia dici solet, tamen neq; hic locus de linguis, si quis recte æstimet, à Philosophia ualde alienus est. Mihi quidem ea Philosophiæ pars, quę est suauissima, pręcipue ex cognitione linguarum pendere uidetur. Neq; uero hoc argumentum studio nouitatis delegi: Neq; enim statui me nouo argu-

mento in hac infantia satisfacere posse. Sed publica necessitas hortatur, non solum me, uerum omnes bonos uiros quantũ pro se quisq; potest, adolescentiam ad studia linguarum exuscitare atq; accendere. Maxime uero conueniebat ad linguarum causam agendam adhiberi non elinguem, sed eloquentem patronum, qui ornare eas pro dignitate, & magnitudinem utilitatũ, quas parit earum cognitio, illustrare posset. Quod & si intelligebam àme non posse fieri, tamen arbitrabar me non debere publicæ causæ deesse, præsertim in hoc loco, quo cum mihi dicendi necessitatem scholasticus Magistratus imponeret, sperabam tantum autoritatis in hac oratione futurum esse, quantum tribuitis uniuerso collegio doctissimorum hominum, qui & has mihi partes mandarunt, & suam sententiam mea qualicunq; oratione uobis exponi uoluerunt. Qui cum doctrina, iudicio, rerum usu excellant, deniq; cum fide summa & uestris studijs & uniuersę Reipub. consultum uelint, honestissimũ uobis est, monitis eorum libenter & studiose parere.

Sed uenio ad causam, de qua quia etiã propter temporis angustiam non satis dici potest, breuiter utilitates præcipuas colligam, quæ nos omnes ad linguarum studium hortantur: loquor autem de Latina, Græca & Hebraica.

Cum autem aliud alij propositũ in studijs habeant, nec idem doctrinę genus sequantur omnes, de singulis, ut uocant, professionibus ordine dicendum est. Ac primum nõ opinor longa mihi disputatione opus esse de Theologia: Constat enim fontes Theologiæ Ebraicis & Græcis literis contineri. Nec possunt ita transfundi linguæ, ut nihil opus sit fontibus, si uelimus iudicare de

locis

ostendat, linguarum cognitionem ad sacrarum literarum interpretationem necessariam esse. Et meministis, hoc ipso in loco non solum hortari uos, sed etiam sæuere castigare inertiam atq; ignauiam nostram D. Doctorem Martinum. Si tantum huius iudicio tribueretis, quantum ipsius & excellens doctrina & usus postulat, profecto multo auidius & peregrinas linguas disceretis, & multo plus operæ collocaretis in hæc eloquentiæ studia. Sed quia Theologia nunc in odio est, iuuentus ubique cum sacris literis abijcit linguarum & eloquentiæ studium, & eas artes amplectitur, quæ uulgo uendibiliores & magis quæstuosę sunt.

Neq; uero uitupero alias artes: Nam Respub. habet opus magna uarietate artium, quemadmodum uere dictum est. Nō fit ciuitas ex Medico & Medico, sed ex Medico & Agricola. Sed illi reprehendendi sunt, qui aut abducunt omnes à sacris literis, aut cum se dediderunt alijs artibus, nullam studij partem in sacris literis collocandam esse censent, & ut uideo, nos irridentomnes, atq; etiam insanire putant, qui nō in totum abstinemus à sacris literis.

Sed de his nihil hoc loco dicemus, qui cum aduersus Deum impij sunt, tum in Ecclesiam crudeles, qui quantum in ipsis est, uniuersam religionem abolent: Cum alijs moderatioribus disputabo.

Primum ita cogitare uelim bonos adolescentes, religionis doctrinam ad omnes pertinere. Et quemadmodum ille dixit, Homines nō solum sibi, sed etiam patriæ nasci. ita ego multo uerius dicere possim, omnes bonos ita sentire oportere, præcipue natos se esse Ecclesiæ. Itaq; etiā si quę rationes probabiles uocant nos ad alias artes,

non

mento in hac infantia satisfacere posse. Sed publica necessitas hortatur, non solum me, uerum omnes bonos uiros quantũ pro se quisq; potest, adolescentiam ad studia linguarum exuscitare atq; accendere. Maxime uero conueniebat ad linguarum causam agendam adhiberi non elinguem, sed eloquentem patronum, qui ornare eas pro dignitate, & magnitudinem utilitatũ, quas parit earum cognitio, illustrare posset. Quod & si intelligebam àme non posse fieri, tamen arbitrabar me non debere publicæ causæ deesse, præsertim in hoc loco, quo cum mihi dicendi necessitatem scholasticus Magistratus imponeret, sperabam tantum autoritatis in hac oratione futurum esse, quantum tribuitis uniuerso collegio doctissimorum hominum, qui & has mihi partes mandarunt, & suam sententiam mea qualicunq; oratione uobis exponi uoluerunt. Qui cum doctrina, iudicio, rerum usu excellant, deniq; cum fide summa & uestris studijs & uniuersę Reipub. consultum uelint, honestissimũ uobis est, monitis eorum libenter & studiose parere.

Sed uenio ad causam, de qua quia etiã propter temporis angustiam non satis dici potest, breuiter utilitates præcipuas colligam, quæ nos omnes ad linguarum studium hortantur: loquor autem de Latina, Græca & Hebraica.

Cum autem aliud alij propositũ in studijs habeant, nec idem doctrinę genus sequantur omnes, de singulis, ut uocant, professionibus ordine dicendum est. Ac primum nõ opinor longa mihi disputatione opus esse de Theologia: Constat enim fontes Theologiæ Ebraicis & Græcis literis contineri. Nec possunt ita transfundi linguæ, ut nihil opus sit fontibus, si uelimus iudicare de

locis

ostendat, linguarum cognitionem ad sacrarum literarum interpretationem necessariam esse. Et meministis, hoc ipso in loco non solum hortari uos, sed etiam sæuere castigare inertiam atq; ignauiam nostram D. Doctorem Martinum. Si tantum huius iudicio tribueretis, quantum ipsius & excellens doctrina & usus postulat, profecto multo auidius & peregrinas linguas disceretis, & multo plus operæ collocaretis in hæc eloquentiæ studia. Sed quia Theologia nunc in odio est, iuuentus ubique cum sacris literis abijcit linguarum & eloquentiæ studium, & eas artes amplectitur, quæ uulgo uendibiliores & magis quæstuosę sunt.

Neq; uero uitupero alias artes: Nam Respub. habet opus magna uarietate artium, quemadmodum uere dictum est. Nō fit ciuitas ex Medico & Medico, sed ex Medico & Agricola. Sed illi reprehendendi sunt, qui aut abducunt omnes à sacris literis, aut cum se dediderunt alijs artibus, nullam studij partem in sacris literis collocandam esse censent, & ut uideo, nos irridentomnes, atq; etiam insanire putant, qui nō in totum abstinemus à sacris literis.

Sed de his nihil hoc loco dicemus, qui cum aduersus Deum impij sunt, tum in Ecclesiam crudeles, qui quantum in ipsis est, uniuersam religionem abolent: Cum alijs moderatioribus disputabo.

Primum ita cogitare uelim bonos adolescentes, religionis doctrinam ad omnes pertinere. Et quemadmodum ille dixit, Homines nō solum sibi, sed etiam patriæ nasci. ita ego multo uerius dicere possim, omnes bonos ita sentire oportere, præcipue natos se esse Ecclesiæ. Itaq; etiā si quę rationes probabiles uocant nos ad alias artes,

non

non enim uitupero eas, tamen doctrina Christiana nō est negligenda. Aliquid temporis ac studij huic quoq; tribui oportet, tum ad animos nostros confirmandos, tum uero ut præparemus nos ad publicam Ecclesię utilitatem. Fuit in foro, in iudicijs Ambrosius, interim tamen & sacras literas legebat, & Græcos Theologos cū Latinis coniungebat.

Deinde linguarum cognitio non tantum Theologis prodest, habet egregias utilitates etiam in alijs artibus, quod quomodo uelim intelligi, quæso attendite, ne quis putet me detrahere aliquid de aliarum professionum dignitate. Sic enim statuo, hos, qui ad Medicinā aut Iuris doctrinam accessuri sunt, præformandos esse quadam liberali doctrina, quę & Philosophiam, & antiquitatis noticiam continet. Adhibenda est etiam dicendi exercitatio, quibus rebus ingenia & ad suauitatē atque humanitatem formantur, & acuuntur, atque instruuntur, ut percipere & tractare artes alias fœlicius possint.

Si quis autem existimat Philosophiam perfecte cognosci posse sine Græcis literis, hunc sanè patiar sua opinione beatum esse. Sed res loquitur ipsa, quantum interfit inter Aristotelis interpretes Græce doctos, & illos ineptos, qui cum res grauissimas ab ipsis autoribus traditas explicare non possent, nouum quoddam doctrinę genus pepererunt, plenū prodigiosis somnijs, quod nullum in uita aut communibus negocijs usum habet. Deinde iniuriam Philosophiæ facit, quisquis eam tam angustis finibus circumscribit, ut nihil ei tribuat, nisi illa uulgaria præcepta, quæ in scholis ex Aristotele traduntur. Ego uero ut iam non dicam de Mathematicis

ticis disciplinis, cognitionem antiquitatis, poemarum, & historiarum, uel præcipuam partem Philosophiæ esse statuo. Hæc enim continet humanitatis doctrinam, cum proponat omnium officiorum præcepta atq; exempla.

Nihil accidere potest in uita priuata, aut in Repub. cuius non extet imago aliqua in historijs sapientissime scriptis. Plurimum autem, meo iudicio, prodest accessuro ad res magnas gerendas, intueri in illas imagines uelut in speculum, & uidere consilia, ac bonorum & malorum consiliorum euentus. Præterea multa sunt in ipsis negocijs tum prophanis, tum Ecclesiasticis, quæ sine antiquitatis cognitione neque intelligi, neque iudicari possunt. Quoties de Imperiorum mutationibus dicendum est? quoties in Ecclesia requirendę sunt ueterum contentiones de rebus maximis? Hęc sine Græcis & Latinis literis nullo modo cognosci possunt. Et quidem Ecclesiasticę res tantum Græce scriptę sunt. Cæterum uarietate & copia rerum atq; exemplorum longe uincunt Latinos tum Poetæ, tum Historici Græci. Nam Romani domesticas res tantum ornare studuerunt: at Græci omnium gentium atque Imperiorum historias complexi sunt, easq; ita descripserunt, ut uerius philosophentur in ipsorum negociorum atq; consiliorum expositione, quàm illi qui in scholis nuda præcepta tradunt, ac uere Philosophiam ex umbra in solem ac puluerem educunt, hoc est, usum eius in uita atq; negocijs ostendunt.

Hęc doctrina etiamsi tantum propter suauitatem expetenda esset, tamen satis magna causa esset, cur Græce disceremus. Quę enim potest esse uoluptas magis digna

præstantibus ingenijs, quàm ea quæ percipitur ex illa ipsa cognitione maximarum rerum: Et quoniam uoluptates ipsæ aliquo modo ad mores pertinent, traduci ad humanitatem & suauitatem hac delectatione animos arbitror.

At uero nos non tantum de uoluptate disputamus, de fructu ac necessitate loquimur, quia sine hac liberali doctrina, quæ prçcipue Græcis literis continetur, nemo satis idoneus est uel ad cæteras artes tractandas, uel ad res magnas gerendas. Non sunt in hoc omnia. Sed tamen si quid omnino doctrina uel ad excitanda ad uirtutem, uel ad conformanda ingenia proficit, non dubito affirmare, eam ad rem plurimum conducere hoc doctrinæ genus, de quo loquor. Illud certe negari non potest, ad cæteras artes tractandas requiri hanc doctrinã. Nam & Medicina magna ex parte Græca est, & sine Philosophia percipi non potest. Et si hi qui se dediderunt Iurisconsultis, non tantum illam forensem Rhetoricam auferre studeant, ut eam ad quæstum conferant, sed doctrinam expetunt futuram usui Reipub. & ut ipsi loquuntur, non simulatam Philosophiam: His ut possint cum decoro tueri personam suam, profecto etiam alia quadam doctrina opus erit, uidelicet, religionum scientia, noticia antiquitatis, eloquentia, & illis literis, quæ cum sontes legum contineant, non minus in consilium adhiberi solent de communibus officijs, quàm ipsæ leges.

Sed sunt quidam iuuenes, qui cum propter ignauiam fugiant discendi laborẽ, subito irrumpunt ad summas professiones, quarum titulos prætexunt suæ ignauiç. Hi ut iudicio uideantur has artes aspernari, hæc nostra studia uitu

dia uituperant. Qui siquidé ita libet, fiant sane Solones meri sine Grammatica, sine Dialectica, sine cognitione religionum, sine eloquentia, sine Philosophia, denique sine humanitate ulla. Verum hoc miror, quo isti ore aspicere legum libros audeant, quarum autores apparet præclare instructos fuisse his ipsis artibus, de quibus dicimus. Quàm multa ex Græcis & Latinis historijs repetunt? Quàm reuerenter assurgunt Homero, quoties eius sententias uelut oracula citant? Alicubi pronunciant ex uerbis Demosthenis, alicubi ad uerbũ transscribunt Platonis dicta. Et quidem recentiores Doctores disputant, ualere in causis Philosophorum ac Poetarum autoritatem, quia maiorum instituta, moresq;, & grauissimas rationes honestorum officiorum, denique uim omnem iuris naturalis sapientissime describunt. Quæ tandem impudentia est, eas literas contemnere, de quibus ipsi legum conditores honorificentissime sentiunt?

Proinde modesta & bona ingenia adhortor, ut cum professionis magnitudinem, ad quam se contulerunt, considerabunt, exemplo suorum autorum cogitent aliquid studij his nostris artibus ac literis impertiendum esse. Cum cæteris nolo pugnare, qui non solum nostra iudicia, sed etiam suorum autorum exempla aspernantur. Alia enim alij bona ducunt, ut uere inquit ille: Ἀνάχαρσις πρὸς ἀθηναίους σολοικίζει, ἀθηναῖοι δὲ πρὸς σκύθας. Nihil isti afficiuntur suauitate earũ artiũ, quas nos miramur, nec nos ab optimarum rerum studijs istorum iudicia abstrahent.

Atq; ita cogitate Adolescentes, cum in studijs uersemini, constantiam ac fortitudinem uobis etiam adhi-

bendam esse. Neq; enim sine fortitudine coli aut retineri uirtus ulla potest. Quare non patiamini uobis harum nostrarum artium & linguarum studia præposteris uulgi atque indoctorum iudicijs excuti: Durate, & uos met rebus seruate secundis: Cur enim non utar fortissimi uiri uerbis apud Poetam, præsertim in causa multo maiore? Nam ille sedes sibi ac socijs quærebat. Vestra studia ad uniuersam Ecclesiam, & ad omnem posteritatē pertinent. Quæ autem causa existere maior ulla potest, q̄ quæ salutem Ecclesiæ continet?

Sæpe audiui Capnionem, cū Romam à Principe Palatino certi negocij causa missus esset, uenisse in Argyropyli auditorium, qui tunc Romæ magna cum laude Græce docebat. Cunq; Capnio reuerenter salutato Argyropylo in conspectu multorum doctissimorum hominum exposuisset ei, se hominem Germanum incensum studio Græcarum literarum, gratulari sibi eam fortunā, quod occasio audiendi ipsius contigisset, quo illis quidem temporibus nemo in Philosophia & Græca lingua doctior prędicaretur, oraretq;, ut sibi audiendi potestatem faceret: delectatus Argyropylus oratione Capnionis, cum operam suam benigne pollicitus esset, interrogat, an attigerit antea Græcas literas. Capnio ait, se Basileę in Germania audisse linguę elementa. Enarrabat autem forte Argyropylus Thycididem, hunc exhibet illi, aciubet legere, deinde etiam interpretari. Cum autem & suauiter pronunciaret Capnio (audio enim perstudiosum fuisse recte pronunciationis) & sententiam sic satis Latine redderet, ibi uero Græcus ille admirans, conuertit se ad auditores, & exclamans: Ecce, inquit, Græcia nostro exilio transuolauit alpes. Quod quanq; ille

uere

uere dixit, nam exules Græci accenderunt hæc ſtudia apud Latinos, Tamen uos ita exiſtimare debetis, diuinitus accidiſſe, ne infuſis in Græciam Turcis, ac deleta natione Græcorum, lingua etiam intercideret Eccleſiæ imprimis neceſſaria: Itaq; in has nationes ſingulari Dei beneficio propagata eſt. Neque uero negari poteſt, plurimum lucis eam attuliſſe, cum alijs artibus omnibus, tum etiam ſacris literis. Eloquentiæ ſtudia mirifice adiuuit: Nam ſine Græcis autoribus intelligi Latini ſcriptores non poterant. Aditum fecit ad Germanam Philoſophiam. Neq; tantum ad Ariſtotelem & Græcos Medicos, ſed etiã ad optimos autores Mathematices. Quantum enim debemus his qui Euclidem & Ptolemeum Latine uerterunt? In his expoliendis, & hoc toto genere artium illuſtrando, uidemus poſtea Ioannem Regiomontanum ciuem meum, Græcis literis ualde adiutum eſſe. Et nonnulli nunc quoque in Germania, qui excellunt Græcæ linguæ cognitione, ſtudium conferunt ad ornandos eius generis autores. Boni uiri ſacras literas & amare magis & tractare purius cœperunt, patefactis fontibus.

Has artes, quas recenſui, obruere ac delere triſtius fuerit, quàm ſolem è mundo tollere. Neq; uero ſine cognitione peregrinarum linguarum retineri earum poſſeſſio poteſt. Qua ex re facile iudicari poteſt, linguarum noticiam non eſſe leue aut uulgare Dei donum. Quæ autem impietas, quod ſcelus eſt, tale donum, cuius uſus tam late patet, aſpernari, & diuinitus illatum in has nationes rurſus explodere atq; eijcere? Leges publice atrociter puniunt ſacrilegia: At maius ſacrilegium eſt, Eccleſiam ſpoliare linguarum cognitione, quàm aurea aut

argentea supellectile. Hæc enim cœlestia dona Euangelio lucem afferũt, & uerius sunt Ecclesię supellex, quàm ulla ornamenta aurea. Neq; enim dubium est, quin ad hanc utilitatem Deus Euangelio addiderit donum linguarum, ut uocant, ut ad sacras literas explicandas conducant. Itaq; sacrilegos istos linguarum contemptores putate in ipsas aras ac templa impetũ tanti furoris olim facere, & nastitatem atq; exitium religioni & omnibus honestis artibus minari, nec dubitate quin Deo pœnas daturi sint. Nos uero si & Deo grati, & erga Ecclesiam pij esse studemus, agnoscamus Dei beneficium, & propter Ecclesiæ utilitatem tueamur & conseruemus. Si quem ab his studijs hoc deterret, quod non uidentur labori respondere prędmia, is nõ satis religiose de Deo sentit. Cum enim pietati toties ingentia præmia Deus polliceatur, non est de eius fide dubitandum. Alicubi promittit ampliſſimos frugum prouentus, si populus liberaliter conferat ad usus neceſſarios templi. Quare nec nobis præmia defutura sunt, si studia nostra ad Ecclesiæ utilitatem conferemus. Et est pietas, expectantem hæc promissa, Ecclesię utilitatibus consulere.

Dixi.

ORATIO DE CONCORDIA ET COMmunicatione ſtudiorum atq; operarum, in promotione Magiſtrorum dicta à Decano Magiſtro Ambroſio Iuterbocenſi, Anno 1537.



VM Ageſilaum Regem Spartarum, domi ſuæ cum paruis liberis in baculo equitantem deprehendiſſet quidam ex Ducibus, caſu interueniens, atq; admirans, Regem, & quidem talem, quo illa ætate nullus uir præſtantior in tota Græcia eſſe iudicabatur, hoc modo cum pueris colludere, petit Ageſilaus ueniam ab iſto, ſiquidem hic ludus uideretur alienus Regia grauitate. Deinde addit, ſe non tantum oneris ipſi imponere, ut perpetuo hanc rem taceri poſtulet, ſed rogat, ut tantiſper taceret, donec ipſe liberos haberet: ſignificans eum qui liberos non haberet, non intelligere, quid habeant hi ludi nō dico uoluptatis, ſed utilitatis. Quamuis enim per ſe ridiculæ res ſunt, tamen ad diſciplinam, ad mores formandos pertinēt. Et prudens pater intelligit, magnam uim aſſuefactionis eſſe in tenera ætate, etiā in his leuiſſimis exercitijs. Vt autem ille Spartanus miratur patrem colludentem cum paruis filijs, ita multi nunc quadam inuſitatę ſapientię perſuaſione deridēt, cum alios multos ueteres & honeſtos mores, tum etiam hos ſcholaſticos gradus, & ſpectacula promotionum: Quos uelim hanc Ageſilai reſponſionem conſiderare, nec prius uituperare uetera inſtituta, quàm ipſi habeant liberos: hoc eſt, non prius quàm perſpexerint quanta ſit infirmitas in tenera ętate, quas ob cauſas, hi ludi, gradus, tituli propoſiti

positi sint, quantum referat puerilia ingenia his ritibus certo quodã ordine assuefacere, ac prouehere in discendo, quantum conducat exemplum, ut assuefiant ad publicos mores amandos. Incredibilis infirmitas est animorum puerilium, quare ad eos excitandos, regendos, aut deprauandos, paruæ res sæpe magnum adferũt momentum. Hanc infirmitatem quo magis perspicimus nos, quos iam usus, ætas, mutationes Reipub. graues erudierunt, eo magis amamus hos scholasticos mores institutos, ut studijs prosit ordo, ut discant adolescentes ordinum discrimina intelligere. Itaque non recusamus quanquã senescentes, in hanc scenam prodire, & amanter petimus à prudentioribus, ut & ipsi faueant his spectaculis, propter iuuentutis utilitatem. Neq; enim tantum ad hunc cœtum, qui in hoc theatrum confluxit, sed ad nostros liberos, & ad posteritatẽ pertinent. Non fastidiamus hos ludos, tanquam res indignas nobis, sed exemplum nostrũ prodesse adolescentibus ad honestos mores amandos & conseruandos existimemus. Hęc pręfatus sum, ut imperiti intelligant nos bono consilio hos scholasticos ritus conseruare. Quod cum ita sit, æquum est, uos orationem meam patienter audire, quam hoc loco habere me cogit officij ratio. Etsi autem quędam erant causę, cur de artium studijs & utilitate, hoc tempore dicendum uidebatur, tamen cum alij sępe uobis commonstrent usum, in multis uitę partibus, & uituperatoribus grauiter respondeant, relinquam modo id argumentum, & dicam de concordia, deq; communicatione studiorum atq; operarum, sine qua retineri & consistere Respub. non potest. Extat autem apud Græcos uenustum Epigrãma, in quo pingitur optimus

Reipub.

Reipub. ſtatus. Ac eo libentius argumentum Epigrammatis illius recitabo, ut exemplum illuſtre adoleſcentes infigant animis, quod eos & in ſchola, & deinceps in omni uita admoneat, qua arte retinēda ſit publica tranquillitas. Ea uero magna eſt ars, ſeu ſapientia potius, præcipue requirenda in ijs, qui uiri boni perhiberi uolunt, quæ cuiuſmodi ſit, in hac imagine conſpici poteſt:

Forte in uia conueniunt cæcus & claudus, ubi cum ſine duce progredi cæcus non poſſet, claudo etiam uehiculo opus eſſet, retinebatur uterq; ſuo malo. Vidit autē claudus cæcum ualidos lacertos, firmos pedes, denicq; robur integrum corporis habere, nec quicquam morbi in eo hærere, niſi quod oculis captus erat. Quare prudenter inijt rationem, ut inter ſe communicarent operas, & alter ſarciret id, quod deerat alteri, ut cæcus tolleret in humeros claudum, claudus iſti monſtrator uiæ eſſet. Exponit ſuum conſilium cęco, & ſuam operam pollicetur. Etſi ſarcina imponebatur non leuis cæco, tamen cum humanitate ſocij caperetur, non detrectat hanc conditionem, ac ſublato in humeros claudo, pergit, & gubernat eum claudus. Ita amanter cōmunicatis operis iter ſuſceptum conficiunt. Hæc eſt imago optimi ſtatus in Repub. Primum enim in tanta mole ac uarietate negociorū, nemo unus par eſſe omnibus rebus adminiſtrandis poteſt. Deinde tanta eſt infirmitas ingeniorum, ut etiam qui unum aliquod munus ſuſtinent, tamen interdum non ſatis ſint intenti, interdum fallantur. Denicq; nihil eſt in rebus humanis ab omni parte perfectū. Itaque opus eſt primum in Repub. ea inter ciues beneuolentia, ut non grauatim, quod quiſq; poteſt, ad uſum communem conferat, deinde quædam ut uitia in alijs

dissimulemus, postremo ut nostra diligentia, dexteritate, & uirtute sanemus, ut sicubi cessatum est ab alijs, arte ab alijs sarciatur iactura. Talis status optandus est ex animo, & decet bonos omnes, consilia omnia sua, & omnes actiones ad hunc statum efficiendum dirigere. Sic in schola liberaliter conferant singuli suas artes ad communem usum. Nemo alterius generis artifices premere conetur, quædam etiam incommoda in alijs tegenda sunt, & uel comiter emendanda, uel arte quadam sarcienda. At nos quidem in scholis præcipue amemus hunc statum, quia Aristoteles, quem sequimur Magistrum in Philosophia, Aristocratiam maxime probat, & hanc antefert omnibus formis politiarũ. Sequamur igitur Aristotelem, & in scholis, quantum fieri potest, Aristocratiam efficiamus. Hæc autem non sunt Aristocratica, sed partim Timonica, partim ὀλιγαρχικὰ, graua tim operas in commune conferre, uel impedire aliorũ cursum, qui & ipsi bene merentur de Repub. aliorum aucupari errata, aut etiam calumniari studia, seu odio, seu ambitione, seu aliqua alia cupiditate. Quanta inter se modestia certarunt septem illi summi uiri, qui Sapientes nominantur, qui eodem tempore floruerunt in diuersis ciuitatibus? Nam cum Mileti, inuentam auream mẽsam Apollo iussisset sapientissimo dari, ciuitas Thaleti dandam esse decreuit: is magnitudinem huius laudis non agnoscens, & libenter alteri, uel impertiens, uel cedens, misit Soloni, Solon ad eundem modum Bianti. Cum per omnes septem uagata mensa ad Thaletem redijsset, ait Thales, nunc demum se oraculi sententiam intelligere: iussitq; mensam offerri Apollini, quod Deus significasset hoc inuolucro, neminem mortalium, sed solum

solum Deum sapientem esse. O uere Aristocraticos uiros, quorum nemo de alterius laude quidquam decerpsit: deinde qui uiderint, nihil esse furiosius, quàm homines sibi sapientiæ laudem arrogare. Itaq; comiter inter se uixerunt. Et quidem Solonem accipimus à Thalete didicisse motus astrorum. Nunc uero quoties illud fit, quod ait Martialis:

Qui uelit ingenio cedere, rarus erit.

Et uidimus aliquoties hoc accidere, ut ortę dissentiuncułæ ex leuissimis initijs excitarint ingentes tumultus, quorum exitus ne nunc quidem prospici potest. Cur hic nõ uenit in mentem cæci & claudi, ut mutuis officijs cogitaremus iuuandam esse Rempub. non acerbitate animorum dilacerandam? Romę Scipionem optime meritum de patria, inuidi ciues aliqui allatrarunt, quibus ille ex urbe cedere maluit, quàm excitare maiores tumultus uehementius concertando. Ita cum non abduceret eum ambitio à moderatione, communi saluti ac tranquillitati optime consuluit. Contra flagitiose Marius, qui cum uereretur gloria Syllæ, conatus est eum uispolia te exercitu & prouincia, patriam implicuit crudelissimo luctuosissimoq; bello. Sed omnium seculorum atque ætatum historiæ plenæ sunt exemplorum, in quibus conspici potest, sæpe certamina accensa, seu quadam morositate ingeniorum, seu odijs aut inuidia, magnis Imperijs acciuitatibus exitio fuisse: Rursus etiam commoditate moderatorum ciuium, qui impetus aliorum, tatione lenierunt, seruatas esse Respublicas. Hæc exempla cum legimus atque audimus, nos quoque ad moderationem, & regendos animorum impetus hortentur. Decet enim pręcipue literatos homines doctrinam uir-

tutis,ad mores atque usum transferre. Deinde nequaquam committendum est, ut quemadmodum nauis, excusso gubernatore,sine uelo,sine gubernaculo uentis iactatur, ita nos extincta ratione, rapiamur affectibus, nec consideremus quid expediat Ecclesię, quid Reipub. quæ exempla noceant iuuentuti, quid publicis studijs prosit aut obsit,sed qua impellunt turbidi affectus, cæco impetu ruamus. Tale uitæ genus nec Philosopho, nec Christiano conuenit: Nam uel maxime Christianus omnia sua consilia,ad gloriam Dei,ad Ecclesię ædificationem,& ad iuuentutis salutem referre debet. Nec uero fieri potest in tanta infirmitate hominum, quin incidant errores atq; offensiones: Et diabolus sæpe igneis telis, ut uocat Paulus, sauciat animos, & inflammat odijs,ut Ecclesiam aut Rempub. dissipet. Has dissidiorum causas intelligere Christianos decet, ut singulari diligentia,& muniant pectora aduersus illa tela, & affectibus frenum injciant. Si quid in alio desideras, cogita qua ratione mederi possis, nō ut exulceres. Plutarchus περὶ φιλαδελφίας scribit morem fuisse Græcæ gentis, cum duo fratres unà incedebant, & ad lapidem aliqué excitatum ueniebant,ne seiuncti cederent medium locum lapidi,sed ut ambo simul ad idem latus circuirent lapidem. Huiusmodi ritus uarios singulę gentes habēt, qui & recepti & conseruati sunt, quia aliquid de moribus significabant. Accommodat igitur Plutarchus hunc ritum ad fratrū concordiam, ac moneri eos hoc exemplo ait,ut caueant,ne quis lapis,hoc est, ne ulla offensio diuellat eorum animos: Et si qua inciderit offensio,ut illam coniuncti circumeant,hoc est, dissimulent,deleant ex animo & extinguant. Hæc uirtus non solum priuatis familijs

familijs, sed Reipub. & Ecclesiæ necessaria est. Itaque extant in scriptis sapientissimorum hominum grauissimę conciones, quę hortantur, ut concordiam tueamur, ut placari nos sinamus, ut redeamus in gratiam cum ijs, quorum animi sunt sanabiles. Cum autem de his rebus, loci scripturatum uobis noti sint, nolui esse prolixior. Tantum illud moneo, quod apud Homerum est, qui fingit Aten ualidissimo corpore discurrere, & dissidia excitare, sequi uero Litas diuinitus missas, quæ hortantur, ut redeant homines in mutuam gratiam. Et addit Poeta, Litas magna beneficia impertire obtemperantibus, & uicissim eos exaudiri, si quid à Deo petant: Alijs uero qui non obtemperant, imprecari, ut Ate de eis pœnas sumat. Nec uero putate hanc Homeri concionem fabulosam esse. Sententiam haud dubie à uetustissimis illis parentibus, quibus uera religio nota fuit, acceptam recensuit, & Poeticam addidit picturam. Quid enim uult aliud, cę quod toties præcipiunt sacræ literæ, ut simus placabiles, ut obliuiscamur iniurias: hoc officio ita delectari Deum, ut uicissim nobis rogantibus det erratorum ueniam, & multa largiatur beneficia: Rursus autem implacabilibus placari nolle, & eorũ pertinaciam asperitatemq; animorum punire: Hæc sententia nequaquam prophana est, manauitq; haud dubie à pijs maioribus ad posteros. Scitis enim à Christo nobis sæuerissime commendatum esse hoc officij genus: Remittite, et remittetur uobis. Hæc præcepta, si magnifacimus Deũ autorem, si amamus publicam Ecclesiæ tranquillitatẽ, si Reipub. salus nobis curæ est, toto pectore accipiamus, & communem concordiam tueamur. Si qua sunt in amicis incõmoda, aut prudenter sanemus, aut comitate

noſtra tegamus, cogitemusq; ſæpe in uita locum habere illud quod ait Plinius: Qui uitia odit, homines odit. Certe in ſchola ſic uiuere, ut uiuũt in arena gladiatores, turpe ac miſerum eſt. Ferarum enim eſt talis congreſſus, niſi quod hę cognatarum motſu abſtinent, gladiatores uero mutuis cędibus in ſeſe ruunt. Itaq; & hortor & oro omnes ſtudioſos, ut omni genere officij iuuare Remp. & tueri communem concordiam annitantur, Id dignũ eſt bonis uiris & Deo gratum, & ut Pſalmus inquit, hoc agentibus Deus dabit benedictionem. Poſtremo quia non tam mea oratione, quàm autoritate & ſententia optimorum, & præſtantiſſimorum autorum uos adhortor, libuit in fine adijcere memorabile dictum Senecæ, qui ſic in poſtremo libro de ira ait: Dum inter homines ſumus, colamus humanitatem, non timori cuiquã, non periculo ſimus, detrimenta, iniurias, conuitia, uellications contemnamus, & magno animo, breuia feramus incommoda, dum reſpicimus, quod aiunt, uerſamusq; nos, immortalitas aderit.

Dixi.

Oratio

ORATIO DE INGRATITVDINE CVculi, habita in promotione Magistrorum, à Decano Magistro Ambrosio Interbocensi, Anno 1537.



Citis Adolescentes, hos cœtus, disciplinæ causa institutos esse, ut conueniant huc illi qui præsunt Academiæ, ad inspicienda iuuentutis studia, & reliqua multitudo suo officio declaret, se delectari his congressibus, in quibus & doctissimi homines conueniunt, et habentur orationes, sumptis materijs, ex magna quadam optimarum artium uarietate, quæ sunt utiles uitę ac moribus. Ac uero iuuenes eo decet libentius interesse his pompis, quia bonæ menti nullum est iucundius spectaculum, q̃ uidere tales cœtus uirorum, excellentium ingenijs, doctrina, uirtute. Nam & ipsa uirtutis pulchritudo in prę̃stantibus uiris, oculos atq; animos hominum mirifice capit. Et iuuat eos uiros intueri, qui sunt præcipua ornamenta Reipub. An existimatis exercitum Græcum ad Troiam quidquam spectasse libentius, q̃ unà incedentes heroas, Achillem & Aiacem? Intelligebant enim horum uirtutem præsidio esse uniuerso exercitui. Quare & his, qui præsunt Academię, gratias ago, quod ut ueterem honestissimumq; morem conseruarent, nõ grauatim huc accesserunt: Et reliquorũ laudo officium, qui sua frequentia, uoluntatem & studium suum erga præceptores ostendunt. Et quoniam nihil magis decet in congressu eruditorum, quàm commentari aut disserere de rebus bonis, & hę dicendi partes mihi datę sunt, magno-

magnopere optarim, me posse adferre orationem dignam hoc honestissimo cœtu. Sed est humanitatis uestræ, fauere etiam mediocribus ingenijs, præsertim cum exercitationis causa hæc consuetudo dicendi instituta sit. Vt autem alij hoc loco interdum de artium dignitate, interdum de uirtute aliqua dicunt, ita sumam & ipse aliquid ex Philosophia. Ac uero pars est Physices non infima, cognitio naturæ animantium. Nam inquisitio naturę eorum multa monstrauit remedia, deinde morum uarietas indita animantibus, monet nos, hũc mundum non temere aut casu extitisse, sed à mente aliqua æterna ortum esse, quæ impressit imagines morũ etiam brutis animantibus, ut exemplis illis admoniti homines, discerent amare recte facta, & odisse uitia. Quàm uenusta imago est Ecclesiæ, halcyonum partus, quæ cũ in scopulis in mari nidificent, solent incubare ouis, & excludere pullos in media bruma, cum quidem mare tanquam inseruiens illis incubantibus per illud tempus mitescit & placidum est. Me quidem hæc imago sæpe admonet Ecclesiæ, quæ perinde ut halcyones in mari, hoc est, in summis periculis uersatur. Deinde parit eo tempore, cum tempestates solent esse sęuissimę. Fortasse autem hoc sunt fœliciores halcyones, illis mitescit mare: Ecclesiæ non tantam rationem habent Tyranni, ut placati aliquantisper concedant ocium parienti. Sed tamen, id quoq; fit, diuinitus aliquantisper tegit Deus Doctores, dum propagata doctrina soboles adolescit. Conueniunt Ecclesię & mores halcyonũ, nesciunt adulteria, & extincto coniuge, alter manet cœlebs, & paulo post luctu moritur. Mulier etiam senem maritum Cerylum, ut apud Græcos legitur, gestat humeris suis aquatum.

Itaque

Itaq; ueteres scripserunt honesti coniugij exempla esse, quod quidem nõ displicet, sed tamẽ ad Ecclesiam non male quadrat exemplũ, quę gestare & fouere omnibus officijs benemeritos doctores debet. Possem alia multa exempla cõmemorare, in quibus apparet, diuinitus has imagines propositas esse, ut de multis magnis rebus in uita nos admoneant. Ac præcipue eo me delectat istarũ rerum cogitatio, quod uideor mihi uidere testimonia diuinitus impressa naturæ, quę ostendunt mundum nõ extitisse casu, quę quidẽ ita sunt illustria, ut ueteres etiã Philosophos mouerint. Ideo enim præclare inquit Aristoteles, in primo de partibus animaliũ, Cũ in omnibus partibus naturę insit admirandũ quiddam, satis apparet, naturam nõ extitisse casu. Stoici etiam hoc consilio naturam definiunt, uim arte progredientẽ ad generandum: & profitẽtur se in definitione addere artẽ, ut significent naturã mente quadã regi in omnibus actionibus, quę uelut artifex est omniũ generationũ & motuum in natura. Libenter igitur ex huiusmodi materijs sumpsi hoc loco argumentum, ut iuuenes admoniti, & ipsi hæc uestigia Dei in natura cõsiderent. Sed uideo me in exordio longius euagatũ esse q̃ uolebam, & si arbitror uobis quidẽ, qui & Philosophię & religionis amantissimi estis, nõ fuisse ingratam hanc commemorationem. Nunc uenio ad argumentũ, quod huc afferre præcipue constitui. De ingratitudine, impietate, & scelere Cuculi dicturus sum: qui quale hominum genus repręsentet, postea explicabo, prius enim narranda est historia. Aristoteles in nono libro de natura animalium, scribit cuculum propter timiditatem, quam in ipso insignem esse cõpertum est, non facere propriũ nidũ, nec suos pullos

excludere, sed deponere ouum in alieno nido, ac plerunq; currucę. Hæc cũ reperit ouum inter sua, simul huic etiam incubat. Deinde pullis exclusis, quia cuculus magnitudine & uiribus superat reliquos, quidquid sedula mater cibi adfert, suppositicius iste præripit. Ita fit, ut cæteri pulli fame moriantur: Putant etiam matrẽ eo maiore cura hunc fouere, quia magis eum miratur & amat propter magnitudinem corporis. Interdum ipse cuculus factus robustior, cæteros pullos deuorat, interdum senior cuculus exorbet oua currucę: Adeo multiplex est in hoc genere crudelitas. Postremo ubi adoleuit sceleratus & impius pullus, addit nefariam & plusquam tragicam catastrophen: Nam currucam, qua incubante natus est, à qua magna assiduitate nutritus est, crudeliter laceratam deuorat. Hanc pro maternis beneficijs, & pro nutricatione uicem, iste ἀσοφγ& rependit, dignus qui perpetua scabie notatus sit, & quem oderint ac fugiant reliquæ aues ceu dirum portentum. Ita enim natura fertur illum damnasse impietatis, ut uere erret sicut polluti, sine nido, & sine ulla societate, sicut apud Homerum de pœna impiorum dicitur ἀνέστιος καὶ ἀφρήτωρ. Solus enim sine ulla societate sui generis aut aliarum auium uagatur. Non igitur obscura est significatio: imago proposita est in tetra uolucre, ut uideamus, turpissimæ naturæ similitudinem habere ingratos. Sicut in alijs fœdis animalibus aliorum uitiorum similitudo proposita est, ut cognita turpitudine bestiæ, homines magis abhorreant à similibus uitijs: ut in lupo ineſt rapacitas & crudelitas, in polypo tanta libido, ut extinguatur in concubitu. Noctua piscis tam uorax est, ut non desinat se onerare cibo, donec rumpatur.

Sed

Sed longum esset exempla persequi. Ad institutum argumentum redeo. Adfectat cuculus etiam Musicæ laudem, quare ubi luscinium audiuit, eò aduolat, & excitatus cantu illius, cum ea certare studet. Hinc intelligi magis potest, in quo genere hominum, ingratos significet, nempe inter eos, qui obstrepunt melioribus in dicenda sententia, in studijs Ecclesiasticis, aut alijs, quæ uitæ conducunt. Hic quanta cuculorum agmina numerari possunt, non modo si ueteres historias repetamus, sed etiam si præsentia negocia consideremus? Homero obtrectabat Zoilus, ceu luscinię cuculus, Ciceroni Clodius, & alij multi. Habuerunt suos cuculos & heroici uiri: Scipioni obtrectabat Carbo, Alcibiadi Hyperbolus. Quanquam quid opus est exempla colligere? plena est horum, quotidiana uita, sed maxime in Ecclesia: Et ad hanc, totum hoc symbolum maxime conuenit. Curuca Græcis est Hypolais, quæ nomen inde habet, quod humi ad saxa nidificet, talis est uera Ecclesia, spreta & abiecta in mundo. Hæc dum omnes fouere, & iuuare conatur, etiam suppositicios fœtus nutrit, qui cum propter hypocrisin ueniant in admirationem, facile beneficio Ecclesiæ, autoritatem & potentiam consequuntur. Hanc adepti, deinde grassantur in ipsam matrem, eamq; dilacerant, & crudeli tyrannide opprimunt. Deinde illum feralem & infaustum sonum ædunt in Ecclesia, sonant impia & pernicioſa dogmata. Arium euexit ad honores Ecclesia Alexandrina, qui cum esset suppositicius fœtus, postea Ecclesiam orbis terrarum horribiliter dissipauit. Quid in scholis accidit, quæ cum sunt bene constitutæ, pars sunt Ecclesiæ uel præcipua? Primum enim ingentia certamina,

pericula, difficultates, publice sustinent boni Doctores, propagandæ rectę doctrinæ causa: deinde priuatim, ut nutrices fouent infantulos, ita summa cura, diligentia, sedulitate, prouehunt ingenia discentium. Et tamen sæpe fit, ut educatus atq; institutus magna fide, postea oblitus omnium beneficiorum, & incitatus ambitione, aut naturę maleuolentia, aut inuidia, impetum faciat in præceptores, nec nocere tantũ ipsis, sed odio ipsorum bonas artes opprimere & delere conetur. An hoc cuculorum genus nõ uidetur odio dignum? Non enim iam uitupero homines hebetes, aut tardos, sed ingratos, & nocendi cupidos. Tales cuculos odisse, omnes à natura bene instituti debent. Et tales hic pingere uolui, ut admoniti adolescentes, procul eos fugiant & execrentur. Student enim hi cuculi alijs affricare suam scabiem, & inueniunt, uel stolidos, uel malos, qui illo horrido cantu teneantur. Magnum per se scelus est ingratitudo in qualibet re, sed tum est uere cuculi scelus, & parricidiũ, quando ad eam accedit odium piæ doctrinæ, aut aliarũ artium, quando ingrati, hominum odio, & animi morbo, postea rebus bonis bellum inferunt, labefaciunt dogmata, detrahunt de artium dignitate. Nec rara sunt exempla. Et sæpe accidit, ut cum semel in præceptores incurrerint, postea rabies augeatur, & crescat discordia, uelut incendium: Deinde Respub. propter horum scelus & ingratitudinem plectitur. Quidam Athenienſis Orator, cum significare uellet, quibus modis factiosa & Tyrannica ingenia potentiam cõsequantur, inquit: Serpens nisi deuoret serpentes, non fit draco. Ita ingrati illi incensi odio, aut ambitione, persuadent sibi, hanc esse uiam ad gloriam, formidabilem fieri alijs, opprimere

dissen-

dissentientes, ui aut arte. Quanquam minus flagitium est, in pares, quàm in bene meritos sæuire, ut facit cuculus. Cum igitur ingratitudo non solum priuatim sit turpis & indigna homine, sed etiam sæpe Reipub. noceat, ad hortor uos Adolescentes, ut animos uestros ad gratitudinem assuefaciatis, ad quam uos non modo inuitant natura, & homines doctissimi, qui quasi explicantes naturæ iudicium, de gratitudine copiosissime præcipiunt, sed etiam cœlestia oracula uocant, quæ quidem horrendas etiam pœnas minantur ingratis. Sic enim scriptura inquit: Non recedet malum à domo ingrati. Hoc dictum quæso affigite animis, & expendite, quàm graues, quàm durabiles pœnas minetur Deus, cum ait, semper hæsura mala in domo, in liberis ingratorum. Quid dici tristius poterat? Iam cogitate, quale sit genus beneficiorum, quod in schola bene constituta accipitis. Nihil homini cõtingere melius potest, quam recta doctrina, primum de religione, deinde de honestis uitę officijs, de rerum natura, deniq; de omnibus artibus, quæ sunt uitæ utiles. Traditur autem uobis, Dei beneficio, doctrina Christiana, pure & simpliciter. Proponuntur & cęterę honestæ disciplinę, nec ulla pars Philosophię negligitur. Enarrantur optimi autores Grę ci & Latini, qui aut fontes philosophiæ continent, aut prosunt ad formandam orationem. De præceptoribus ipsis non dicam, sed tamen dexteritas & prudentia in doctore duplicat beneficium. Nam qui in docendo nõ adhibet rerum delectum aut nõ uidet, quid cuilibet ætati conueniat, is sæpe ita distribuit ea quæ tradit, ut si cani paleas, asino daret ossa, ut in prouerbio dicitur. Spero autem uobis cognitam esse fidẽ & prudẽtiam in ijs qui

docent. Cum igitur tanta sit magnitudo beneficiorum, non est obscurum quod sit uestrũ officium. Certe Deo gratiã debetis, qui his pulcherrimis muneribus uitam humanam ornauit. Is uult dona sua intelligi, uult ea magni pendi à nobis, uult gratiam reddi his, per quos impertit ea humano generi. Quare cogitate quid Deo debeatis, et memẽtote ingratos pœnas Deo daturos esse. Philippus Macedo habebat militem qui ei propter fortitudinẽ inprimis charus erat, hic naufragus ad uillam cuiusdam agricolæ ægre enatauit. Agricola cum audisset militis clamorem, accurrit, eumq; rigentem frigore & penè exanimem ducit in uillam, & quibus potest officijs recreat, post triduum cupientem abire etiam uiatico instruit. Discedens miles prolixe pollicetur se gratiam relaturum esse. Vide quid acciderit. Nam & hic miles cuculi scelus imitatus est. Narrat Philippo naufragium, beneficium hospitis tacet, & petit sibi donari illud prędium, facile impetrat à Rege liberali, præsertim cum Rex bene meritũ esse iudicaret: iubet igitur induci eum in bona quæ petiuerat miles. Non tulit iniuriam agricola expulsus bonis, ab eo quem seruauerat, sed uenit ad Philippum & commemorat suum beneficium erga militem. Hic adeo exarsit ira Philippus, ut Pausaniæ mandaret, ut priori domino prędium restitueret, militi uero exautorato, stigmata inureret, inscriberetq; fronti, hæc uerba: Hospes ingratus. Tanta naturæ uis est, ut nemo tam ferreo animo sit, qui audiens hanc historiam, non ualde probet iustissimam Philippi sententiam. Quantum autem prodesset Reipublicę, hoc modo notatos esse scholasticos ingratos, eos uidelicet, qui ad ingratitudinem etiam addunt impietatem, qui nocere præ-

cepto-

ceptoribus, & ipsis studijs cupiunt. Hos oportuit stigmatis notatos esse, quia si agnoscerentur, minus nocere possent. Ego uero optarim illis etiam insculpi cuculum in fronte, deuorantem suam nutricem. Sed quanquam hic cessant leges, tamen Deus tandem eis stigmata inurit, quæ testantur quales fuerint. Cogitate igitur quantum Deo displiceat ingratitudo, quàm sit indigna homine, quam inimica toti naturæ, quam turpis, quod diuinitus etiam puniatur: denique quod Reipublicę noceat, cum ingrati, odio hominum, artes etiam odisse & premere incipiunt. Hæc si uobis sæpe subijcietis, excitabitis animos ad gratitudinem, & ad colendam communem tranquillitatem. Ad hæc officia assuefaciendi sunt animi. Ideo in scholis, & in his optimis studijs uersamini, ut mores uestri fiant meliores, ut artes profuturas ad illustrandā gloriam Dei, & ad tuendā communē societatem uobis paretis, nō ut discatis sycophanticam nocituram bonis uiris & Reipub. Quam tetra imago est ciuis apud Demosthenem, cum pingit Aristogitonē, circumeuntē in foro & uibrantem spiculum seu exertam caudam, ceu scorpiū insidiari ciuibus, & circumspectare quem feriat, quem aliqua calumnia opprimat, deinde qui cum nullo ciue ullius officij societatem habeat, sed cum illis uiuat, quos apud inferos aiunt assidere impijs, uidelicet cum inuidia, furijs, et alijs pestibus. Ita describit Demosthenes Aristogitonē. Quid autē alienius esse debet præsertim ab homine docto, instituto ad humanitatem, & cuius mores & eruditio debēt prodesse Reipub. cuius tota uita debet esse κοινωνικὴ & plena officij, & isto Aristogitonis more uiuere? qui quidē proprius est sycophantarum, qui irruunt in bene meritos.

Cum

Cum autem mihi quidem impossibile sit, magnitudinem huius causæ æquare dicendo, non uolui esse prolixior. Et tamen hæc præcepta interdū inculcanda sunt adolescentibus, & ostendendum, quanta sit uitiorum turpitudo. Ideo hæc pauca de Ingratitudine, hoctempore collegi, quæ ut boni cōsulatis oro. Est enim etiam grati animi, qualemcunq; operam honestam, publicæ utilitatis causa susceptam, probare.

Dixi.

ORATIO DE GRATITVDINE, M. Alexandri Alesij Scoti, Decani, in promotione Magistrorum, Anno 1534.

Tsi aliorum consilium qui hoc loco de uniuersa Philosophia deq; omni ratione studiorum grauissime dicere solent magnopere probo, tamen quoniam in hac ingenij mei infirmitate intelligebam, me non posse tantarum rerum uarietatem oratione illustrare, constitui de una quadam uirtute dicere, digna cum bonis uiris omnibus, tum uero precipue harum nostrarum artium ac literarum studiosis, uidelicet de gratitudine: quam ut deligerem, non solum publica causa adductus sum, etsi magnopere opto eam, cum uere sit maximarum

marum uirtutum nutrix, ab omnibus summo studio co
li, uerum etiam quædam me priuati ratio commouit.
Etenim cum per iniuriã me patria pulsum, uenientem
huc ex alio orbe summa humanitate hospitio exceperi-
tis, & annos iam aliquot amanter tegatis, ualde laboran
dum mihi putaui, ut extaret aliqua gratitudinis meæ si-
gnificatio. Caius Cęsar insignem hospitalitatis laudem
tribuit Germanis, hanc ego in his meis erroribus &
exilio meo comperi, uos et ueteri instituto retinere, &
in hac urbe præcipue exerceri pio quodam Christianæ
religionis studio, quæ inter cæteras uirtutes hospitalita
tem coli præcipit, & amplissime laudibus ornat. Quare
gratiam hoc nomine habeo huic publicę dicendi con-
suetudini, quod aditum mihi ad uniuersos uos patefa-
cit, & occasionem præbet diu optatam, uicissim meę uo
luntatis declarandæ. Aptissimum igitur hoc argumen
tum meę personę esse iudicaui. Deinde non solum ora-
tionem meam, sed etiam exemplum arbitrabar profu-
turum esse, excitandi aliquos ad gratitudinẽ maiori
diligentia præstandam. Agnosco autem me neq; de uir
tute ipsa, neque de uestris meritis pro dignitate dicere
posse, sed spero uos pro candore uestro officium hac in
re meum probaturos esse, etiamsi eloquentia desidere-
tur. Quare uos etiam atq; etiam oro, ut hominis peregri
ni orationem bona cum uenia audiatis, id beneficium
etiã inter cætera quæ mihi à uobis liberalissime tribuun
tur, grato animo recensebo. Scitis autem Adolescentes,
nullum officium iustius ac magis necessariũ esse, quàm
habere gratiam benemeritis. Hæc enim una uox est nõ
solum eruditorũ omnium, sed ipsius etiam naturę, quæ
mutuis officijs homines inter se deuinctos esse uoluit.

Quare ingrati cum hæc naturalia uincula societatis humanæ dissoluant, ipsi naturæ bellum inferre iudicandi sunt. Etsi autem hęc ipsa naturæ lex diuina quędam uox est mentibus hominum inscripta, tamen & in sacris literis extant clara præcepta, quæ nos ad colendam gratitudinem hortantur, et quidem gratis præmia, ingratis uero pœnas diuinitus proponi docent. Sic enim scriptum est: Non recedet malum à domo ingrati. Quare non solum natura ingratos tanquam immania monstra odit & execratur, sed etiã urget eos Deus iustissimis pœnis. Proinde si naturam aspiciemus, & quasi euoluemus animos ipsi nostros, si sacras literas consulemus, nõ solum uidebimus quantũ habeat ingratitudo sceleris, sed etiã constituemus, non esse dubitandum, quin Deo pœnas ingrati daturi sint. Hæc si considerabitis, ut uos præsertim decet, qui ad studia uirtutum adhibiti estis, statuetis uos, & ut Deo & naturæ pareatis, cum erga alios, tum maxime erga præceptores uestros, & hanc Academiam gratos esse debere. Etenim cum nullum sit maius beneficium in terris, cẽ ueritatis, & rectę doctrinę communicatio, profecto nullis plus debemus quàm his, quorum labore, fide, ac liberalitate res tantę tanquam in uita necessariæ nobis contingunt. Neq; enim ignoratis, uitam sine literis, sine religionis scientia, sine antiquitatis notitia, sine aliqua naturæ atq; honestorũ officiorum cognitione non solum incultam, sed planè miserrimã fuisse. Deniq; etiam pecudum uita optabilior fuerit quàm hominum, quamlibet affluentium omnium rerum copia, si cum illis tenebris coniuncta est impijssimis illis erroribus & uitijs ageret. Itaq; facile iudicari potest, plurimum nos debere illis uitæ ducibus, qui nos in lucem ex

obscu-

obscurissima caligine educunt, & bene beateq; uiuendi rationem monstrantes maximis erroribus animos nostros liberant. Vetustas diuinos honores decreuit illis, qui fruges & meliorem uictum hominibus ostenderũt. Sed si recte æstimamus uera bona, multo melius de nobis merentur, qui optimarum rerum doctrinam nobis patefaciunt ac tradunt. Etsi ego quidem ueterum historias ita interpretor, nõ uictum, sed uiuendi leges & disciplinam à summis quibusdã uiris traditã esse, qui postea frugum inuentores uocati sunt, ut significaretur, nõ minus ad tuendam uitam necessarias esse literas atq; artes, quàm fruges ipsas. Nec fieri potest, si uim ac dignitatem literarum intelligimus, quin pariter & artes et Doctores artium amemus, per quos hæc cœlestia munera diuinitus ad homines propagantur. Nam illud etiam nobis considerandum est, non solum debere nos præstantibus Doctoribus propter assiduitatem, diligentiam, fidem, & cæteras uirtutes quæ in Doctore fideli requiruntur, sed quoniam nulli fiunt artifices, nisi diuino quodam afflatu, bonos Doctores, uelut numina cœlo demissa, & ut Plato uocat, tanquam Dei interpretes uenerari debemus. Erratis enim, si artes repertas esse, nisi Deo monstrante, aut conseruari posse creditis, nisi Deus artificum ingenia excsciter. Quod si in paruis artibus, in Musicis ac Poetis opus est diuino motu, ut Poeta inquit:

Est Deus in nobis, agitante calescimus illo.

quanto magis opus est diuino afflatu in illis summis artibus, in explicatione religionum, in eruendis causis naturalibus, in inquisitione motuum cœlestium, in legibus & uitæ officijs tradendis, in formanda oratione. Itaq; ut cæteræ sacræres, ita & boni doctores singulari ho-

more afficiendi sunt. Et si in his ad industriam accedunt cæteræ uirtutes, dexteritas in docendo, fides, assiduitas, qualis debet esse nutritionis, his uero par gratia reddi nulla potest. Nam si qui tales sunt, uitam discipulis impendunt, propterea quod non sine maximis curis ac laboribus assiduitas illa præstari potest. Quid q interim negligenda est rei familiaris procuratio, perpetienda odia improborum, qui literas, qui religionis doctrinã, qui cæteras artes hostiliter oderũt? Videmus enim quę sit uulgi natura, quod fastigium sapientię in eo collocat uno, quod ait Horatius:

Virtus, fama, decus, diuina humanaq; pulchris
Diuitijs parent. Præterea Tyranni natura Philosophos oderunt. Neq; uero tot difficultates, tot labores, tantaq; pericula boni uiri, qui possessionem literarũ in scholis tuentur suscipierent, nisi eos ut id facerent, quędam uis amoris & erga uos, & erga Rempub. hortaretur. Necesse est autem plus quàm ferreis animis prædictos esse eos, qui & beneficijs affecti summis, & amore uere patrio inuitati, non redamant præceptores. Cum igitur uobis hoc quidem tẽpore, adolescentes, magna fide ac dexteritate tradantur in hac schola diuinę atque humanę literę, primum dabitis operam, ut beneficij magnitudinem intelligatis, deinde ut præceptoribus grati sitis. Dei beneficio hæc schola multis doctrinę Christianę locis magnam lucem attulit, ac uix alibi usquam purius ac simplicius explicatur doctrina Christiana. Ad hęc omnes Philosophiæ partes proponuntur, & cum Physicen, quã sic uocant, habetis, tum etiã ostenduntur causę cœlestium motuũ, quę est omnium partium Philosophię longe præstantissima, & ut Aristoteles inquit,

maxime

maxime cognata diuinitati. Atq; hæ Philosophiæ partes eo magis amandæ sunt, quod plurima monstrant & clarissima uestigia diuinitatis in natura, quorum animaduersio maximam profecto uim habet ad excitandos animos ad religionem, & ad omnia uirtutis officia. Nec desunt artes, quæ formant iudicium de ratione dicendi: & ad has adhibentur optimi authores Græci & Latini, non solum, ut genus sermonis illorũ imitemur, sed etiam ut inde rerum cognitionem, philosophiam, antiquitatem, historias petamus. Nec uero uideo quid adolescentiæ proponi melius atq; utilius ad solidã eruditionem comparandam & ad formanda iudicia possit. Satius est enim profecto uersari in Mathematis, in Aristotele, Plinio, Alberto, Pontano, Demosthene, Homero, Sophocle, Vergilio, Liuio & similibus authoribus, quam in Tartareto & huius formæ ceteris, qui & præstantissimæ Philosophiæ partem non attigerunt, et illam quam profitentur, ut nihil aliud dicam, inutilibus disputationibus obruũnt. Habetis & disputationes, in quibus iam annis aliquot uidimus explicatas res ad uitam utilissimas. Non enim proponuntur inanes λογομαχίαι, in quibus tantum de uocibus tixandum sit, sicut inter se corui contendunt, libet enim uti Galeni uerbis, sed agitantur controuersiæ, quæ forment iudicium de religione, de Philosophorum sectis, de fato, de finibus bonorum, de causis cœlestibus & similibus locis. Vtinam uero diligentiæ præceptorum in disputationibus uestra sedulitas responderet. Nam in hac parte præcipue deesse uobis adolescentes ipsi uidemini, eaq; causa est, ut & præceptorum studia fiant ad disputandum languidiora. Magna uirtus, egregia doctrina atq; huma-

nitas est, & in aliarum professionum Doctoribus, Iureconsultis & Medicis. Deinde non solum doctrina præceptorum fruimur, sed multis etiam alijs officijs singuli utimur. Quare, ut aliquando finiam, adhortor uos ut, quod est iustissimum & humanissimum, detis operam, ut præceptorum erga uos beneuolentiæ, meritis, laboribus, assiduitati gratitudo uestra respondeat. Aristoteles scribit Græcos templa gratiarum in medijs urbibus condere solitos, ut ciues mutuæ beneficentiæ atq; gratitudinis admonerétur. Ita & uos in medijs scholis collocata gratiarum templa existimate, cum de gratitudine auditis concionantes & sacros libros & auctores qui uobis enarrantur. Scholas enim decet esse officinas, ut cæteratum uirtutum, ita maxime gratitudinis. Nullum enim uitium magis pugnat cum natura & societate humani generis quam ingratitudo. Nec de nihilo est, quod dixerunt ueteres: Dixeris maledicta cuncta cum ingratum dixeris. Quid quod etiam immanissimis beluis indita sunt gratitudinis simulachra? Meministis leonem in circo reddidisse gratiã fugitiuo, à quo uulnus ipsius curatum fuerat: Turpissimum autẽ est nobis uinci iustitia & pietate à beluis. Laudantur & ciconiæ in quibus pulli adultis, quę per ætatem nequeunt pabulatum exire, cibos afferunt. Ita uos quoq; memineritis ἀντιπελαργητίου hoc est mutua pietate colendos atq; fouendos esse præceptores benemeritos. Postremo gratitudine impetrabitis, ut Deus magis faueat studijs uestris, ea q; ad salutem uestram & totius Reipub. gubernatus sit. Vt enim ingratos haud dubie puniet, ita gratos amat ac tuetur. Videtis quam ingens præmium addidit quarto precepto: Honora patrem & matrem, ut sis

longæ-

longęuus ſuper terrã. hoc eſt, ut totius uitę curſus fauſtus ac fœlix ſit. Idé locus concionatur de officio erga præceptores, qui cũ ſuccedãt in parentũ munus & curas, loco parentũ habendi ſunt. Et ſi recte ęſtimamus, maiora beneficia à bonis doctoribus, quàm ab ipſis parentibus accipimus. Nã doctrina religionis & aliarũ honeſtarũ rerum longe pręferẽda eſt ipſi uitę. Recte igitur Iuuenalis:

Dij maiorũ umbris tenuem & ſine puluere terram,
Spirantesq; crocos & in urna perpetuum uer,
Qui præceptorem ſancti uoluere parentis
Eſſe loco &c. Quare nõ minus crudeles ſunt ingrati aduerſus præceptores, q̃ qui parentibus ingrati ſunt. Hęc autẽ impietas pręcipue à Chriſtianis abeſſe debet, in quibus uel maxime eminere gratitudinẽ oportet, ut intelligãtur etiam Chriſto grati eſſe pro ijs beneficijs, quæ ab eo infinita quotidie accipimus. Hæc ſepe multumq; uobis cogitanda ſunt adoleſcentes, ut animum ad gratitudinem excitetis, quod ſi feceritis, ſimul illud aſſequemini, ut literarum atq; artium uim magis intelligatis. Cum uidelicet expenditis beneficiorum magnitudinẽ. Deinde gratitudo flectet animos etiam ad cæteras uirtutes: Eſt enim fons iuſticiæ. Libentius etiam ac facilius parebitis præceptoribus, ſi & uos ab ipſis amari intelligetis & uiciſſim eos redamabitis. Talem autem Academiam qualem uos habetis, ubi tanta diſcendi facultas eſt ſtudioſis, ubi uere ſunt fores, ut dicitur, ἄφθονοι muſarum, non amare, animi eſt & à literis & ab humanitate abhorrentis: Vos autem parentum auctoritate, hoc eſt, diuina auctoritate huc miſſi eſtis, ut & literas percipiatis, & animos ad uirtutem & humanitatis officia aſſuefaciatis. Eaq; in re non ſolum ueſtræ ſaluti conſuletis,

fuletis, ſed etiam à Repub. uos in hac ſtatione collocatos putate, ut olim ex ſtudijs ueſtris aliqua redeat utilitas. Et ad Eccleſiam & cæteras Reipub. partes otium putatis eſſe ſcholam, ſed mihi credite, ingens negotium ſuſtinetis, & quod ad uniuerſam Rempub. attinet. Quare uos hortor, ut propter gloriam Dei & ſalutem ueſtram, officium ueſtrum ſtudioſe diligenterq; faciatis. Inuitabit ueſtra gratitudo præceptorum ſtudia, ut & inſtructiores ad docendum accedant, & magis ſint aſſidui. Reliquũ eſt ut & ego gratias agam ampliſſimis & doctiſſimis uiris pro beneficijs in me priuatim collatis. Quamq; autem hæc commemoratio leue officium uidetur, tamen quoniam ſignificationem aliquam habet gratę mentis, præſertim cum fiat in loco publico, non duxi eam eſſe prætermittendam. Cogor autẽ uerecundius de ueſtris meritis dicere propter modeſtiam ueſtram. Tantum illud dicam, me libenter profiteri, non minus me uobis debere, quam meis parentibus. Itaq; uobis & habeo gratiam et polliceor me, ſicubi potero re ipſa declarare animi gratitudinem, ſumma fide daturum operam, ut intelligatis me officio meo non defuiſſe. Scitis Deo grata eſſe hæc officia quæ in hoſpites conferuntur. Nam cum in mundo uniuerſa ipſius Eccleſia exulet, poſtulat, ut communes exilij ęrumnas mutuis officijs, mutua beneuolentia leuemus ac mitigemus. Orabo itaq; Chriſtum, ut uos quoq; defendat ac gubernet in his communibus periculis.

Dixi.

De le-

DE LEGIBVS ORATIO
Phil. Mel.



Desiderant in me plusculum fortasse pudoris aliqui, cum assiduis declamationibus, & infantiam meam uulgo traduco, & humaniſſimis in hac ſchola, patientiſſimisq; auditoribus toties odioſe obſtrepo. Ego uero agnoſco mearum uirium imbecillitatem, meoq; me pede metior: & cum de meipſo cenſuram ago, ſentio q; non ſatisfaciam politiſſimis quorundã auribus. Verum cũ prouehendę reiliterarię cauſa, hoc, quicquid eſt operæ, à me ſumatur, ſtudium meum quæſo boni conſulite. Nam cum pars quædam publici muneris in hac ſchola mihi delegata ſit, parum meminiſſe uiderer, quam ſuſtineam perſonam, niſi de adoleſcentium officio nonnunquam dicerem. Quod cum pro uirili faciam, easq; diſciplinas iuuentuti commendem, quibus neglectis, cum religionem, tum res bonas alias labefieri neceſſe eſt, facile, ut ſpero, impetrabo, ne mea mihi ſedulitas fraudi ſit. Sunt enim fauore, ſtudijsq; omnium, iuuandi eorum conatus, qui literis non peſſime conſultum uolunt. Neq; aliam ob cauſam modo dicere inſtituimus, q; ut ijs qui hic ex more declamare ſolent, ſi qui forſan imbecilliores ſunt, meo exemplo non nihil animi addam, & tanquam claſſicum canam: Deinde, ut eruditos omnes publica uoce rogitem, ut in hãc arenam & ipſi aliquando deſcendant, cum pueris colluſuri. Socratem nihil puduit natu grandem, cũ paruis filiolis equitare, ut ille ait, in arundine longa: quanto minus uobis uitio poterit uerti honeſtiſſimus conatus,

si cum hoc grege de literis nonnunquam commentemini, quarum causa quicquid susceperis, quando mortalia nihil diuinius habent, laudem meretur. Quæso itaq; ut scholæ operâ suam ea in re candide impertiantur, quicunque literis bene cupiunt. Sic enim statuo, præclare de rebus humanis mereri, qui puerilia studia honestis exemplis accendunt. Iam & meam facilitatem ita demum probari uobis iudicabo, si imitari cœperitis, quæ si silentio uestro damnata fuerit, bone Deus, quàm ipsi nobis displicebimus.

Sumus autem de legibus dicturi, deq; eo iure, quod in scholis hoc tempore, & in iudicijs, in bona Europæ parte regnat. Nam eæ literæ non nuper male audire cœperunt, cum alijs prophanarum legum parum pia professio, indignaq; Christianis uidetur, alij satius ducunt, ut iudicia nõ improbent prorsus: nam id nec Scythæ solent, res ex æquo & bono sine scriptis legibus iudicare. Horum calumnias pro nostri ingenij mediocritate, refellere conabimur, ut eos qui ad gerendam Rempub. olim accessuri sunt, ad huius disciplinæ studium inuitemus. Prægrauant autem hanc causam mirifice hoc tempore Doctorculi quidam, qui cum ferè sint ἄθεοι, tamen Euangelij prætextu tyrannidem gerunt, & pro libidine cum humanas, tum diuinas leges figunt ac refigunt. A quibus si impetrari poterit, ut nobis dicendi potestatem faciant, sunt enim perquam morosi, docebo breuiter, sacris literis, non modo non improbari ciuiles leges, sed præcipi etiam, ut religiosè sanctèq; colantur, qua laude nulla potest amplior legibus tribui. Vbi fidem fecero, ciuilem urbium statum nihil pugnare cum religione, exponam quàm prudenter à maioribus factum sit,

quod

quod Romanas leges potissimum delegerunt, quas in constituendis ciuitatibus tanquam filum sequerentur, easq; summa cura à nobis studioq; conseruandas esse ostendam.

Quæ malum dementia tandem est, quis furor, falso Christiani nominis prætextu, ciuilium rerum statum labefacere & conuellere? Quæ barbaries, qui Scythæ iudicia, æqui & iniqui discrimen è medio tollunt? Et audent hoc Christo quidam, si superis placet, Christiani Doctores tribuere? Quid est, si hæc non est contumelia? Qui ex Gentilibus Philosophis in Christum stylo debacchati sunt? Vnum hoc ferè causificantur, quod quædam leges parum uideantur aptæ ad ciuilem consuetudinem, societatemq; hominum tuendam: Neque censent ullo probro Christi dignitatem grauius lædi posse. Horum uincunt amentiam nostri, qui in ipso contemptu publicorum morum, & in euertendo uniuerso ciuili statu, pietatem collocant. Adeo de Christi nomine superstitio, peius, quàm qui ex professo insectantur, meretur. Nam cum uim pietatis ignoret, & pro suo arbitrio sibi Deos somniet, non modo nihilo rectius de Christo sentit, quàm Ethnici, sed pietatis etiam titulum ferè priuatis uitijs prætexit, quo sacrilegio nihil abominabilius fingi potest. Et quia uetuit Deus humano artificio imaginē sui fingi, seq; è suo sermone cognosci uoluit, ubi se nobis uelut in tabula deliniauit, petemus & nos è sacris literis, quid de ciuilibus legibus diuinus spiritus decreuerit: quas cum cœlesti uoce probari audietis, par fuerit, & cognoscere diligentius, & obseruare sanctius. Sese enim contemni Deus iudicabit, si ciuiles leges tantopere nobis cōmendatas uiolauerimus. Sed recenseo locos qui

legibus patrocinantur, docentq; in rebus publicis iudicia esse constituenda, legesq; rationi consentaneas de rebus herciscondis, de fontium pœnis, & alijs hoc genus ferri posse.

Primum ius faciunt nobis sacræ literę, uel Gentilibus uel Mosaicis legibus in prophanis rebus iudicandis uti. Et cum iudicia amplissimo testimonio ornant, tum πολιτείας Mosaicam, & Gentilem iuxta probant. Cum Baptistam milites, haud dubie de genere uitæ consulturi, rogarent, quid à se fieri uellet, nihil hic exegit, nisi ut suis contenti stipendijs, neminem calumniarentur, aut concuterent. Porro cum stipendijs iubet esse cõtentos, publicum munus, quod illis mandatum erat, planè adprobat. Quis nescit autem Magistratuum arma, leges et iudicia esse, quæ domi uim ac iniuriam à ciuibus prohibent? Quare non dubium est, quin tanti leges faciendę sint, quanti Magistratum Baptista facit. Paulus Magistratuum autoritatem prædicat, cum gladij usum ordinationem Dei uocat, & Magistratum Dei ministrum. A quo oraculo ex diametro dissident hi, qui leges impietatis accusant: Est enim hostis Dei, non minister, quisquis ea suscipit, quæ diuinæ leges uetant. Qui alterius uxori uitium offert, qui res aliorum fraude interuertit, qui periurio fallit, qui bellum cum superis gerit, non minister est, deniq; hostis est, cuiuscunq; functio proprie impia est. Quare cũ Paulus Magistratum, Dei ministrũ uocat, non hostem, negat eius prouinciam cum religione pugnare. Contra, qui Magistratus damnant, semel uno nomine omnes latrones & Dei hostes esse pronunciant: quod q̃ non quadret ad Paulinã sententiam, perspicuum est. Quid enim tam dissimile uoluit ille esse latrocinio, q̃

Magi-

Magistratum? Hunc tranquillitatis publicæ custodem, nuncupat Paulus, cum gerere gladium scribit, ut bonos honores adficiat. Quod si latrocinium Magistratus est, custodem bonorum qui cedo adpellabit? Iubet item Paulus piorum uotis Magistratus Deo commendari, ut salui publicam tranquillitatem tueantur. Idemq; exulaturis Iudæis Hieremias præcipit. At incolumitatem latrocinio precari, nihilo magis fas est, quàm bene precati lupanaribus. Tam clare discernit à latrocinio Magistratum scriptura: inter quæ si nihil intereſt, sceleratus erat Ioseph, cum in Aegypto imperaret, scelerati Cornelius & Centurio, cuius fidem Christus unice prædicat, plericq; item alij qui Respublicas & Gentilium legibus administrarunt. De Iudaicis Regibus nondũ dico, quos putant minus posse ad nostra comparari, sed hos quos recensui, quæso patiamini melioris notæ Christianos fuisse, quàm hi sunt, de quorum moribus posteaquàm publicas leges contemnere cœperunt, passim male audit Euangelium. Sed unde tandem honorifica appellatio? Ecquid præcepit Deus de gladio? Primum minister Dei is est, qui eius iussum facit, quiq; ex eius se mandato comparat, cui qui auscultat, is nõ modo nihil peccat, sed, quemadmodum sacræ literæ docent, sanctum etiam officium facit. Præcipit autem Deus morte mulctari eum qui hominem occiderit, quæ lex citra controuersiam totam πολιτείαν complectitur. Etenim ut publicę tranquillitatis causa fas est de capite hominis iudicare, ita & ad rerum diuisionẽ, ad leuiora negotia transigenda, quando aliter publicæ paci consũli nõ potest, constituere iudicia licuit. Extat lex in Genesi ad Noe, uniuerso mortalium generi lata, estq; confirmata Mosaicis

edictis, quæ tametsi solis Hebræis proposita sunt, tamen arguunt Deum probare morem, cum iudicandi res, tum plectendorum sontium. Nota enim Pauli uox est, Legem iniustis latam esse, quæ monet, ut qui spiritu Christi non frenantur, cum Hebræi, tum reliqui mortales, legibus coherceantur, & tanquam carcere septi teneantur, ne quê lædant, ne cuius rebus damnum dent. Eodem impios omnes numero cum Gentes, tum Iudæos habet, gladioq; seu legi ad unum omnes subdit. Suum autem quoddam Christi regnum est, qui cum non in hoc se nobis ostenderit, ut humanam πολιτείαν conderet, mundi regnum non labefacit, immò in id extrudit eos, quos à turpitudine non dehortatur pietas, ut uis remoretur. Prodijt Christus,, ut cœlestibus muneribus, ut immortalitate pauculos quosdam, tanquam in alium eductos mundum, donaret, non ut ciuitates constitueret. Regibus hanc prouinciam reliquit, tenendam conseruandamq; ocij tuendi causſa. Ipse in piorum pectora spiritum suum transfundit, ut diuinitatem cum ijs communicet. Ipse uerbo renouat piorum mentes καὶ μεταμορφοῖ. Nihil hæc ad mundi regnum, quod in componendis tantum moribus, in arcenda uiolentia uersatur. Id quod non facile tantum fert Christus, sed probat etiam, cum & suos parere iubet, et ministerium Dei esse fatetur. Quare qui ad Respub. accessuri sunt, hos nõ modo non retrahit religio, sed monet etiam piũ officium facturos, si publica munera recte gesserint, si ius candide dixerint. Qui secus docent, cum de prophanis legibus, tum de Christi nomine male merentur.

At litigare uetat Christus. Quis negat? Iudicare uero non uetat. Quantum autem interſit inter iudicare et litiga-

litigare, nemo non uidet. Nam ut uiatorem pulsare Deus uetat, non uetat obligare uulnus, si quod is fortè acceperit, ita quanquàm odia mortalium inter se execrentur, mederi tamẽ tam perniciosis morbis patitur. Quare uitia damnari patiar, remedium par est, ut grato animo complectamur. Furit hic uindictæ cupiditate: ille res alterius fraude occupat. Quos cum in uiam non reuocet pietas, iudicum auctoritate furor comprimitur. Nihil Dauid, Moses, Solomo peccarunt, quantumuis improbis nebulonibus alicubi ius dixerint. Proinde Christus, ut litigantem ac uindictæ amore ardentem damnet, tamen suas iudicibus partes reliquit, siue ex Gentilibus legibus, siue ex Mosaicis ius dicãt. Gentiũ res publicas administrarũt, Ioseph, Daniel, Naaman, Cẽturio, qui, si flagitium est Rempub. gerere, uel Gentilibus legibus uti, ordine mouendi sunt. Verum nolo hic longius immorari. Nam & aliàs accurate hæc excussimus, & pijs mentibus ij loci quos produximus satisfecerint. Tantum reclamant hi, qui nec sacras nec prophanas leges pensi habent. Christus optima fide censum Magistratui numerat, ut exemplum colendarum publicarum legum proderet. Id adeo imitari oportebat eos, qui Christianam libertatem ubiq; fortiter iactant. Et cum diuino suffragio ius publicũ comprobatum sit, pietas exigit, ut & diligenter cognoscatur, et religiose colatur et tractetur. Legumlatores ueteres omnes, quo plus auctoritatis suis legibus adderent, Deorũ oraculis probatas asseuerabant. Minos fingebatur nouem annorũ spacio Iouis usus familiari cõsuetudine, ab eo constituendę Reip. rationem didicisse. Lycurgũ ferunt et ab Apolline Deũ appellatũ esse, et sua edicta ῥήτρας uocasse, ꝙ oracula uideri ueller.

Numam

Numam aiunt simulasse nocturnos cum Egeria cõgressus. Fingebantur hæc, ut cum diuino iudicio ad probatæ leges uiderentur, pluris fierent. Quanto sanctius à nobis ius publicum coli debet, cum id non commenticia oracula, sed certissimæ uoces diuinæ nobis grauissime commendarint?

Porrò cum constet, nihil pugnare cum Ciuilibus legibus religionem, & in rebus prophanis iudicandis fas esse, uel Gentilibus uel Mosaicis legibus uti, expostulabimus aliquanto liberius cum ijs qui publico iuri prętermeritum iniquiores sunt. Non satis, ita me bene ament Musæ, constituere possum, morosi hi mihi uideantur tantum, an prorsus furere: nam ut illiberalem cõuiuam esse censemus, qui apud amicum præsentem copiam nauseat, ita qui prętentes mores, instituta ac leges tempe tædit, opicus mihi & parum urbanus uidetur. Et cũ in omni uita sapientissimi homines præceperint, communibus moribus tanquam scenæ obsecundandum esse, ualde iniusti sunt, qui tanquam cum rebus humanis bellum gesturi, præter sua, nihil probant. Sordidos ac plebeios animos ferè prętentium pœnitet, qui, cum libidine sua, non ratione omnia metiantur, miro quodam nouandi studio tenentur. Neq; ullus Euripus, ullum fretum tam uarios habet æstus, ac fluctus, quàm uarij uulgi motus sunt. Quæcunq; cõmouerit tempestas, subito furit, miscetq; omnia. Contra, generosę mentes communibus se moribus attemperant, solentq; utcunq; & ubicunq; opus fuerit, obsequi, quemadmodũ ille Terentianus pater monet. Iam non simplex rusticitas, sed furor est plane, patrios mores, ac patria instituta odisse. Etenim cum patriæ sanctum quendam amorem omnibus

bus indiderit natura, prorsus obliti sui uidentur, qui patrias leges tantopere auersantur. Sapientissimus Poeta fingit Vlyssem optare, ut uel fumum de patrijs exorientem focis uideat: hi leges contemnunt, ornamentũ patriæ pulcherrimum, quarum beneficio ipsi & aluntur, & seruantur, ut ne naturæ quidem plus q̃ his debeant. Mirum ni Vulturio plus est humani, q̃ huic generi. Ego profecto, quoties defatigatum animũ remittere, recreare q̃ libet, nulla in re suauius, atq; in patriæ recordatione acquiesco. Id quod fieri non posset, nisi mirum quendã eius amorem inseuisset natura. Videor mihi iam agros peruagari, iam in hortis reptare, iam ad flumen deambulare. Hic naturæ opes, industriam colonorum meorum ciuium tacitus contemplor, admiror maiorũ prudentiam, qui agros, qui oppidum ipsum diligentissime ornarunt & munierunt. Hæc cum animo considero, & propemodum intueor, mediocri ne me uoluptate perfrui censetis? Me uero cum loci amœnitas per se delectat, tum quia patriæ nomen accedit, ualde adficior. Nec minus tali patria capior, quàm ille Ithaca, qui quamuis sterilem, & in asperrimis saxis tanquam nidulum adfixam, pluris immortalitate fecit. Et cum tantopere solum ipsum ametur, non possum non fauere & legibus, quibus ciuium inter se studia uoluntatesq; conciliantur & deuinciuntur, quæ domesticam disciplinam, bonos mores, populariũ libertatem tuentur, quæ profecto non minus nos q̃ lares nostri, delectant. Proinde cum inflammet nos natura, & adsuefecerit consuetudo ad amandam colendamq; patriam, & ingrati erga benemerentem, & in penates suos impij, & alieni prorsus ab humanitate sunt, quibus domesticæ leges sordent.

Capitale est Magistratum pulsare, hi cum prorsus ex Re pub. Magistratus, iura omnia exterminent, quod non supplicium merentur? Nolo hic causari, frustra eos niti, recepta non posse ferè priuato cuiusquam arbitrio conuelli. Finge rem succedere. Quid erit ciuitatibus nostris calamitosius? Quas, Deum immortalem, hæc nouitas dabit turbas? Nam ut sine ualetudinis iactura nemo uictus rationem mutat, ita nec leges sine publica perturbatione mutantur. Nec ad ciuitatum ocium, & ad concordiam stabiliendam quidquam perinde conducit, atq; ueterum legum morumq; conseruatio: quod cum urbium exempla passim testantur, tum monet aureus ueteris Poetæ uersiculus:

Moribus antiquis res stat Romana uirisq;.

Valeant igitur, qui uel adeo inciuiles sunt, ut attemperare se communibus moribus nolint, uel adeo arrogantes, ut rectius se rebus publicis consulturos confidant, q̃ maiores, uel adeo ferrei, ut nullus rerum patriarũ amor tangat. Etsi ita uidetur in νεφελοκοκκυγίαν cõmigrent, Senatui populoq; cuculorum imperaturi. Quanquam autem hæc abunde magna ratio bono uiro sit, cur præsentes leges amplectatur, quod usu receptę sint, et in mores peneq; in naturam nostram uerterint. Stultum est enim cũ publicis moribus dimicare, tamen excutiamus rem paulo accuratius, temere ne an consulto maiores nostri ex scriptis legibus iudicari res maluerint. Non nuper in scholis hac de re altercantur, utrũ satius sit ex scripto iure, an ex Magistratuum arbitrio res iudicare. Verũ nos nõ quod ociosi in scholis literatores somniant, sed quod prudentissimi quiq; probarũt, qui Respub. tenuerunt, sequemur. Nam cum humanæ prudentiæ ciuilia

officia

officia religio commiserit, & prudentum exemplis, & communi sensu hanc causam metiemur. Quæ fuit autē usquam Respub. mediocris sine certis legibus constituta? Scripto iure usi sunt Aegyptij, Cretenses, Athenienses, Romani, addam etiam Iudęos. Et Lycurgus, tametsi nullas scripserit leges, certas tamen quasdam prodidit, non tabulis, sed ut uulgo notiores essent, memoriæ ciuium insculpendas. Quare ut nihil ijs patrocinetur, qui hoc tempore scriptū ius tuentur, defendere eos tot gentium iudicia facile queant, quibus quo ore cedo, qua fronte reclamare audebitis? Et haud scio an hæc ueteribus illis legum latoribus consilij ratio. Quum libertatis ac tranquillitatis publicæ causa conditæ sint ciuitates, et constituta iudicia, ut in tuto sint suæ cuiq; res & uita, & sub iuris autoritate, tanquam sub umbra lateant. Idq; præsidium non maiorum industria, nō hominum conspiratio compararit, sed Deus ostenderit, præstandum est, ne ius sit obscurum, incertum, aut ambiguum. Quæ est enim iuris uis aut autoritas futura, si subinde Vertumni in morem uariet? Nemo formas suas uitamq; non satis exploratis aut infidis custodibus tuto cōmitti putat. Porro ubi Magistratuum arbitrio sine certis legibus res iudicantur, cum in imperitorum, sæpe etiam improborum potestate ius sit, fit ut per imperitiam sæpe Magistratus æqui & iniqui discrimen non perspiciat. Quoties recti species decipit? quoties iudicio gratia aut maleuolentia officit? Neq; enim obscurum est, quàm leui momento ab æquitate mediocrium hominum animi sępe abstrahantur. Quid quod ea imperitorum pertinacia est, ut ad æquitatem flecti non possint, ubi non cogunt leges. Cedo quid arbitrare sumpturos sibi Ger-

manicos regulos, nisi leges prohiberent? Qui, si quando iuris species suffragaretur, citius omnia miscerent & de sententia, de possessione decederent. Nunc cum reclament leges, deterret à flagitio nonnunquam pudor. Quotus enim quisq; tam corneę fibrę est, ut publicã legũ uocem, omnium de se iudiciũ prorsus contemnat? At si nullę obstrepant leges, cũ licẽtia fere deteriores reddat, uideas aperta tyrannide graſſaturos, non aliter atq; solebant Athenis triginta illi, qui cũ pessimo exemplo iudicia sustuliſſent, perinde quasi publicã carnificinam exercerent, optimũ quenq; iugulabant. Itaq; quemadmodũ in periculosis tempestatibus nõ solet uentis temere committi nauis, sed gubernator præficitur, qui arte regat, ita fluctuantes Principum animi certa lege frenandi, regendiq; sunt, ne priuatæ cupiditates à iure, uelut à portu reiiciant. Et cũ in cognoscendis causis sæpe non pessimis Magistratibus iuris species imponat, sæpe transuersos rapiat ambitio, ne periclitaretur libertas, æqui & iniqui formulas præscribi oportuit, quas in consilium adhiberent ius dicturi. Nam si Magistratui potestatem feceris quidquid libet statuendi, uide in quã nos seruitutẽ conijcias? Iure possessiones adsignauit, si aliud uidebitur, ius erit eripere, quod dictum est, indictũ fuerit, quod modo erat ratum, irritũ fuerit. Quidquid decreuerit, in uento & rapida scribere oportet aqua, usq; adeo nõ constabit sibi, & iure subinde mutato in aliam se formam πρότεως more uertet. Non domus, non liberi, non coniunx, quibus ne nostra quidem uita nobis carior est, in tuto erũt. Res bonæ omnes, pietas, humanitas, doctrina, artesq; uniuersæ, quæ ocium, pacemq; amant, exulabunt. At cũ his uitijs leges medeantur, nec libertatis ullus pręterea fide-

liorsit

lior sit custos, quid uetat legum beneficio uti? Quæ Magistratibus fiduciariam tantum nostri potestatem faciunt, ut ius nostrum, quoties periclitamur repetere liceat. Aristoteles in ea demum Repub. quæ scripto iure regitur, Deos imperare adfirmat, quod libertatem leges tueantur, qua haud scio an hæc uita nihil dulcius habeat. Quid enim fœlicius, quàm iniurię metu uacare, societatęq; hominũ tuto frui? Proinde ille ne bono quidem uiro sine legibus Rempub. mandari patitur: Sed recitauerba.

Verum dicet aliquis maligne me de hominum ingenijs sentire, cum nullius adeo exploratam fidem, ac uirtutem esse duco, cui tuto ciuitas committi possit. Ego uero optarim passim imperare Nestoras, uerum uidemus quanta sit optimorum Principum paucitas. Nec obscurum est uetus illud dictum, Omnium bonorum Principum imagines in uno annulo sculpi posse. Quare facile patior, in mediocribus, ut sunt ferè, certo iure uim regi, & officij sui, siqui sunt imprudentes Magistratus, admoneri. Hæc mea est ratio: nec fœliciorem mihi Rempub. somnio, quàm qualem existere res humanæ sinunt. Finge autem rerum summam ad Stoicos delatam esse, qui nec gratia, nec odio adficiantur, qui falli nequeant, quid ijs facies, qui, ut est uulgi improbitas, malunt legibus, q̃ uel sanctissimis Magistratibus credere? Est enim quorundam tanta rabies, tantaq; pertinacia, ut æquitate fideq; iudicum satisfieri sibi non patiantur, sed cum summo iure contendant, extremaq; omnia experiantur, sæpe infensius cum iudicibus, quàm cum aduersario concerrent. Hic uero Magistratuum auctoritas periclitabitur, nisi publice receptæ leges defendant.

Adeo non modo aduersus tyrannidem, in legibus innocentiæ præsidium est, sed & Magistratibus aduersus vulgi importunitatem. Hic tanquam aheneus quidam murus est, denique commune uinculum inter se Principũ ac multitudinis est, ius scriptum, ad pacem tuendam comparatum. Iam & improbi ciues facilius in fortunas aliorum impetum facient, cum uel nullæ pœnæ certæ absterrebunt, uel ius erit incertum. Contra, ut ij qui iter faciunt, cum uiam indicant Mercuriales statuæ, nihil metuunt, necubi errent, Ita boni ciues cum certum ius propositum est, securi degunt, cũ docent leges, & quid pro se quisq; præstare debeat, et quid cuiusq; sit propriũ, & improbis certum exitium minantur. Cum autem libertas nihil nisi inane uocabulum sit, si bonis securitatem demas, crudele fuerit ius scriptum è medio tollere, si quid ad securitatẽ in bonorũ animis alendã confert.

Accedit huc, quod ut modestissimi homines imperẽt, tamen futurum sit, ut de iure sæpe dissentiant, nisi excertis legibus res iudicentur. Quæ est autem pestis ciuitatibus pernitiosior intestina discordia? Quas hæc urbes non funditus euertit? Quare nulla tam parua res est, quæ modo ad concordiam conseruandam conducere uideatur, quæ negligenda sit. Sæpe autem ex leuissimis iniurijs, non secus atq; ex minutissima scintilla, grauissimum incendiũ oritur. Non raro & res grauissimę, in disceptationem ueniunt, ubi si Magistratibus de iure male conuenerit, studijs factionibusq; publica tranquillitas turbabitur, dum suæ quæq; pars sententię suffragatores, addo etiam uires, publicæ salutis oblita, comparat. Quã autem non solitudinem malis, quàm intestinis flagrantem odijs urbem colere? Proinde, cum Hebræos Deus

inter

inter se quàm coniunctissimos esse, rectissimeq; consenti re uellet, certas leges tulit, ut ex præscripto res iudicarẽt, ne quando ius controuersum dissidium pareret. Plerisq; item alijs ciuitatibus uel principum tyrannis, uel ciuiles discordiæ imposuere legum condendarum necessitatem. Nam cum inter se Athenis, de iure publico, perpetuo conflictarentur, tres per id tempus factiones, homines, opinor, non pessimi, sed male inter se, ut fit, in imperio cohærentes, eaq; dissensio, morbo ciuitatis ingrauescente, & glisscentibus odijs uniuersis exitium minaretur, Respub. Soloni mandata est: is leges tulit, quibus libertatem, & otiũ urbi restituit. Et cum cerneret has unicum esse concordiæ uallum, constituit, ut qui ius dicerent, conceptis uerbis iusiurandum darent, se ex legibus res iudicaturos esse. Qui Magistratuum arbitrio simpliciter omnia committunt, cum Solone, si libet, expostulent, non mecum, qui ad consociandos inter se ciuium animos tantum facere momentum scriptas leges existimauit, ut ex suo arbitrio Magistratus ius dicere uetuerit. Sed recita iusiurandũ ἡλιαστικόν, sic enim Demosthenes uocat. Fuerunt & he ferè causſæ cur Romani scripto iure uti maluerint. Nimium sibi principes sumebant. Plebs non satis tuto creditam optimatibus libertatem existimans, sæpe imperium auctoritatemq; detrectabat, de iure sæpe dissentiebant inter se etiam boni uiri. Hæc coegerunt tum plebis temeritatem, tum Magistratuũ uim certis legibus moderari: suntq; duodecim illæ tabulæ, fons iuris nostri, prudentissimorum hominum iudicio propositę. Id iugum cupide uniuersa ciuitas accepit, cũ sentiret urbem non diu futuram incolumem, nisi legibus muniretur.

Porrò

Porrò cum ciuitates orbis terrarum Principes, coegerit necessitas penè Diomedea leges condere, quis furor est, apud nos iam usu receptas uelle abrogare, ac inducere? Magna cõsuetudinis uis est, quę mores omnes, quibus assuefacti sumus, sine perturbatione publica mutari non sinit. Quare leges uel hoc nomine, quod consuetudini mos gerendus est, oportuit conseruari. At cum de rebus humanis etiam bene mereantur, publicam tranquillitatem & libertatem tuentur, obsecro non insaniunt, qui refigere iubent? Actum fuerit de religione, de humanitate, de rebus bonis omnibus, nisi cœtus hominum iure cogantur ac defendantur. Neq; uero inter cætera legum beneficia hoc prætereundum est, quod de expetendis, fugiendisq; rebus, rectas ciuibus opiniones inserunt. Id adeo ad formandos mores, magnum habet momentum. Errant enim mortalium ingenia, nisi certis præceptis regantur, & ut quidq; maxime commodũ in præsentia uidetur, ita maxime licere putant, oculos mętemq; libido præstringit, ut quod maxime cupimus, sæpe, nisi dehortetur legum auctoritas, optimum esse ducamus. Auarus nihil esse uitij in fœnore faciendo existimat, At si ualerent leges, quæ fœneratoribus maiorẽ mulctam constituerunt, quàm furibus, quis non execraretur fœnus? Sunt quos parum pudet mentiri, At cum ex lege duodecim tabularum è saxo Tarpeio deijciebatur, qui falsum testimonium dixisse cõuictus erat, cane peius & angue mendaciũ oderat multitudo. Perpetuum otium nunc in lauta uitæ parte ponunt, At cum Atticis legibus capitalis esset desidia, grauiter audiebat. Furem abominamur, quod in eũ grauissime animaduertatur, angetq; crimen pœnæ atrocitas. Prædonis loco habes

habes eum, qui debitoris rem aut pecuniam usurpat, ni si sponte datam. Peperit hanc opinionem lex, quę pronũciat, uim esse, quoties quis id quod deberi existimat, per iudicem reposcit. Nihil autem cum opinionibus, tũ moribus nostris instabilius esset, nisi ex certis legibus cõparatentur. Nam ut nautæ cursum ad ea sydera, quę eodem semper loco circumaguntur, dirigunt, ita par est, ut ad leges, quæ à sapientissimis hominibus latæ, & uirtutis uiam rectissime indicant, & sui nunquam dissimiles sunt, opiniones nostras exigamus. Sed ut nulla ratio sit, cur scripto iure utamur, certe Romanæ leges merebantur, quas hucimportaremus. Quare maiorum nostrorum prudentiam laudo, quod Romanas potissimum leges delegerunt, quas in iure dicendo sequerentur. Et quando hactenus benigne mihi audiendo, operam nauastis, fauete quęso & reliquæ orationi. Exponam enim breuiter, cur tanto pere iuuet, à Romanis leges mutuari. Vetus hic mos est, ab optime constitutis urbibus, exempla petere. Nihil puduit Atticos, Aegyptias quasdam leges usu capere, ut Herodotus testatur. Nemo Romanis uitio uertit, quod cum cogeret publica necessitas leges conscribere, in Græciam legatos misere, qui inde legum formulas adferrent, & de Repub. instituenda summos in Gręcia homines cõsulerent. Id et cũ maiores nostri fecerint, cũ Romanę Reip. instituta ad nos attulerint, quid quęso peccarũt? Quę tandẽ ars ex liberalioribus illis domi nobis nata est? Literas, temporũ discrimina, syderũ ortus & occasus, architectonicã, Musicam exteri docuere, sine quarum cognitione, uita plane manca est: in quibus si nihil offendit peregrinitas, quid uetat externis legibus uti? Quis dubitat nostra cultiora esse, & literis &

legibus Romanis aduectis, q̃ fuere priſco illo barbaro ſeculo, cum nec ingenuis artibus animi noſtrorum priuatim fingerentur, nec publico iure, aut certa diſciplina manſuefierent. Adeo'ne præſentium pœnitet, ut mutare cum ueterum barbarie libeat? quæ cuiuſmodi fuerit, uel ex eo poteſt æſtimari, quod humanis hoſtijs apud hos litatum eſt. Eant quos tantopere uetuſtas delectat, & glandibus etiam ueſcantur. Iam cum Romani literas nos artes aliasq; docuerint, quid fuit cur non illorum leges etiam imitaremur, cum nulla fuerit Reſpub. quę aut plura nobis, aut illuſtriora uirtutis humanitatisq; exempla, aut humaniores leges proponere potuerit? Fuit illud omnino unicum uirtutis atq; humanitatis in terris domicilium. Longum fuerit recenſere, qui ibi iuxta & in toga & foris, omnium belli pacisq; artium periti, clari fuere. Noti ſunt Camilli, Curij, Fabricij, Fabij, Claudij, Scipiones, Craſſi, Iulij, Cicerones, Sceuolæ. Didicerant hi Reſpub. regere, non in umbra, & in ocio, ut Græci, ſed in ſole ac puluere, uſu magiſtro, uim, inconſtantiam, uarias q; uoluntates uulgi, domi foriſq; toties experti, norant quibus artibus in officio retinenda tractandaq; ſit multitudo, norant quæ pharmaca ciuitatũ morbis conuenirent. Itaq; Vergilius cũ alias artes alijs gentibus concedat, Romanis ſcientiam gerendę Reipub. tribuit:

Tu regere imperio populos Romane memento
Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos.

Porro cum hi qui Muſicę operam daturi ſunt, ad nobiliſſimos ſe magiſtros conferant, cum pictores optima ſibi exempla proponant, cur nõ & in gerenda Repub. optime conſtitutę urbis tum exempla, tum leges uſurpatemus? Mileſias credo aut Sibariticas leges iſti, ut ſunt

impuri-

impuri, nobis ferent, qui Romanas tanto pere oderunt. M. Cicero, cũ de optimo ciuitatis ſtatu diſputat, nõ alias niſi Romanas leges fert, eas q̃ naturæ maxime omnium conſentaneas eſſe cenſet: cui ſi quid credimus, à natura diſcedunt, qui à Romanis legibus diſſident. Vernaculo quodam iuri Saxones adhuc alicubi utuntur, in quo q̃ multa ex Romanis legibus emendata ſunt? Quid fuit minus humanum, q̃ quod uetuere Saxones, ne nepotibus amiſſo patre, auita hæreditas ueniret? Correcta lex eſt in comitijs populorũ Germanię, latumq̃, ut deinceps Romanũ ius ea parte Saxones ſequerẽtur. Et municipalia paſſim ſtatuta, quoties æquitas poſcit, ſunt enim ferè barbara, Romanis legibus emendantur. Adeoq̃ magno conſenſu ius Romanum tanquam oraculum, nationes omnes de æquitate conſulunt, ſentiuntq̃ leges & placita omnia ad hanc regulam exigi debere, & in hoc extare uolunt, ut in dijudicãdis penſitandisq̃ omnibus quæ in publicis conſilijs decernuntur, gnomonis uice ſit. Tam ſanctam plurimarum gentium conſpirationem reprehendere, quid aliud eſt niſi inſanire? Et meo iudicio ſanè q̃ multum interfuerit Reipub. ut maxime in foro apud nos non uerſarentur Romanę leges, in Bibliothecis eas adſeruari, ut inde gerendę Reipub. rationem æqui & iniqui iuſtum diſcrimen peterent, quicũq̃ ad publica munera tractanda animũ adiecerunt. Quid enim furioſius eſt, q̃, quod ferè euenit, accedere ad Rem pub. nullis inſtructos litteris, nulla præditos, neq̃ humanitatis, neq̃ æquitatis ſcientia? In ſcenam nemo prodit, niſi hiſtrionicam probe meditatus: nemo fidibus ludit, niſi Muſicã teneat. Quanto magis oportet eos, qui Res pub. capeſſunt, qui conſilium, qui opem innocentibus

pollicentur, honestis artibus dedolari antea, & in scho la bonarum rerum studio, grauioribus negocijs prælu dere? Sunt enim hebetiores fetè in discernendis rebus communibus, quorum iudicium nullę literæ acuerunt, aut confirmarũt, & feri magis impotentioresq́, quorũ pectora mansuetior disciplina nõ mollijt. Belluam aliquam immani sęuitia ex cauea in mediam multitudinẽ iures emissam esse, nõ imperare hominem, sicubi in inculti imperitiq́ Magistratus potestate Rempub. esse uideris. Quare à doctissimis hominibus de regendis ciuitatibus, de iure, æquo ac bono multa conscripta sunt, ut uim uirtutis & iusticiæ Principũ oculis subijcerent. Extant Platonis politici libri non pauci, extant eodem argumento & Aristotelici, depinxit graphice Principem Xenophon, quem Scipio sic amasse fertur, ut nunquam de manu poneret. Fateor de rebus humanis istos bene meritos esse, & multa utiliter monuisse, dignosq́ duco esse, qui in manibus, in sinu gestentur ab omnibus, apud quos in precio uirtus est: uerum nescio quo modo mihi adumbrasse magis, quàm uiuis coloribus expressisse Respub. uidentur, dumà communi consuetudine, & ciuilibus moribus longius recedunt, & pro suo quisq́ stomacho ciuitatem sibi somniat. Plato, ut cętera omittam, mulieres etiam militare iubet. Aristoteles dubitat, an oppida mœnibus cingenda sint. Ad hæc frigidis argutijs fere immodice delectantur. Socrates apud Platonem ex iusticia κλεπτικὴν facit. Aristoteles partim in Geometricis proportionibus, partim in Arithmeticis consistere iusticiam scribit. Laus ingenij petitur his parergis, ad rem non ita multum faciunt. Absolutam uero ciuitatis effigiem est cernere in his legibus,

quæ

quę non in scholis natę sunt, sed in curia, in foro, ut bonis profugium, & portus, & aduersum improbos teli uice essent. Vt offendunt Mimi nisi proxime repręsentent quos imitari instituere, ita & leges parum probamus, à communi captu remotiores. Quare hoc mihi planè persuasi, utiliorem esse Romanarum legum cognitionē ijs qui Respub. gerunt, q̄ Philosophicarum in hoc genere disputationū. Grauiter, ciuiliter, & humanitus omnia constituta sunt à legum auctoribus, idq; res cogebat. Erant enim ad ciuilem hominum consuetudinem leges accommodandæ, non aliter atq; pharmacum attemperari oportet ægri corporis naturę ac uiribus. Philosophi sibi in scholis quædam libere permisere, quæ in gerendis rebus publicis nō fuerit consultum sequi. Sunt quędam in Europa gentes, quæ non iudicant res ex Romanis legibus, sed uernaculis. Et tamen qui ibi Respub. gesturi sunt, ferè Romanas leges apud exteros discūt, qui, ut accipio, interrogati, quid, cum nostrarum legum nō sit apud eos usus, in eis cognoscendis tantum operę ponant, respondere solent, Animam se spiritumq; legum, sic enim loquuntur, excipere. hoc est, æquitatis uim ac naturam hinc decerpere, ut de patrijs legibus rectius iudicent. Laudo prudentissimam uocem, qua significāt omnia rectius perspexisse summos illos uiros nostri iuris auctores, & neminem satis instructum esse ad ciuitatem regendam, qui non in his cognoscendis tyrociniū fecerit. Quid quod in his iureconsultorum literis bona pars antiquitatis reliqua est? Veteres mores, sermonis Romani pleræq; figuræ, quas nisi hi explicarent, in alijs scriptoribus nonnunq; nō aliter atq; in luto hęreremus, nec intelligi optimorum auctorum pleriq; insignes loci

possent. Quod si historia, si aliæ ueterum literæ nobis, ut debent, curæ sunt, cum his passim lucem adferant Iureconsulti, uel à Grammaticis & Rhetoribus eorum cõmentarios adseruari oporteret. Itaq; nisi simul omnibus literis bellum indicemus, & plane in beluas degenerare iuuabit, non permittendum est, ut situ ac senio Romanę leges emoriantur. Quosdam nobilium urbium picturæ, quosdam marmora, quosdam statuę delectant, eaq; summa cura conseruant. Quę, malum, barbaries est, leges, plusq; aureum pulcherrimæ urbis monumentum, & germanam εἰκόνα obliterare? Quidam clarorum hominum sententijs unice capiuntur, parietibus inscribũt, annulis insculpunt, illinunt omnibus chartis, siqua insigniter placuit. In his uoluminibus tot extant gnomæ, quot leges eruræ ex intimis sapientiæ penetralibus, ex doctissimorum Poetarum, Oratorum, & Philosophorum monumentis, & recitant doctissimos rerũ humanarum omnium imp eatores & Iurisconsultos nostrorum tabularum dissimiliores, q̃ sunt Chiorum in talis Coi, sed instructi literis, usu Reipub. domi foriscq; gerendæ exercitati: uel tantorum uirorum memoriæ hic honos debetur, ut tanq̃ exuuias, eorum scripta conseruemus. Quod cum summa cura Maiores nostri præstiterint, æquius est illorum nos exemplum imitari, q̃ ijs obsequi, qui nõ modo legibus male propitij sunt, sed prorsus neq; ius, neq; bonũ, atq; æquum sciunt, melius peius, prosit, obsit, nihil uident, nisi quod libet.

Poscit hic locus, posteaq̃ sententiam de legibus nostram expositimus, aduersariorum calumnias refutare: quę quia leuiusculæ, & penè ridiculę sunt, paucis à me perstringentur. Mutilæ, inquiunt, legum Rhapsodiæ sunt,

sunt. Publica ea calamitas est, quã insectari minime conuenit, misereſcere erat humanius. Optarent autẽ boni omnes, ſiquid uotis proficitur, integra ueterum Iurisconsultorum uolumina extare. Verum cum hęc tantum fragmenta, fortuna nobis reliqua fecerit, impium fuerit, uelut ex naufragio receptis hoſpitibus, uitam inuidere, preſertim non malis. Nam qui hęc conſarcinarunt, integras tamen ſententias nobis, & legum capita, quantum ſatis erat, tradiderunt. De ſingulis caſibus anxie ſuperſtitioſeq; conſtituere nihil refert, ſatis eſt genera rerum & cõmunes quaſdam formulas, quemadmodũ in aliis fit artibus, cõcipere, quibus ſimilia inter ſe facta metiamur, ne, ſi res in immenſum creſcat, nemo cõſequi poſſit. Deinde in legibus omnibus res cogit breuitatẽ adfectare, ut animis facilius infigi poſſint tanq; breuia ἀποφθέγματα.

Sed ogganniunt aduerſarij, obruta eſſe omnia & cõſpurcata ſordidis interpretum commentarijs. Ego uero Romanis legibus patrocinor, non neotericis interpretibus: quorum, ſi prodeſſe uoluere, laudandus eſt conatus, & tamen quicquid iſtic uitij eſt, id uniuerſum ſemel imputo inſcitię humanitatis & elegantium literarum: quibus qui non ſunt perpoliti, hi nihilo ad tractandas grauiores diſciplinas, magis adpoſiti ſunt q; ad lyram aſinus. Primum enim cum Romano ſermone conſcripte ſint leges, quomodo in eis uerſabitur, qui linguæ figuras ac uim non tenet? Iam, etiamſi Scyticus legum ſermo eſſet, tamen pinguius iudicant, docent obſcurius, et imprudentius, quacunq; de dicere inſtituunt, dant ſine mente ſonum, quotquot dicendi artes non attigere. Magna uis eſt in humaniorum literarum ſtudio, quam animo rectius cernere, q; oratione depingere poſſumus.

Et exem

Et exempla superioris ætatis commonent, quid sapiãt, quotam mentis unciam reliquam habeant, ij qui ab istis artibus alieni sunt. Vides q̃ inepte tradiderint suas artes Philosophi, quanto conatu, quantas nugas docuerint. Nihilo saniores Iureconsulti fuere qui disputarunt de Lazaro, ualuerit ne testamentũ, posteaq̃ is reuixit, & hoc genus innumera. Solebat apud nos doctus quispiã homo, istorum ineptias festiuo cõmento ridere. Non procul oppido quodam, aiebat, ad flumen pistrinũ, ex quo cum non ita multo ante aquatũ asinus descendisset, cũ in extrema ripa seu lutulenta seu tenuior aqua flueret, q̃ ut os imbuere posset, in proximam cymbam fortè pergit, unde uberiorẽ iusti amnis aquam hauriret. Portò cum inscendisset nauiculam, impetu detorquet à ripa in mediũ flumen, quo cũ esset excepta, secundis uentis in scopulum defertur. Hic postq̃ impegit, fracta est, & imperitus ille Nauclerus in undis perijt. Doluit molitori, ubi rem resciuit, iactura, & piscatorẽ in ius uocat, damnum dedisse accusat, quod eius nauigio iumentũ auectum sit. Contra ille factam ab asino pauperiẽ, seq̃ damnum accepisse exclamat, quod nauigiũ amiserit, in flumen ab asino impulsum. Vtrinq; acerrime à cõductitijs rabulis certatũ est. Iudici causa uisa est intricatior, q̃ ut liceret, non consultis iuris professoribus, pronunciare. Deferũt ad leguleios. His uero negotiũ mirum factum est, dum pro se quisq; uindicare asinũ contendit, disputationes uarias instruũt, rixantur de asino in scholis & conciliabulis pertinacius, opinor, q̃ Græcus ille de asini umbra, & haud scio, an nondũ etiam de summa rei decreuerint. Obsecro nõ insanire tibi uideãtur, si qui se in tam ridicula causa diu torqueant? Verũ, mihi crede, istorum

disputa-

disputationes futiliores sunt hac molitoris contentione. Quotus enim quisq; de cõmunibus rebus ciuiliter, & ex communi sensu iudicat? Ingenia in stultis formulariorũ literis obbrutuerunt, hasq; in scholis & foro non aliter atq; suas epodas Magi non intellectas recensent. Nihil hic de Grammaticis et puerilibus erratis, de barbarie sermonis queror, quã præscriptione tuentur, iudicij inopiam accuso, qua fit, ut nec ius nec fas in plerisq; causis cernant. Aduersus eam pestem, dicendi artiũ studio mens prænunienda est, perinde atq; aduersus Circes uenena, Vlyssem moly herba Mercurius præmunijt. Si quid iuris interpretes inscitia literarũ peccarũt, uestrum est, uestrũ, inquã, honestissimã prouinciã repurgare, & explosis indoctis cõmentarijs à situ & squalore leges adserere, & germano nitori restituere. Id humanius est, q̃ leges ipsas neutiquã male meritas de nobis, obliterare.

Sed audio etiam de professorũ moribus nonnullos queri. Primũ optarim hos censores in suis uitijs emendandis, nolo enim nunc quidquã acerbius dicere, tam esse acres, q̃ sunt in reprehendendis alienis oculati. Deinde cũ sint in hoc ordine pleriq; boni uiri, iniquum est legibus imputare, si quid adferunt uitij professores. Iam ego ob hanc causam doctissimos & optimos quosq; cupio legibus discendis operam dare, ut extrusis ueteratoribus & sycophantis illis, iudicia, forumq; redeant aliquando in bonorum ac doctorum uirorũ potestatem. Modo res iudicant indocti ferè, qui ne nihil sapiant, unum aliquem ex uulgaribus pragmaticis in consilium adhibent, in quibus ut quisq; est indoctissimus, ita est audacissimus & nequissimus. Huius uident oculis, huius audiunt auribus reliqui omnes, quod hic somniarit, re-

liqui decernunt: Ait,aiunt: Negat,negant. Capita sunt sine linguis,ius ipsi & uim æquitatis ignorant. Leguleius ille naribus omnes tanquam bubulos trahit. In tanto iudicum ueterno,irrepunt in forum & uaniſſimę rabulę cauſas acturi,qui,quando is quæſtus eſt uberrimus,ex litibus lites ſerunt, clientes deglubunt, Reſpub. depeculantur,indoctum iudicem nouis ſubinde technis ludificantur. Non poſſum adduci ut credam, Athenis unquã ſycophantas,qui ſic dicebantur,ullos noſtris impudentiores, nequiores´ue fuiſſe. Auſim & hæc uitia inſcitiæ elegantium literarum imputare,quarum qui ſunt imperiti, neſcio quibus artibus ad honeſtatem flecti poſſint, quando uim uirtutis,nullę aliæ literę perinde oculis noſtris ſubiecere,atq; hę,quę humaniores rectiſſime uocantur. Et cũ ne leges quidem ipſas attingant iſti, tantũ exuerſutorum quorundam formulis ſapiant, ne poſſunt quidẽ contagione peſtilentiſſimarũ literarũ non infici.

Proinde cũ nulla meliore diſciplina animi ad uirtutẽ aſſuefacti ſint, nihil pudet in quæſtu ius habere, uitiare leges, detorquere malitioſis interpretationibus, in quã uolunt partem. Solonem refert Demoſthenes,cũ reum ageret quendam pernicioſę legis autorem,dixiſſe,Cum capitale ſit nomiſma adulterare, morte mulctãdos eſſe etiam eos,qui leges uitiant: Propterea q; ut in priuatis cõmercijs ac contractibus nomiſmate utimur, ita publicis commercijs & negocijs leges eſſe nomiſmatis uice. Recte Solon. Atq; utinam eò redeat res, ut & in noſtris iudicijs petulantia,impudentiaq; rabularũ coherceatur, mulctetur dolus. Id adeo fiet,ubi ad Rempub. boni uiri adcedent,literis & cognitione iuris inſtructi, quibus iſti imponere nec auſint,nec poſſint, Itaq; Reipub. intereſt, ut optimi

ut optimi quiq; et uirtutis amantissimi ius perdiscant, ut si quando publicũ munus tractandũ est, recte gerendæ prouinciæ artes teneant. Videmus enim quos ludos Rebuspub. ubiq; Magistratus imperiti & indocti reddant, quos, ut boni sint, necesse est multa incautos peccare, & tamẽ ferè ita fit, ut deteriores sint, quo sunt indoctiores.

Dixi de legibus, longius fortasse, quàm ferebat tempus, sed omnino parcius, quàm & res poscit, & ego uolebam. Reliquum est, ut eos qui in legibus uersantur, adhorter, ut strenue pergant, nec è medio cursu reuocari se indoctorum uocibus patiantur. Nam cum iudicia adprobet religio, non modo nõ impium, sed sanctũ etiam officium faciunt, qui rite de iure respondent, aut res iudicant. Pleriq; posteaquam hanc induere persuasionẽ, uersari se in re prophana, & quam Deus nihil moretur, minore fide curaq; munus suũ obeunt. Hos meminisse uolo, Deum & iuris autorem esse, et uindicem futurum. Libra & pondus, inquit Salomon, iudicia Dei sunt. Quare si quid iniquum statueris, nõ hominum tantum mores uiolari credas, sed Deum, à quo iudicia constituta sunt, offendi sentias. Non hominis, ait optimus Princeps Iosaphat, exercetis iudicium, sed Dei: adest spectator & arbiter consiliorum uestrorum Deus: Sit timor Domini uobiscũ, accurate rem gerite. Hoc uero diuinus spiritus oraculum nõ illi tantũ seculo, sed omnibus qui ubiq; ius dicũt, prodidit. Nulla sanctior in terris functio est, ἡ οἰκονομία Ecclesiastica. Huic proxima est, ius dicere, quam si recte gesseris, nemo Monachus, nemo Heremita superiore est apud Deum loco. Prophanũ munus est, sed quod nõ minus religiose tractari oportet, quàm ad aram accedendum est sacrum facturis: imò hic uere

sacrum facis, cum publicę tranquillitati ac pacī operam nauas. Quo pluris autem hoc officij Deus facit, eo sunt execrabiliores, qui publicā in foro sycophanticam exercent, bonorum extortores, legum contortores, qui uel ob hanc causam ferendi non erant, ꝙ à ciuitatibus horū flagitia Deum non raro abalienent, grauiter succensentem constupratis iudicijs. Porro cum non dissideant cū pietate leges, & usu receptę sint, nihil moremur eos, qui se insectandis ciuilibus moribus ad uulgus uenditant. Nam sine publica calamitate receptas leges mutari non posse, & res docet, & sapientissimi quiq; monuerunt. Extabat apud Locros in bene constituta ciuitate, ea de re lex, ut quisquis aduersus receptas leges rogationem ferret, is eam inserto in laqueum collo suaderet: quæsi uidebatur è Repub. esse, saluus euadebat autor: strangulabatur autē constricto laqueo, ubi oratio displicuisset. Neq; dubium est, quin id ita constitutum sit, ne temere inducerentur usu confirmatę, probatæq; maiorum iudicio leges. Et Athenis νομοφύλακες erant, qui apud præfectos in omnibus publicis concilijs, candidis fascijs coronati adsidebant, ut prohiberent, ne quid contra receptas leges decerneretur: Deniq; ut quęq; ciuitas optime constituta fuit, ita minime passa est leges antiquari. Proinde nos quoq; publicum ius diligenter tueamur, præsertim cum Romę natum sit, in principe orbis terrarum Repub. in prudentissimorū & doctissimorū hominum concilijs, quorum non modo literę nos æqui & iniqui discrimen docent, sed exempla etiam & res præclare gestę, ad uirtutis studium adhortantur.

Dixi.

Oratio

ORATIO IN PROMOTIONE CVIVSdam Iurisconsulti habita à Doctore Sebaldo Munstero, Res non iudicandas secundum arbitrium Iudicis, sed secundum scriptum ius, Anno 1532.



Vm ante paucos dies uir clarissimus Doctor Hieronymus præceptor noster optime meritus, & de magnitudine professionis nostræ sapientissime dixerit, & grauissima oratione negligentiam discentium castigauerit, spero uos propter authoritatem uiri summi libenter meminisse eius orationis, eaq; ita affici, ut genus ipsum doctrinæ sua magnitudine metientes, statuatis uobis & solidam eruditionem expetendam, et ad eam consequendam, studium acerrimum conferendũ esse. Me quidem ipsum ualde mouit, & curam mihi sollicitudinemq; maiorem accedenti ad forum & Rempub. circũdedit. Itaq; de his ipsis rebus nihil arbitrabar à me dicendum esse. Nam neq; authoritatem maiorem ad uos adhortandos afferre quisquam potest, quàm ille affert, propter summam doctrinam, & maximum rerũ usum. Neq; uideo quid dici grauius in ea causa possit. Quoniam autem hæc scena me quoq; dicere aliquid cogit, peto à uobis, quia in hunc locum ascendi non priuato consilio, sed authoritate amplissimi ordinis nostri, ut me pro uestra erga hunc ordinem beneuolentia dicentem benigne audiatis. Institui autem disputare de quadam uulgari persuasione hominum siue imperitorum siue inuidorum, qui ius scriptum ex foro & iudicijs

eiici uolunt & iudicari res sine certis legibus arbitrio eorum, qui iudicia exercent. Nam hac opinione refutata, facile intelligi potest, hoc doctrinæ genus, in quo uersamur, Reipub. necessarium esse. Nonnulli ægre ferunt sibi in iudicijs nihil loqui licere, nisi dictata à Iureconsultis: Et quia pudet uelut mutas personas assidere in iudicijs, non de publica utilitate, sed de sua existimatione dimicant, iubent auferri hoc scriptum ius, ut ipsi quoq; sapere aliquid putentur. Et adplaudunt his indocti atq; imperiti multi, sed reclamant exempla tot Rerumpublicarum & sapientissimorũ uirorum, qui leges scripserunt, & usu compererunt, non posse teneri tranquillitatem Rerumpublicarum sine scripto iure. Atq; ego interdum de his rebus cogitans, conferre soleo Medicinam, & hanc scientiam rerum iudicandarum. Plane ridicula res esset, si quis literas omnes & doctrinam, quæ Medicinam continet, aboleri uellet, & ex quadam communi prudentia potius consuli ægrotis. Obsecro quale futurum esset hoc medendi genus, siue doctrina, sine experientia, sine obseruatione ulla? Profecto nihil aliud nisi carnificina esset. Ita iudicia in domesticum latrocinium conuerterentur, si sine legibus pronũciare liceret, quidquid aut stulto, aut imperito, aut irato iudici in mentem ueniret. Et ut maxime iudicia prudentes & boni tenerent, infinitę inter hos dissensiones orirentur. Multa enim incidunt ubi aliud alijs uidetur, Et qui uelit ingenio cedere rarus erit. Deinde ut maxime conueniat inter hos, qui pronunciant, quomodo poterit persuaderi contentiosis litigatoribus, rectissimum esse quod illi pronunciant, nisi scriptum ius extet, quod cum sit commune fœdus ciuitatis, ut ille ait, litigatori non licet eius

autho-

authoritatem detrectare. Nam his legibus quasi pactus est cum Magistratu, cumq; tota Repub. nequid moueat contra eas. Itaq; scriptæ leges muniunt Iudicum autoritatem aduersus improbos & contentiosos litigatores. Neq; ego ignoro quæ contra dicantur, semper enim facilimum est præsentem Rerumpub. statũ reprehendere. Sed quid futurum esset, sublatis legibus? Si eius status incommoda uidere possemus, præsentem formam magnopere nobis defendendã esse statueremus. Exempla uideamus. Etenim nõ ferenda arrogãtia est, de re omnium maxima dissentire à sapientissimis uiris, qui maximas Respub. constituerunt. Nullum certum ius habebant Athenę, itaq; ex iudiciorum confusione maximę seditiones extiterũt. Nec poterat restitui ciuitatis tranquillitas, nisi certę leges essent, quibus prępositis nemo posset fidem iudicũ in dubium uocare. Idem Romę accidit: Et quidẽ Populus Romanus Gręcas leges describi, ut optimę atq; humanissimę eligi possent, curauit. Quid, Q; ita Deus ipse iudicauit, qui cum Rempub. Ebręę gentis cõstitueret, certas leges tulit, & ex scripto iudicari iussit. Quanquam si recte ęstimare uolumus, non hę tantũ Ebraicæ leges diuinitus traditæ sunt, sed sentiendum est uere diuinitus Respub. etiam apud Gentes constitutas et gubernatas esse, sicut Paulus testatur, Omnes Respub. omnia imperia à Deo ordinata esse. Quare Deus non solum Iudaicarum legum, sed etiam harum nostratum author est, quas sapientissimæ nationes, et optime cõstitutę ciuitates tenuerũt. Extat hęc disputatio et apud Aristotelẽ, Vtrum satius sit res ex scripto iure iudicare, an ex arbitrio iudicum: sed Aristoteles longe prefert ius scriptum, Et quidem ita dicit: Qui legem præficit, Deum

& le-

& leges uult præesse, sed qui hominem præficit, addit ei belluam, uidelicet cupiditatem & iracundiam, quę sunt belluina, & peruertunt animos etiam in uiris optimis. At lex est mens sine cupiditate. Sed quid isti Centauri iudicium Aristotelis morarentur, qui neq; maximorum uirorum, qui Respub. constituerunt neq; sapientissimarum ciuitatum, deniq; neq; Dei iudicio mouentur. Scilicet plus uident homines ebrij, stulti, imperiti, quàm Solon, quam Senatus Athenienſis ac Romanus, quam Moses, deniq; quam Deus ipse conditor Rerumpub. & legum autor. Sed quid in re manifesta opus est longa disputatione? Hęc dixi tantum ad præmuniendos adolescentes, ne perniciosis illis opinionibus indoctorum adsentiantur. Demosthenes in quadā grauissima causa, dicit legem fuisse apud Locros, ut si quis suasurus esset nouam legem, proponeret suam sententiam uniuersæ ciuitati, collo inserto in laqueum, ut si res displicuisset statim strangularetur, sin autem placuisset noua lex, dimittebatur author incolumis, exempto collo ex laqueo. Et quia nemo facile iudicium uniuersæ ciuitatis subire ausus est, annis amplius ducentis, nulla noua lex lata est. Hæc Demosthenes recitat, ut doceat in bene cōstituta Repub. præcipue hoc caueri, ne temere leges mutentur. Proinde sciatis uobis, adolescentes, nullo modo cum ineptis illis sentiendum esse, qui ius scriptū, & hanc doctrinam quam profitemur, ex foro explodi uolunt. Quin ita cogitate, inter cętera honesta officia hoc quoq; requiri, ut de iure ac legibus reuerenter sentiatis. Vos uero scholastici Iuris, memineritis hanc doctrinam non solum ad hoc tradi, ut causidicos efficiat callidiores, sed multo magis, ut uiros iustos ac bonos efficiat. Hoc putetis

cetis in hac doctrina præcipi, quod est apud præstantissimum Poetam:

Discite iusticiam moniti, & non spernere diuos.

Dabitis igitur operam, ut cum ipsa doctrina studium iusticiæ & omnium uirtutum coniungatis. Quod quidem facietis, si ad perfectam doctrinam aspiratis. Nemo enim perfectam doctrinam consequi potest, nisi dignitatem & magnitudinem harum rerum intelligat. Id autem fieri non potest, nisi uim uirtutis intelligat. Et cum perfectam doctrinam expetetis, ordo etiam adhibendus erit, & sumenda ex alijs artibus instrumenta necessaria ad hanc professionem. Quare si quis est, qui contemptis omnibus literis, irruit ad ius, is sciat se ipsi doctrinæ iuris iniuriam facere, quæ neque uult contemni alias bonas artes, neque percipi sine magna scientia multarum aliarum artium potest.

Dixi.

ORATIO PVBLICE HABITA VVItenbergæ in promotione Doctoris Iuris, de Scripto iure, & dignitate ueterum interpretum iuris.



Vtiliter institutum est, ut in quadam frequentia omnium ordinũ, & totius Scholastici cœtus decernantur gradus et doctrinæ testimonia. Primum ut publica suffragiorum nostrorum renunciatio plus auctoritatis haberet: Deinde ut in hac frequentia iuuentus de studiorum dignitate atq; utilitate admoneatur. Itaque alij summa cum grauitate hic sæpe de legum dignitate, & de hoc toto genere doctrinæ dixerunt, ac ostenderũt hæc nostra studia præcipue ad Rempub. pertinere, secuturamq; ingentem confusionem ac barbariem uitæ hominum, si hæc eruditior doctrina Iureconsultorum deleretur. Nec uero quicquam honestius est, & omnibus bonis uiris, ac præcipue nostro ordine dignius, q̃ propugnare leges aduersus furorem uel populi, uel Tyrannorum. Nullæ uictoriæ, nulli triumphi plus uerę laudis merentur, q̃ hęc defensio, propugnatioq; iuris & doctrinę, quæ est Reipub. necessaria. Quanquam autem hæc causa summis eloquentię uiribus ornanda erat, tamen omniũ laudanda est uoluntas, qui etiamsi non possunt parem eloquentiam tantę causę adferre, mediocriter declarant suum studium & iudicium. Alij plus adferunt uel authoritatis uel facultatis, sed tamẽ quia mihi nunc hę partes dicendi à uiro clarissimo Decano Collegij nostri, domino Doctore Hieronymo, præceptore nostro summa obseruantia, fideq; colendo, mandatæ sunt, æquum

æquum est, uos quoque propter autoritatem Collegij, me bona cum uenia audire, etiamsi non possum pro dignitate hanc nostram doctrinam ornare.

Suetonius scribit Caligulam, qui uerius fuit immanis quædam belua quàm Imperator, si uixisset, abolitum fuisse omnia scripta Iureconsultorum. Sunt autem non pauci hoc tempore, qui similiter oderunt ius scriptum, sed precipue tamen Iureconsultorum doctrinam, ac mallent res iudicari arbitrijs potentum, non scripto iure, quemadmodum hodie dicuntur Scythæ aut aliæ barbaræ nationes regere suas ciuitates, & iudicia exercere sine scripto iure: Horum errorem breuiter refutabo.

Quæ sunt autem causæ quare potentes oderunt ius scriptum? Prior est, quia nolunt legum uinculis coerceri, nolunt suas cupiditates frenari autoritate certi iuris, sed expetunt Tyrannicam licentiam, & faciendi & decernendi quicquid libet. Altera causa est, quod nonnulli fremunt, se suis Iureconsultis in Repub. tanquam mutas personas esse, quod uelut in aliena tutela esse, & ad alienum præscriptum decernere cogantur. Hanc seruitutem, ut ipsis esse uidetur, ægre ferunt, præsertim si qui sunt ferocioribus ingenijs præditi. Nam ut natura alij temperantiores, facilius patiuntur iustas leges, alij intemperantes minus eis sunt morigeri, Ita in genere fit: Aliæ naturæ magis contumaces sunt, & minus patientes freni. Hij sunt odij fontes quos dixi. Quod cum sit iniustum, & noceat Reipub. repugnare bonos & prudentes omni studio decet, ne abolita doctrina Iureconsultorum, infinita tyrannis ac barbaries sequatur.

Vetus est autem disputatio, utrum magis expediat, regi ciuitates arbitrijs gubernatorum, an scripto iure,

Sed cum oporteat ius esse certum, uoluntates autem gubernatorum sint incertæ, sæpe etiam prauæ, necesse est extare certam regulam, quæ dominetur in iudicijs & gubernatione. Ideo præstantissimę Respub. etiamsi primum tantum consilijs Principum administratæ sint, tamen postea scriptũ ius expetiuerunt, id est, Attica & Romana, ut certi iuris autoritate tuta esset libertas. Quàm pauci sint boni Principes, dictum Claudij cuiusdam indicat, qui ait, Omnium bonorũ Principum imagines in uno annulo sculpi posse. Deinde & boni facile depranantur inter tot corruptelas. Nec de nihilo est, quod ille in Tragœdia ait: Vt nemo doceat fraudes, & sceleris uias, regnum docebit. Sæpe uero optimis & uigilantibus, tamen falsa recti species imponit. Ideo consensus prudentum testatur, melius esse uti scripto iure: Atq; ita pronunciat Aristoteles, cuius uerba tanquam oraculum inculcari, præsertim nostræ ætatis hominibus oportuit, sic enim ait: Qui legem uult dominari, uult præesse Deum & leges: qui autem hominis arbitrio uult regi ciuitatem, sæuissimam beluam addit. Nam cupiditates & ira gubernatores deprauant, etiamsi fuerint optimi uiri, quare lex est mens sine cupiditate. Nec disputabo de re manifesta prolixius, nemo enim sanus nõ uidet melius esse uti certo iure, quantum fieri potest, quàm incerto.

Quanquam autem illi, qui nostræ doctrinæ iniqui sunt, non prædicant se hoc uelle, ut nullæ extent scriptę leges, sed illas longas doctorum disputationes, & molem commentariorum improbare se dicunt. Scio hac in re multos errare, etiam ex Scholasticis, qui imaginantur iuris scripti possessionem sine disputatione interpretum retineri posse, sed longe falluntur. Tollere doctrinam,

est in

est in uniuersum abolere ius scriptum: nec enim leges sine illis lumen habere possunt, neq; natura patitur, ut ullum usquam ius extet sine disputationibus, sicut grauissime dictum est à Pomponio indigestis legibus latis natura licet euenire, ut interpretatio desideret prudentiũ authoritatem, & necessariam disputationem. Hæc sententia, cum sit ueriſſima, gratia potius habenda est peritis, qui illustrauerunt leges suis lucubrationibus, quam reprehendenda industria. Semper omnibus seculis, in ciuitatibus bene moratis, disputationes de legibus extiterunt: scribuntur enim leges de moribus & hominum actionibus, quibus nihil est flexibilius & magis uariũ. Non proponuntur, ut in Geometria, sententię de mensura aliqua immutabili figurarum, & tamẽ opus est regula & arte, quæ negocia ad fontes reuocet, ut id quod naturæ propius est decernatur. Videtis in Theologicis præceptis, tametsi pauca & tantum uniuersalia sint, tamen adhibendam esse explicationem. Nam dicta de facultatum desertione, de non uindicando, quantũ parerent absurditatis, si non accederet erudita interpretatio? Quanto magis opus est interpretatione in hac uarietate forensium sententiarum, quæ colligunt multa particularia. Fuerunt igitur statim initio post natas leges, qui adderent interpretationes: & Athenis à certis Magistratibus interpretatio petebatur. Laudanda est igitur prudentia summorum uirorum, qui postquam Imperatoris Lotharij tempore rursus ex bibliothecis prolatæ sunt humanæ leges, & in forum, ac curiam reuocatæ, statim addere commentarios cœperunt. Vt autem singulari beneficio Dei arbitror tunc restitutum esse ius Romanum, ita non potuit fieri nisi diuinitus, ut si-

mul tot preclara ingenia exoriretur, quæ operam contulerunt, ad illam ueterem doctrinam illustrandam. Qua in re si quis cogitat quanta fuerit difficultas initio, non poterit non uituperare stulticiam, atq; ingratitudinem eorum, qui hos Herculanos labores, non magni pendunt. Vetus consuetudo fori ac iudiciorum Romanorum fuerat antiquata, erant ignotæ historiæ ueteres, quæ & ipsæ lumen sæpe afferunt legibus, lingua uetus corrupta erat. In his tantis impedimentis, tamen ingenti animo Iruerius, & deinde alij cœperunt conferre textus, quærere sententiam ex ipsis legibus, ideam totius ueteris Reipublicæ animo informare, & quasi imaginem quandam imperij restituere: ita cœpit lingua uetus fieri notior.

Magna gloria est Solonis & aliorum, qui ciuitatibus leges scripserunt, & Respublicas sapientes constituerunt, nec dubiũ est eiusmodi opus inter humana omnium longe difficillimum & utilissimum, diuinitus regi. Sed non minor gloria debetur meo iudicio Iruerio, & cæteris qui illius glorioſi laboris socij fuerunt. Necesse est enim scriptores illos, non solum ingenijs, sed etiam usu & peritia administrandæ Reipublicæ excelluisse: Nec sine acerrimo studio ars integra comprehendi animis potuit. Multa monebat illos peritos uiros usus, quę habuerant in administratione: Nam Iruerius longo tẽpore ferè totam Italiam rexit. Sed tamen usus sine diligentia, sine studio, nõ sufficiebat. Tanto labore patefactas & illustratas leges rursus obruent æternis tenebris, isti qui interpretes aboleri uolunt.

Vsitata querela est non intelligere homines præsentia bona, ita est profecto. Si deessent ueterum commentarij,

tárij, quis nunc intelligere artem posset? Quare cum sit opus scripto iure & conseruari has Romanas leges omnes prudentes optent, necesse est etiam his interpretes adhibere, ac sequi tanquam artifices & monstratores uiæ. Sapientissime inquit Constãtinus in Codice de iudicijs, lege, placuit. Aequitatem scriptam anteferendam esse stricto iuri: Cum enim multi habeãt in ore nomen æquitatis, & hanc uelint anteferri legibus, Imperator illa iudicia laxat, ac reuocat nos ad scriptum, idq; pronunciat æquissimum esse, quod scriptum est. Fortasis autem hanc uocem Constantini reprehendent aliqui, qui dicent æquitatem esse moderationem scripti, ut uult Aristoteles, non ipsum scriptum: Sed hæc cauilla tio facile dilui potest. Regulariter ea quæ lege constituta sunt in eo casu, de quo principaliter lex loquitur, sunt æquissima, Vt cum lex recens furem capitali supplicio puniri iubet, loquitur principaliter de eo, qui atroci consilio furatus est, non de eo, qui uel ætate lapsus est, uel fame impulsus: Iudex igitur in casu, de quo lex principaliter loquitur, non discedat à lege. Nam cum legitimis imperijs obedire nos iusserit Deus, necesse est etiam, pare re uoci legum. Deinde quorsum attineret proponi ius scriptum, si liceret Iudici priuato arbitrio discedere à scripto quoties uellet? Hęc licentia quid esset, nisi legũ dissolutio & abrogatio? Sed cum incidit casus, de quo lex non principaliter loquitur, propter aliquas circumstantias, ibi locus est illi moderationi, de qua Aristoteles loquitur.

Lex de Sabbato, præcipiebat uacationem, uidelicet ut populus audire doctrinam cœlestem posset: At cum Antiochus in Sabbato cessantes Iudæos adoriebatur,

neciam

neciam populus audire conciones posset, sed defende re armis ueram religionem deberet, ne funditus interi ret, recte fecerunt ductores populi qui non obseruata ua catione Sabbati, hostes depulerunt ac profligauerunt. Nam lex de Sabbato non complectitur hunc casum ne= cessitatis. Regula est igitur: Scripta æquitas semper in ijs casibus, de quibus scriptum loquitur. nec ab ea regula di scedendum est. Sed omitto hanc disputationem, illud tantum moneo adolescentes, ut infigant animis hanc uocem Constantini de scripta æquitate, sciantq; hunc esse interpretum scopum, ut illam scriptam æquitatē collatis textibus ac rationibus colligant.

Extant in præceptis politicis multæ grauissimę sentē tiæ, quæ prohibent non necessariam legum mutatio= nem. Sed recitare plura testimonia longum esset, tantū commemorabo unum quoddam exemplum, quod extat apud Demosthenē. Locris ait legem fuisse, ne aut præsentes leges abrogarentur, aut nouæ ferrentur, Sed si quis esset aut abrogaturus aliquam, aut nouam latu rus, proponeret suam sententiam publice, stans collo in ferto in laqueum, ut si lex placuisset populo, dimittere tur author laxato laqueo: sin autē displicuisset, laqueo constricto mox strangularetur author. Nihil est incerti= us populi iudicijs, ideo annis ducentis, nemo ausus est subire huius iudicij periculum, nec ulla noua lex propo sita est, præter unam, Vt ambo oculi effoderentur isti, qui unoculo effodisset unum illum oculū. Videte quan ta seueritate ueteres legumlatores cauere temerarias le gum mutationes uoluerunt. Prouidit idem callide Ly curgus, qui cum exponeret ciuibus se consulturum ora= culum de legibus promulgatis, ac peteret ut iusiurandū darent

darent, se interim dum abesset, non immutaturos esse leges. Discedens igitur, nõ est reuersus, ut perpetuo obligatos religione iuramenti teneret. Ita durauerunt leges illæ annos quingentos. Hæc atq; alia multa à doctis proponuntur, ne iura uero consilio recepta, temere mutentur. Præcipue uero Christianos decet cauere, non necessarias disputationes, cum propter Deum legibus & uniuersæ politię reuerentiam debeant. Nec dubiũ, quin si amitteretur hæc erudita iuris doctrina, magna confusio & barbaries in iudicijs & moribus secutura esset: quam ut prohibeat Deus, qui est autor boni status politici, opto.

Dixi.

DE DIGNITATE LEGVM Oratio.

Nihil in uita utilius est, quàm inserere atque instillare animis bonam & honorificam opinionem de Legibus. Nec ulla maior est uitæ ac morti pernicies, quàm assuefacere animos ad leges contemnendas aut cauillandas. Hæc sæpe inculcari adolescentiæ cum sit utilissimum, recte fieri iudico, quod in his promotionum spectaculis sæpe idem argumentum de dignitate legum repetitur. Quid & honestius est, quàm prędicare & ornare dona Dei, & ad earum rerum intellectum & reuerentiam

f tiam

tiam exuſcitare imperitam adoleſcentiam, quæ ſunt in uita utiliſſimæ? Aut quarum rerum commemoratione potius perſonare doctorũ cœtus debent, quàm his ſermonibus, qui proſunt ad ornandam gloriam Dei, & ad diſciplinam iuuentutis, præſertim cum indoctorum & malorum congreſſus abundent conuitijs legum? Ac mihi ſæpe in mentem uenit, hæc conuitia non tantum ex quadam hominũ iuſticia aut imprudentia oriri, ſed ſpargi à Diabolo tanquam ſpicula ad ſauciandas rudes mentes, ut legũ reuerentia extinguatur, & ſequatur diſſipatio diſciplinæ, quæ & religioni & tranquillitati communi noceat. Eſt autem noſtri loci atq; officij, reuellere illa ſpicula, hoc eſt, falſas perſuaſiones ex animis hominum, & cum oratione, tum exemplis illuſtrare atq; ornare legum ac iuris dignitatem, ac retinere diſciplinam quantum poſſumus. Cum igitur in hoc loco alius uir clariſſimus D. Doctor Hieronymus, quem non ſolum propter beneficia quę in me priuatim contulit plurima, ſed etiam propter excellentem uirtutem & doctrinam ueneror, & tanquam patrem colo, grauiſſime nos adhortatus ſit omnes ad reuerentiam legum, deinde etiã auditores noſtros ad diligentiam in diſcendo, Ego hoc tempore aliud argumentum, & ſi uicinum, ſumam. Tractabo enim ſcholaſticam diſputationẽ utilem ſtudioſis, Quod Chriſtianis non ſit neceſſarium uti legibus Moſaicis, ſed quod liceat uti legibus, quæ iuri naturę conſentaneę ſunt, etiamſi ab Ethnicis Magiſtratibus conditæ ſunt. Deinde oſtendam, Romanum ius antecellere legibus aliarũ Gentium, & uere quandam Philoſophiam eſſe. Scio enim ante aliquot annos, quendam Iudaico ingenio prædituṁ, contendiſſe hic etiam publice, non licere

licere Christianis Ethnico iure uti, quia Christianos oporteat uerbo Dei gubernari. Postea in publicis concionibus damnabant eius sectatores pœnam usitatam furti, & pleraq; alia instituta ciuilia Imperij horum temporum. Porro hæ tribunitię legum abrogationes & iniustæ sunt, & concutiunt Respub. ut euentus in illo terribili motu uulgi ante annos tredecim ostendit. Sunt & hodie in administratione ciuitatum nō pauci, quorum conscientiæ superstitiosis opinionibus cruciantur, quia non recte institutæ sunt de rerum politicarum usu. Nec hi errores nunc primum nascuntur, uetera Monachorū deliramenta sunt, quæ Diabolus nunc uelut sopitum ignem rursus excitat, ut solet easdem hæreses subinde renouare. Quare prodest iuuenes admonere, & ut de hac quæstione rectius iudicent, & ut in dogmatibus iudicandis ueræ Ecclesiæ sententias consulant. Ac primū diluam argumentum quod opponitur, Christianos gubernari debere uerbo Dei: quare contendunt, opus esse scriptura in iudicijs ciuilibus. Expedita & plana responsio est de corporali uita, ut de cibis, medicina, architectonica. Christianos etiam gubernari uerbo Dei, sed generali, quo finit usum harum rerum approbatū esse à Deo, imò has ipsas res Dei dona esse, cōdita ad usum nostrū. Cæterum ut Medicus seu Architectus non sumunt præcepta suarum artium ex scripturis, ita nec Legislatorem de rebus politicis opus est, præter generalem regulam, sumere ipsam artem ex scriptura. Nam Euangelium cū proprie concionetur de ęterna & spirituali uita, non mutat, non labefacit œconomiam, aut politicam uitam, quæ collata ad interiores cordis motus, persimilis est domui: Vt enim domus est singulari arte extructa, apte

contignatis omnibus partibus, ac tegit hospitem aduersus tempestatum iniurias, interea tamé hospitis animus non intra hos parietes cohercetur, sed tacitus de Dei uoluntate & de æternitate cogitans, procul tanquam in cœlum subleuat: considerat enim omnium ętatum mutationes, religionum ortus ac discrimina, Imperiorum uices, tristes casus quibus hæc humana natura obnoxia est, & eregione beneficia Christi: Deniq; & de hac ipsa domo cogitans, miratur opificium, & agnoscit etiam corporali uitæ præsidia diuinitus donata esse: Ita uniuersa politia ceu domus quædam est, mira arte diuinitus fabricata, legibus Magistratuum, ordine, contractibus, iudicijs, disciplina, præsidijs armata, pœnis &c. His septi ac uallati muris, tamé Deum agnoscere póssumus, ac statuere, hanc ipsam politiam, qua hæc uita defenditur, esse uelut domum diuinitus nobis conditam: nec interest uitę spirituali ac æternę, utrum hæc domus, id est, politia, sit à Moise, an ab alijs Legumlatoribus, ut ita dicam, fabricata, modo ut sit cõsentanea iuri naturæ. Id primum hoc argumẽto confirmo: Apostoli in Actis capite 15. pronunciant perspicue, non esse onerandas Gentes lege Moisi: Imò Petrus sæuerè obiurgat diuersum sentientes, ac inquit, eos tentare Deum, quo durius nihil dici poterat. Nam tentare Deum, est illudere ei, ordinando aliquid prętextu diuinę autoritatis. Quare Petrus eos, qui Ecclesiam ad legem Moisi adigebant, non leuiter peccare ostendit. Quia enim falso prætexunt diuinam autoritatem, horribiliter illudunt Deo. Ac loquitur Petrus pariter de ceremonijs, & de politicis legibus, sicut disputatio integra testatur, ubi allegant testimonium Spiritus sancti, quod Gentes prorsus alienas à

politia

politia Moisi Deus uocauit & tandem diserte iubent nihil imponi Gentibus, prẽter ea quę in illo decreto continentur: & allegant Apostoli scripturam Gentes saluas fore. Proprie autem nuncupantur Gentes quæ non habent politiam Moisi: Quare non necesse fuit Gentibus legem Moisi imponi. Addo & aliud testimonium: Ad Ebręos scriptum est, Legem Moisi institutam esse usq; ad tempus aduentus Christi: Ergo politia illa post id tempus non est necessaria. Discernit & Christus suum regnum à corporali, cum ait: Regnum meum nõ est de hoc mundo. Imo ut milites Christum spinis coronant & configunt & in purpura traducũt, Sicilli Christum per contumeliam coronant, qui falso prętextu authoritatis ipsius, dilacerãt & euertunt politias, et nouã constituere conantur. Qui eo etiã peccant quod obscurant & obruunt spiritualia beneficia & fidei exercitia, cum hominibus offundunt hanc speciem, quod Christus nihil nisi illa ciuilia officia Moisi requirat. Ne tenebręprorsus delent Euangelium. Postremo mandat Euãgeliũ ut Magistratibus ethnicis obtemperemus: Quare necesse est legibus eorũ obedire: Nam lex est uoxipsa Magistratus. Nec aliud est obedire Magistratui, nisi eius legibus & decretis obtemperare. Possem alia multa argumenta addere, sed cum hæc perspicua & firma sint, non addam plura, pręsertim cũ sacrę literæ etiam exempla multa proponant piorum extra politiam Mosaicam. Vt enim non dicam de Patribus ante legem, postea etiam multi pij fuerunt inter Gentes & quidem gubernatores magnorum regnorum, Naaman, Nabugdonosor, Darius, Cyrus. Nec Danieli apud Persas licuit hęreditates diuidere Iudęorum legibus, quod Romani

Centuriones ac milites in historia Euangelica laudantur. Quare nihil dubitemus placere Deo, etiam cæteras politias, si tantum, ut dixi, non pugnent cum iure naturę, quod est, ut Paulus inquit, Ius Dei diuinitus inscriptũ humanis mentibus, ut à Deo haberent regulam quę leges gubernaret & dijudicaret. Postęq; igitur ostendimus placere Deo etiam cæteras politias, bonæ mentes hoc diligenter considerent, illas quoq; esse Dei opificium seu fabricationem, ut ita ditam. Nam & Daniel expresse ait Deum constituere regna, & Paulus inquit Imperia esse ordinationes Dei. Magnũ igitur scelus est, legũ uiolatione, quasi telam diuinitus textam dilacerare, id quod Diabolus miris modis conatur. Quid enim pulchrius, quid amabilius esset imperijs, si harmonia societatis humanę non interturbaretur? Si principes ueram religionem propagari curarent, ac defenderent, si mores ciuium diligenter regerent, si controuersias cognoscerent, & bonos tuerentur, ac proueherent, improbos uero cohercerẽt ac punirent? Si ciues essent concordes & modeste parerent, si Ecclesiæ essent tranquillæ & recte gubernarentur, si in scholis artes utiles traderentur et disciplina seuere retineretur? An non talis status esset illa aurea ætas, quam Poetæ describunt? Hic ordo est imperiorum diuinitus institutus & quem Deus conseruat, quatenus bona manent. Sed Diabolus rabiose hũc chorum interturbat, incitat Tyrannos, ut tanquam Gygantes illaturi bellũ cœlo, abolere religiones conentur, ut iniustis cædibus grassentur in ciues, polluant flagitiis libidinibus uniuersam rerum naturam, licentiam scelerum confirment, deleant honesta studia, dilacerẽt Ecclesias. Talis status Romæ fuit, Neronis & similium

Tyran-

Tyrannorum tempore. Sic Diabolus corrumpebat harmoniam diuinæ ordinationis, & tamẽ interea Deus non patiebatur eam prorsus deleri, ac paulo post eam restituebat extincto Tyranno. Vt autem Tyrannus ille erat Diaboli organum, dissipantis diuinam ordinationem, sic sciant omnes legum contemptores, se Diaboli organa esse, & daturos Deo pœnas, sicut toties Deus minatur, & testantur exempla omnium ætatum. Cernit Deus omnium uindex, & uel Magistratuum sententijs præbet puniendos improbos, uel ipse alijs horrendis pœnis eos excruciat. Non Magistratus cohercere Clodium poterant, Milo tandem cohercuit: Non Antonium leges, non Senatus authoritas, non fœdera sanctissima retinere potuerunt, quo minus bella ciuilia moueret, Itaq; Tyrannus tandem non impetrata uita à uictore, cum miser uidisset Reginã Cleopatram sibi mortem consciscentem, ingenti dolore & ipse sese iugulat. Non hæc casu fieri, Adolescentes, existimemus, sed ordinatione Dei, qui sic ulciscitur hominum furorem, qui leges contemnunt, & harmoniam societatis humanæ ab ipso institutam conturbant. Quare non tantum ex historijs exempla quærenda sunt, sed præsens uita suppeditat innumera. Quare uereri leges et amare tueriq; discipliam discamus, & sciamus eos qui non obtempetant, non tantum cum hominibus, sed cum Deo pugnare, & concutere, quasi domum diuinitus fabricatam, hanc politiam qua continemur. Sed dicam nunc de altera parte, uidelicet de Romano iure, quare id potissimum amplexa sit Respub. Iudaicæ leges non nisi illi nationi conditæ sunt, nec possunt conuenire pluribus. Gentibus Assignant enim certas sedes certis familijs, & has uetãt

mutari:

mutari: Hoc nec non potest nisi in angusto loco obtine ri. Spartanæ leges non diuidunt agros, sed iubent com muniter coli, & postea fructus diuidi: Ne hoc quidem nisi inter paucos obtineri potest. Habent & alia uitiosa instituta de connubijs. Atticæ leges, propius ad Ro manam formam accedunt, sed Romanæ plus grauita tis habent in plerisq; delictis puniendis: melius etiam describunt iura testamentorum, discernũt hęr editates, fidei commissa legata: Deniq; uberior est doctrina Ro manis. Sæpe enim miror insolentiam quorundam, qui existimant iusta & æqua, sine arte & sine doctrina per spici naturali quodam sensu, sicut apes architectonicam norunt sine doctrina, sed hi tota uia errãt. Etenim ut in alijs artibus initia quędam monstrat natura, ut in men suris admirandis, deinde arti doctrina proficit, Ita in hac iuris & morum gubernatione initia à natura esse fa teor. Necesse est enim esse certa principia, sed ex his fõti bus duci regulæ sine doctrina non possunt. Quoties af finitas decipit homines? Vt hoc tẽpore quam turpiter prętexitur intercessio, immanibus usuris, interdum falso prętextu societatis, interdum simulatis emptionibus uo ragines usuratum teguntur. Hęc deprehendi & emen dari sine eruditione, doctrina, non possunt. Quę tenebrę essent iudiciorum, quę confusio, si non essent arte tradi ta discrimina actionũ? Quis sine doctrina uideret, cur à rei uindicatione publicanum distingui oporteat? et hoc genus alia multa? Res igitur cogit fateri, necessariã esse artem & eruditiorem doctrinam, ad dijudicanda iusta & æqua, eamq; præcipuam esse partem moralis Philosophię. Nihil est indignius homine docto, quàm artis suę laudem augere aliarum artium uituperatione:

sunt

sunt enim omnes excellentia Dei dona, quare omnes uenerari & amare debemus. Sed cum sit admirabile opus Dei in animis hominum, nosse numeros & ordinem, unde existunt multę artes, Arithmetica & Dialectica, cur non etiam admiramur illas noticias, quæ discernunt iusta & iniusta, ac pariunt doctrinam iuris? Hæ noticię sunt quædam imago Dei, & magis regunt uitam, q̃ aliæ noticię seu ideę artium. Ex hac admiranda luce & Dei imagine, orta doctrina Iurisconsultorum, nõ minus est ars, q̃ cæterę disciplinę. Itaq; cum sit arte aliqua opus, ad intelligenda & discernenda iusta & iniusta, quos alios artifices, nisi doctissimos, peritissimos homines, qui in sapientissimis consilijs summi imperij hoc disputauerunt, sequeremur? Recte igitur Romano iure utimur. Quantum fuerit studium doctrinæ inde usq; ab Augusto ad Iustinianũ, multa sunt perspicua signa, sed cætera omittam: Augustus cum quidem excelleret ciuili sapientia in quæstionibus iuris, q̃ multa de Trebatij, Tuberonis, Labeonis, & Capitonis sententijs cõstituit? Labeoni etiam libere aduersanti sæpe cessit. Sed, ut sunt morosi interdum etiam leni & moderati Principes, Augustus & si non læsit Labeonem, tamen offendi se eius libertate significauit, eoq; Capitoni minori natu consulatum dedit. Retinuerunt Augusti morem & post eum Principes, nec sine Iurisconsultis ultra decreta in ciuilibus quæstionibus faciebant. Nerua & Cassius adfuerũt Tyberio, Cassius Vespasiano, Traiano & Adriano Celsus, & pleriq; alij. Neq; tamen in consilium admissi sunt ulli, nisi iudicio Senatus Romani essent Principibus cõmendati. Postea Antonini Pius & Marcus multo etiam frequentius consilium Iurisconsultorum habuerunt.

Alexander Seuerus, cuius plurimæ extant in Codice leges, nullum decretum, nisi uiginti Iurisconsultis adhibitis, ædidit. Hunc morem cum cogito, non possum non reprehendere negligentiam & barbariem nostræ ætatis, qua tam multi summi Reges & Principes respondent, aut sine doctis uiris, aut certe sine frequentia & disputatione doctorum. Ideo absurda multa & dissidentia à iure æduntur, quę existimationi Principum non leuiter officiunt. Cum igitur illi clarissimi uiri artem effecerint, & omnia exquisite complexi sint, quæ ad tuendam societatem humanam pertinent, personarum gradus, rerum diuisiones, acquirendi modos, cõtractus, successiones, hæreditates, obligationes, actiones, pœnas delictorum. Conuenit agere gratias Deo, quod tale ius Imperio reddiderit. Neq; enim sine Dei consilio accidit, ꝙ cum post inclinationẽ Romani Imperij etiam amissus esset usus harum legum, & successissent barbarici ritus iudiciorum, tamen annis post Iustinianum quingentis, reuocatæ sunt in forum & in scholas Romanæ leges. Hæc restitutio multos mores barbaricos correxit, non modo in iudicijs, sed etiam in reliqua uita. Profuit etiã studijs: quare hoc tantum bonum propter communem utilitatem tot gentium tueamur. Nam scriptum ius est firmum præsidium aduersus Tyrannidem, & quo eruditius est, eo plus continet æquitatis. Hoc muro septa est libertas populi aduersus potentum cupiditates. Si tolleretur hoc ius, quæ sequutura esset Tyrannis, cum pro legibus essent potentum affectus? Facile est enim fingere prętextus, & specie aliqua affectum tegere. Recte inquit Cicero: Vbi discessum est à iure, omnia sunt incerta. Multo maior esset incertitudo, si prorsus nullũ extaret

extaret ius scriptum. Natura autem ita fert, ut incertitudo illa ac Tyrannides rursus præberent occasionem novi iuris scribendi: quod si fieret, scriberentur agrestia & inerudita, ut nunc fit in aliquibus locis, & dissimilia in singulis oppidis. Nunc non modo æquitas nostri iuris prodest ad tranquillitatem, sed illud etiam conducit, quod multæ gentes iuris similitudine cõsociantur. Quare hoc ius, quod à sapientissimis uiris in Repub. præstantissima scriptum est, quod magno consilio summorum uirorum restitutum est, quod est æquissimum & maxime consentaneum rationi, quod munit nos aduersus Tyrannidem, quod prodest ad bonos mores, retineamus, & omni studio propugnemus. Tanta est enim æquitas, ut etiamsi in forum & curiam non esset receptum, tamen in scholis legi oporteret, ad discendam naturam iusticiæ & æquitatis. Nusquam enim extat perfectior & illustrior imago iusticiæ, quàm in his legibus.

Quare etiam à Deo optare debemus, ut hanc doctrinam ad Reipublicæ tranquillitatem conseruet.

Dixi.

ORATIO IN LAVDEM ARTIS Medicæ, Vitenbergæ habita.

VEreor, Viri ampliſſimi, ne qui de Medicinæ dignitate male exiſtiment, cum eam ſubinde laudibus ornari, & encomijs celebrari à noſtri ordinis hominibus audiant. Omnibus enim in ore eſt, rebus per ſe parum honeſtis ac pulchris, alieno ornatu, & orationis fuco opus eſſe, quibus commendentur, quando nihil in ſe habent, quo ſibi gratiam aut decus parent. Sicut fœminæ inhoneſtæ ac deformes, quia ipſæ pulchritudine carent, à ceruſſa formę adiumentum petunt, quo ſe alijs uenditent. His (ſi qui ſunt) noſtri conſilij rationem reddendam duxi, ne re aliter atq; eſt intellecta, & falſa perſuaſione adducti, de diſciplina præclara inique iudicēt, aut de honeſtis factis inhoneſte pronuncient. Nos non prædicamus laudes Medicinæ, ut ei gratiam & uenuſtatem conciliemus, quando tanta eius natiua elegantia & innatum eſt decus, ut nullum nō modo lenocinium requirat, ſed etiam nec ulla arte magis exornari poſſit, quàm natiuo pulcherrimo fuco, Sed quo adoleſcentibus adhuc rerum imperitis, eius ſplendorem ac maieſtatem oſtendamus, ne ignorent, quantum hæc ars in ſe boni habeat, & imprudentes rem ſingularē prætereant, ut eſt ea ætas infirmi conſilij, & præceps, neq; iudicio, ſed libidine fertur, ſi ei dux, quem admonentem ſequatur, defuerit. Verum admodum paucis de re ampliſſima dicam, quod intelligo mihi eam ſermonis copiam, & benedicendi facultatem deeſſe, quàm eius artis uirtutes

tutes depoſcunt, ſi hominum oculis exhibere uelis. Neque eo conſilio hanc prouinciam ſuſcepi, quod hoc me præſtiturum confiderem, ſed ne in pulcherrimam noſtri Gymnaſij conſuetudinem peccarem, quæ tanti bonis uiris eſt, ut nõ dubitent difficilia & ardua, & prorſus quæ ſupra ſuas uires ſunt moliri, modo illam ſeruẽt. Quare dum publicæ utilitati inſeruire conor, & pie quidem, licet parum fœliciter, me quęſo benigne & patienter audite. In diſciplinis quæ excellentibus illuſtrium hominum ingenijs inuentæ ſunt, & incredibili grauiũ uirorum cura, & induſtria perfectę & expolitæ, ea princeps ac regina exiſtimari ſine controuerſia debet, quæ honeſtatis ſplendore, utilitatis magnitudine, iucunditatis illecebris reliquas omnes uincit, tum rebus humanis in primis neceſſaria eſt, quam eſſe Medicinam, ut uere, ita & libere pronunciare nihil ueremur, quæ honeſtam rerum naturalium ſcientiam, & elegantem humanæ naturæ cognitionem complectitur, eaq; tradit, quibus uel bonam ualetudinem tueamur, & ſuſtentemus, uel malam corrigamus ac emendemus, ad hæc, quid commodi aut incommodi quæq; res nobis adferant. Quid autem bono uiro, & excellentis ingenij homini honeſtius, quid melius, quid dignius, quàm uerſari in earum rerum inquiſitione & indagatione, quarum ſcientia & ſplendoris, & magnificentiæ plurimum habet? uſum uero ac fructum immenſum, maximeq; naturam rerum omnium parentem attingit? Iamq; animum attollere humo, & ſublimia petere, ut aeris naturam & cœli uim inſpicias, & uigilantibus oculis in ijs obſerues, quæ cura & admiratione digna ſunt, quæq; commodi aut detrimenti aliquid hominum naturæ portendant,

ut possis & commoditates ex omnibus decerpere, & damna cauere. Iam uero infinitis herbarum generibus contemplandis te dedere, ibiq; diu morari, & propius cognoscere admirabiles illas, & plane diuinas earum uirtutes atq; opes, quæ tam uarię, tam præstantes, tamq; incredibiles sunt, ut nihil profecto in ipsa natura sit, aut dignius, quod suspiciamus, aut pulchrius quod inuestigemus, aut iucūdius quod cognoscamus. Videtur enim ipsi naturę studio fuisse, rara quæ suæ benignitatis munera, & non mediocrem boni uim, in intimis herbarū medullis recondere & occultare, quo bonos & alacres uiros ad inquirendum acueret, & eorum studia & industriam liberalibus præmijs remuneraret: Quemadmodum uiri principes, eorum uirtuti qui in certaminibus præstiterunt, exquisitos honores habere solent. Cuius rei locuples testis Hesiodus est, antiquæ fidei uates, qui deplorat homines ignorare, quantum boni in malua et albuco reconditum sit. Et Mercurius ille Deorum apparitor, Vlyssi moly herbam cōmonstrans, inquit hominibus difficile esse, eam inuenire, Dijs autem non item. Hęc igitur procul ab omnium oculis in extremis rerum latebris abstrusa peruestigare, & magnum inde humanæ societati fructum, & sibi sapientiam colligere, est prędclari & magni uiri. Quid uero de gemmarum naturis & uirtutibus dicam, quas uiri Medici singulari ingenij acrimonia, & incredibili industria perpendentes inuenerunt? quibus tam splendida uis, tamq; incomparabilis uirtus ineſt, ut nihil sit in rebus humanis, quod cum ijs comparari possit. Et ne longior æquo sim, reliquas naturalium rerum partes placet silentio præterire, si prius de homine, de quo tacere phas esse non puto, dixerim, quo

tim, quo à natura non aliud animal melius aut præstantius, aut diuinius conditum est. Ad quem contemplandum, Medicina, quę hoc in cognoscendo accuratior & diligentior est, quo quid excellentius & melius: omnẽ ingenij uim, & animi robur conuertit, omnes eius partes perlustrat, singula membra seorsum propius intuetur, & acri iudicio examinat, singulosq; eius angulos perreptat & cognoscit, & in admirabili illa & uiua corporis humani compositione, omnia singulatim, ueluti luculentum & illustre nobilis architecti ædificium perquirit, & inspicit, ibiq; apte & eleganter disposita admiratur, si quę uitium fecerunt, notat, totumq; hoc animal adeo perplexum & sinuosum, ut non iniuria Momus ei feneſtras addendas censuerit, quo ea quæ intus sunt, cognosci possent, lynceis oculis perspicit. Si igitur quis, quod pulcherrimum & honestissimum est, semetipsũ intus et in cute cognoscere cupit, ueluti labyrinthum ingressurus, Medicinam ducem, ceu Thesei filum, sequetur, si errore implicari, & à uero deduci non uelit, & minimo negocio rem, qua nihil cognitione splendidius, & inquisitione melius, & oblectatione suauius consequi. De qua quàm honorifice ueteres illi, ueri, sancti & sapientes homines iudicarint, luce clarius est. Homerus enim uates sine dubio rerum humanarum peritissimus, unum Medicum, multis alijs hominibus præstare censuit: quod Poeta acerrimi iudicij nunquàm dixisset, si non uidisset tantum oportere tribui tam eleganti rerum naturæ cognitioni. Quid quod Homero non tantum uetustiores, sed etiam graniores uiri, Medicis diuinos honores habuerũt, eosq; beneficentia & studio in numerum Deorum sustulerunt.

Quod

Quod grauiter quidem illi, & constanter fecerunt (ut eorum ferebat religio) iudicabant enim illi hanc sapientiam, non humanam, sed cœlestem esse, quę tam arcanas rerum uirtutes, in ipsis naturæ uenis reconditas & abstrusas euoluere, & in lucem proferre posset, neq; hominis, sed Dei esse, tanta hominibus cõmoda adferre. Quare merito apud eos in diuino honore erant, à quibus diuina beneficia percipiebant. Eos uero, qui de iure respondebant, plurimum admirabantur, & merito quidem, quis enim tam sanctos iustitię custodes non magnifaceret? Sed tamen nemo ullum Iurisperitũ cœlo dignatus est, uerum ijs quorum magna & celebris iustitię & ęquitatis opinio fuit, hanc prouinciam detulerunt, ut apud inferos inter umbras, causas cognoscerent. De Mathematicis ueterum iudicium etiam fabulis testatum est, qui Promethea nobilem sane Mathematicum Caucaso alligarunt, ei pro honestissima disciplina tradita, solicitudinem & miseriam reponentes. Neq; his maior honor Philosophis habitus. Hinc nimirum palam est, inter honestissimas disciplinas, principem locum ueteres Medicinę dedisse, ut interim taceam Gręciam, cum omni genere disciplinarum maxime floreret, Hippocrati eos honores habuisse, quos prius Herculi monstra tollenti detulerat. Ex quo Medicinę dignitas & splendor ęstimari debet, cum ea regio, quę sic uiris sapientibus prę stabat, sic optimarum rerum iudicio pollebat, Medicinam tam exquisitis honoribus exornarit, ut dignitate etiã Herculem minorum gentium Deum adęquaret. Et ut honestate, ita & utilitate & dulcedine reliquis disciplinis prę stat. Quemadmodum enim in Platone & Demosthene, & eiusdem monetę bonis scriptoribus,

non

non tantum magna maiestas, & ingens sermonis splen
dor, sed etiam pulcherrimus fructus, & insignis utilitas.
Sic etiam Medicinæ non minus uoluptatis & bonæ fru
gis, quàm dignitatis ineſt, nisi quis putat aliquid melius
& optabilius esse bona ualetudine, quæ Medicinę bene
ficio conseruatur, & eiusdem opera labefactata curatur:
Quæ ex uarijs herbis succos quantiuis precij exugit in
ualetudinis subsidium, sicut apes ex uarijs floribus ma
teriam colligunt, unde mel conflent, quibus nobis à
morbis circumuentis & oppressis opem ferat, qui nobis
à fronte, tergo, lateribus, insidias tendunt, ut ne Ianus
quidem ab his tutus esse queat, si non Medicina adsit,
quæ ab omni parte morbos tanquam è specula obser
uet, & nos qui eos effugiamus, moneat, uel ab his op
pressos, ceu è mortis faucibus eripiat. Cuius rei testis
est grauissimus ille, non dicendi modo, sed etiam intel
ligendi præceptor & magister Cicero, inquiens: Vale
tudo sustentatur noticia sui corporis, & obseruatione
earum rerum, quæ res aut prodesse soleant, aut obesse.
At sola Medicina obseruat, quibus nostra natura uehe
menter oblectetur, & reficiatur, quibus ue graniter læ
datur, quare idem Autor addit, Valetudinem sustentari
arte eorum, quorum ad scientiam hæc pertinent: & ta
men sunt, qui hæc monentem non audiunt, qui tum
demum sua consilia, imò temeritatem contemnunt,
cum iam aut febri concutiuntur, aut morbo contabe
scunt. Veluti Athenienses, qui de pace non nisi pullati
consultabant, sicut Demades inquit. Et discunt isti lari
magno suo malo, recte sapere, & res uere utiles non te
mere negligendas esse. Medicina uero, si ulla res alia, no
bis in primis necessaria est, cuius opera incolumes &

salui uiuimus. Sole, igne, aqua, & aere denique citius ca rebimus, quàm Medicina. Nam præstat semel mori, & magnis miserijs defungi, quàm in longis morbis, quibus liberari nequeas, miserum ducere spiritum, atq; infœlicem uiuere uitam: à quibus multi sic premuntur, à Medicinæ auxilio destituti, ut sibi manus adferre non dubitent. Quare Romani Cæsares uideri possunt intel lexisse, quàm salutares & necessarij essent boni Medici Rebuspub. qui eis in singulos annos amplissimum stipendium ducenta & quinquaginta sestertia pendebãt, sicut Plinius autor est, cum tamen reliquarum disciplinarum professoribus centena sestertia modo in annum numerarint. Cuius pecuniæ si rationem more nostro iniueris, comperies Rhetoribus & Poetis tria millia aureum, & trecentos triginta quatuor numeratos, Medicis uero octo millia aureum, & amplius trecentis in singulos annos stipendium fuisse: næ illi probe maiestatem & operam Medicinę perspectam habuerunt, & melius & candidius de honestis rebus iudicarunt. Quidam liberalibus præmijs bonos Medicos honestarunt, tantoq; illum ordinem honore affecerunt. At nunc eò deuentum est, ut ex libidine, non ex uero iudicemus: ex gratia, non ex merito tribuamus: fiuntq; paulatim dete riora omnia, & in peius delabũtur. Neq; desunt, quibus nunc Medicina sordet, quæ olim magnis & sapientibus uiris tanti fiebat. Sed quid mirum? Vt enim scarabei precioſi unguenti odore offenduntur, & sues amaracini fragrantia, sic hi nostri scarabei & sues, præclaras & honestas res non ferunt. Sed quis istos non contemnat? nisi quis leuem & impurum seruum Caryonem apud Aristophanem audiendum putat, qui uirum Medicum

dicum ſcatophagon, id eſt, ſtercoris uoratorem uocat, cum nemini hominum obſcurum ſit, quod lingua eſt, ut ille inquit, pars peſſima ſerui. Neque iſti ueteratores, quibus mala mens, malus animus eſt, aliter faciunt, à quibus uituperari, laudi ducitur: prudentes uiri recte iudicant. Iſtos etiam contemnendos duco, qui ebrij inter pocula eructant & crepant: Qui medicè uiuit, miſerrime uiuit, uidentes aliquem continentiæ & frugalitatis, quàm crapulæ amantiorem. Sed quàm miſerè iſtæ hominum laruæ delirant, qui exiſtimant iſtum miſerè uiuere, qui medicè uiuit: næ iſti ignorant, quid mederi, aut Medicina, aut Medicus ſit: qui ſi intelligerent uerba, iuuandi & auxiliandi uim habere, certe aliter iudicarẽt. Sed quid moramur hos, quibus nemo ſanus reſpondendum putat, ſed helleborum porrigendum, ut purgato cerebro, deſinant delirare? Neq; Medicorum ordini fraudi eſſe debet quorundam temeritas & inſcitia, qui eius artis titulo ſe uenditantes, multis fucum faciũt, quibus ſi quis titulum detraheret, idem ſanè eis accideret, quod Cumano leoni, qui pelle nudatus, aſinus fiebat. Tales non magis Medicinæ officere debent, q̃ honeſtiſſimo Theologorum ordini, triobolares iſti Theologaſtri, qui, ceu fœdę Harpyę, & ſacra, & ſanctiſſimum Theologici nominis ordinem defœdant atq; conſpurcant. Vt enim inter pulcherrimas ſegetes, triticum & ſiliginem, zizania & lolium ſibi eſſe uolunt locum, ita & perditi quidam homines in honoratis uirorum ordinibus quoquo modo eſſe uolunt, qui digni ſunt, ut in coruos deportentur, non quibus cum boni uiri litigent. Vos quibus melior mens, & honeſtior animus eſt, qui dignitate, ſplendore, & maieſtate naturalium rerũ mo-

uetur, amplectimini Medicinã, qua nihil meliũs, neq; pulchrius, neq; maius rebus humanis diuinitus contigit: quæ & rei amplificandæ compendiaria uia est, & tantum oblectationis subministrat, quantũ humanus animus capere potest. Nõ enim hic, ut in pictura, inanes umbræ, & uanę corporum imagines nos oblectant, sed res solidæ, & uiuum naturæ opus, & incredibile, & uarium eius decus, cum summa uoluptate spectatur: tum facit, ut his bonis floreamus, quibus ut abundare fœlicissimum, ita & carere miserrimum est. Quare qui beati quàm miseri esse malunt, hi putent sibi Medicinam omnibus modis amplexandam.

Dixi.

ALIA ORATIO, LAVDEM MEDICINĘ continens.

RE ipsa comperio uerissimum esse, quod scripsit quidam Poeta:

Oia sunt ingrata, nihil feciſſe benigne est.

Nam cum nõ alia ars de nobis uberius meretur, q̃ Medicina, tamen uel in primis huic pessima gratia à pleriſq; mortalium redditur, qui tantum abest, ut agnoscant huius beneficia, ut nullo nõ genere conuitiorum, cum artem ipsam, tum nos, qui in perquirendis his rebus, quæ uitam prorogant, quæ ualetudinem conseruant, ac morbos arcent, operam collocant

locant, conscindant. Idq; faciunt hi, qui quoties pituita molesta est, tota domo myropolia coemunt, omnes undiq; Medicos conducunt, ueterinarios etiam: & cum Medicinę ope conualuerint, animi morbum exerceant, in accusanda inscitia Medici, in uituperandis exoticis re medijs. Ea est insania, ut ne quidem experti artis beneficia, placari possint. Cum hisce rixemur ne modo, post quàm ex more de Medicinæ laudibus aliquid dicendũ est: Ego uero satis scio non esse tantam dicendi facultatem mihi, ut illos mea oratione ad sanitatem reuocare me posse confidam.

Pythagoram aiunt adulescentes quosdam, cũ honestę cuidam fœminæ in conuiuio libidine inflammati, uim afferre conarentur, mutato cantu tibiarum (qui in conuiuijs ex more adhibebatur) spondęis tardiusculis flexisse, ut compressa libidine ab incepto desisterent. At hi non tantum non oratione ulla placari posse uidentur, sed multis hellebori iugeribus ad medicandam stulticiam opus habent: Quare cum his in pręsentia nõ est uisum digladiari. Sed bonis ac studiosis liberalium artium adulescentibus, cupimus fidem facere: Non aliã artem ex prophanis, aut plures utilitates ad uitam afferre, aut digniorem esse, in qua cognoscenda, quicunq; liberalibus ingenijs præditi sunt, operam sumãt. Et quam quam in hoc argumento optarem mihi esse eam facultatem, quę pro dignitate exponere, & ornare res dignissimas laude posset: tamen ita extant ob oculos, ita uersantur inter manus Medicinæ commoda, ut ad eam prędicandam non admodum uberiore eloquentia opus sit. Et si usquam uerum est quod aiunt, probę merci non esse pręcone opus, minime omnium Medicina postu-

lat uulgaria preconia, cuius utilitas posita in conspectu nostro, omnium mortalium studia fauorem q; meretur.

Quæ enim alia ars, aut plura, aut gratiora uitæ fœlici ter degendæ adminicula nobis promittit? Quod cum animaduerterent ueteres, tantopere præstare eam alijs artibus omnibus, cum quidem omnium aliarum disciplinarum inuentionem, immo & literarum, & legum primordia in homines auctores referrent, in una Medicina senserunt tantam esse uim, ut neminem mortalium dignum ducerent, cui tantum beneficium acceptum ferrent, sed magno consensu iudicarunt à Deo repertam, exhibitamq; nobis esse. Et est tanta scientiæ uarietas, quam Medicina complectitur, ut humano ingenio deprehendi nõ potuerit. Etenim in tam fugaci uita, quam uis multi non poterant tot morborum genera cognoscere, tam uaria remedia, herbarum dissimillimas naturas experiri, hæc cogitabant, opinor hi, qui optimę artis inuentionem Deo asscripserunt. Et mihi libet credere diuinitus ostensam esse mortalibus hanc artem, & à primis illis authoribus generis humani, traditam esse per manus posteris.

Nec mihi ullus mortalis labor suffecturus fuisse uidetur tam uarijs corporum naturis, tot causis, tamq; abditis ac latentibus morborum, tot ualetudinis conseruandæ aut restituendæ rationibus, syderum uiribus, quas in commutanda corporis humani constitutione exercet, tot pharmacis inquirendis. Itaq; statuamus nos etiam Medicinam Dei munus esse, missum in terras, quo infirmitatem uirium nostrarũ aliquantisper sustentaremus. Et cum usus poscit, ita utamur, ut agnoscamus non humano consilio, sed diuino beneficio proposita esse remedia

media uitę prorogandæ. Nam & sacrę literę palam docent, Deum & remedia proposuisse, & Medicos condidisse, & regere gubernare q; Medicorum industriam.

Est hęc uel in primis magna Medicinę laus, diuinitus repertam esse, quam laudem, cum huic uni arti tribuant sactæ literę, non dubitemus eam longe, cum dignitate, tum utilitate præstare omnibus alijs.

Stultitiam esse sentimus contemnere reliquas artes, quas humanum ingenium excogitauit. At Medicinam aspernari, non stultitia, sed impietas est. Nam cœlestia dona contemnere, aut parum religiose colere, conscelerate mentis furor & sacrilegium est.

Nunc, si libet utilitate meiri Medicinam, quæ ætas est, quæ uitę pars, quę huius ope non indigeat? Quod enim in fabulis est, primos hominũ glande uictitasse, postea monstratas esse fruges à nescio quibus, id eò pertinere mihi uidetur, certam quandam uictus rationem inuentam esse, magno bono publico, cum ad id tempus, discrimen nescissent homines noxiorum in uictu & salubrium. Proinde, hac in parte latissime patent Medicinę beneficia, præscribentis suam cuiq; uictus rationem. Nam si tollas è culina uictus rationem seu dieteticen, quid aliud erit iam culina, nisi carnificina quędam? Aut quid est aliud, quàm sese iugulare, nullam tenere uictus certam rationem?

Sed est Medicinę manifestior usus in restituenda, quã conseruanda ualetudine. Ibi mihi expendat aliquis, ab illis uitæ initijs, quàm uarij morbi nos infestent nondũ etiam natos, ut quidam non iniuria dubitarint parentem ne an nouercam potius humani generis naturam esse censerent. Quàm multi casus uterum ferenti impendent,

dent,sæpe exitium allaturi, tum nondum nato fœtui, tum ipsi matri,ni Medicus opem ferat. Quàm multa lactis uitia emendat Medicina,ne fame pereat infans. Iam si mihi,ut Poeta inquit,centum linguæ sint,oraq; centũ, non possem percensere omnes mortalium morbos,in quibus depellendis Medicinæ uim quotidiæ est experiri. O quoties fugienti uitæ manũ uincit Medicus, quoties uelut ab orco morientem animam retrahit. Quoties necessitatem fati arte differt, quæ quidem palam est diuino beneficio fieri. Sed iam ante diximus Medici industriam diuina quadam ui gubernari. Atqui si usquam fidem habet tritum prouerbium, Hominem homini Deum esse. hac in parte id profecto rectissime usurpatur: quia diuina ui Medicus ægroti salutem tuetur. Neq; uero tantum in tollendis corporum malis uim suam declarat Medicina,sed animos etiam contagione corporum uitiatos sanat. Deniq; uniuersum uitæ cursum faciliorem reddit,dum uitare morbos docet, et si qui acciderint,mitigat. Proinde, uehementer ingrati sunt, qui Medicinam uitæ tutricem ac seruatricem non suspiciunt,non admirantur. Quod si parentibus debemus gratiam,quod uitam semel dederint, cur non item Medicis,qui sæpe amissam prope uitam reddunt? Sed dicet aliquis, Sępe frustra tentari remedia,& Medicinã sæpe in curando parum fœlicem esse:

Verum est grati hominis agnoscere beneficium quoties ars iuuerit, improbi est erratum meminisse, non meminisse benefacta: quæ si colligas & expendas, multos incolumitatem uidebis Medicis debere. Ita sunt mortalia, ut sæpe uis morbi superet Medicinam. Est & cum Medici falluntur, sed multo sæpius ægro-

tanti-

tantium uitio accidit, cur parum succedat in medendo.

Fuit apud Antigonum Regem non ignobilis Medicus Epirotes Philippus, is susceperat quendam Regis amicum hydropico morbo implicitum, curandum, & cum pollicitaretur, confirmaretq; haud dubie illum se sanaturum esse, negauit eum posse sanari alter quidam Medicus, Chrysippi discipulus, qui ægroti intemperantiam norat. Qua de re cũ inuicem altercarentur, & Philippus contenderet esse sibi exploratam remediorum uim, respondit alter, Philippum ad morbum respicere, se uero ad animum ęgroti. Neque illum res fefellit, nam cum ęgrotus summa diligentia non Medici tantummodo, sed etiam Regis custodiretur, tamen malagmata sua deuorando, bibendoq; suam urinam, in exitium se præcipitauit. Ita non Medici inscitia aut negligentia, sed sua ipse intemperantia, ęgrotus extinctus est.

Quoties putas accidit, præsertim in ijs nostris moribus, ut ægrotus tanquam suo se gladio iugulet, cum detrectat Medico parere, cũ noxijs cupiditatibus alienissimo tẽpore frenum laxat, & obsecundat? Est autẽ indignissimum alienæ culpę Medicum reum agere. At tamẽ ita fit, ut quicquid peccarit ægrotus, Medico imputetur. Sed nolo commorari in diluendo hoc conuitiorum genere, quæ cum uino madent, bene poti, in conuitijs barbari, quidam in Medicinam euomunt. Nam & illi ipsi hæc recantant, paulo post, ubi crapula contraxerint alij alias pestes. Et quanquam sero malo coacti, fatentur id quod res est, optime de genere humano hanc artem mereri.

Neq; uero utilitate tantũ ducimur ad medicinæ cognoscendę studiũ, sed ex ipsa naturæ cõtemplatione, in

qua uersatur tota Medicina, incredibilem uoluptatem, eamq; honestissimam animus bene liberaliterq; institutus capit. Quod enim spectaculum, qui ludi magis delectare nos possunt, q̄ naturæ uarietas, si propius intuearis? Neq; tantū in magnis corporibus structuram, ordinem ac uires partium omnium spectare iuuat, Sed minutissimæ res uel maximam admirationem pariunt, cū animaduerto nullam esse totius naturę partem, tam humilem, tam contemptam, quæ non magnam uim medendi habeat. Et non modo in malua & asphodelo (sicut Hesiodus dixit) sed in stercore etiā suillo, aut si quid hoc uilius est, magnas inesse commoditates. Ego profecto mirabiliter afficior, cum has rerum naturas considero, & cum ipsam architecturam mundi admiror, tum uideor mihi tanquam manu prendere Deum, qui sese infundit in omnes res, uegetat & alit omnia, & suas cuiq; rei uires tanq̄ œconomus distribuit & uoluit. Opinor in tanta rerum uarietate cerni sese: atq; hoc studium contemplandę naturę ita multos tenuit, ut quanq̄ Medicinam non exercerent, tamen toti fuerint in ea perdiscenda. Verum mihi humanius uidetur, quod didiceris, id etiam expromere in usus hominū, & maiorem laudem meritos esse eos, qui morbos curarunt, q̄ qui domi inclusam artem tenuerunt, contenti uoluptate, quam ex cognitione capiebant: Est enim hoc in primis homine dignum, hominum saluti quantū possis opitulari, atq; prospicere. Sumus enim profecto nati homines hominum causa, ut quam quisq; utilitatem ad uitam præstare posset, eam citra inuidiam in publicum conferret. Et cū nihil sit melius, aut honestius, aut splendidius, q̄ uitam seruare ac tueri, præclare faciunt, qui artis huius fructus

alijs

alijs impartire studeant, atq; eam ob causam mihi Homerus dixisse uideatur, Medicum uirũ multis alijs præstare. Nam cum arbitraretur, homini dignissimum esse bene mereri de alijs, tamen illum eximiæ mereri sentiebat, ac præferendum esse reliquis mortalibus, qui uitam seruare soleret, aut certe in re tanta operam sumeret. Est enim in magnis sæpe etiam uoluisse, laudabile.

Neq; ulli arti omniũ seculorũ memoria ampliora præmia fuere: Qui gentium cõsensus fidem facere poterat, hanc artem & maxime salutarem hominibus, & honestissimã semper esse iudicatam. Nam & Romani cũ Græcis tota Italia interdixerũt, diserte Medicos exceperunt, & in Italia retinendos esse publicę salutis causa duxerũt: Qua in re summum honorem arti habitũ esse cernitis.

Quare uos adhortor, optimi Adolescentes, primum, ut ametis & religiose colatis Medicinam, & quia ualetudini uestræ prospicere solet, & quia diuinis laudibus in sacris literis ornata est, nobisq; commendata: Deinde ut quantum quisq; potest in ea operæ ponat. Siquidem nõ alia res, q̃ naturę peruestigatio quę liberale ingeniũ, aut magis decet, aut ampliore uoluptate perfundere potest. Non aurei montes, qui in fabulis esse dicuntur, tantum ualent honestam mentem oblectare, quantum eatum rerum tractatio cognitioq;, quas continet Medicina. Postremo cum iuuare homines sit & sanctissimum officium, & homine dignissimum, date operam, ut hoc instrumentum ampliſſime merendi de alijs, uobis comparetis. Nam ille demum recte instituit uitam,

qui ad publicam utilitatem sua studia
& uitæ cursum refert.

Dixi.

ORATIO DE VITA GALENI, IN promotione Doctorum Medicinæ à Doctore Milichio recitata.

IVre Hesiodus ignauiam & stuporem humani generis taxat, inquiens, stultos mortales ne quidem maluæ & asphodeli utilitates nosse. Quid est enim indignius ac turpius, quàm quod conditi ad aspiciendam hanc rerum naturam, & quasi collocati diuinitus in hoc theatrum homines, ut intuentes mirificam cœlestium motuum & nascentium rerum uarietatem, agnoscamus Deum opificem, & quæramus salutaria uitę præsidia, obliti huius muneris, & quasi cæci in theatro, non nos ipsos, non alias res uulgares quæ sunt in manibus, aspicimus atq; consideramus? Ac huic pulcherrimo spectaculo uulgus antefert beluinas & obscœnas uoluptates, aut sordissimas stultissimasq; curas, quibus occupati animi non admittunt honestiores cogitationes. Etsi autem hæc socordia uel amentia potius hominum, uituperatione digna est, tamen magis illi qui destinati doctrinæ ac Philosophiæ, contemnunt naturę inquisitionem, reprehendendi sunt. Quanquam enim non postulandum est, ut uni studio omnes dediti sint, nam uitæ opus est multis ac dissimilibus artibus, et suus cuiq; locus, suus honos tribuendus est, tamen est humani animi, primũ hanc doctrinam, quæ naturam quasi euolutam nobis spectandam proponit, amare, & magnifacere, decerpere etiam inde aliquid, nec prorsus expertem esse uelle huius dulcedinis, quã hæc cognitio parit, deinde fauere

aliorum

aliorum studijs, et adolescentes Philosophię destinatos hortari, ut meminerit se diuinitus ad naturę considerationem, atq; contemplationē uocatos esse. Quid homini conuenientius est, quàm meminisse solum hoc genus collocatum esse in mundum, ut hoc admirandum opificiū contempletur? Deinde quid dulcius est quàm lustrantem singula, uidere ordinem atq; harmoniam corporū ac motuum? considerare nascentium uarietatem, et uidere singula ad certos gigni usus, ut ratiocinari possimus, hæc omnia à quadam æterna mente mirabili consilio atq; œconomia ita distributa esse. Et quidem ad hanc considerationem acres stimulos natura omnium mentibus indidit, et uoluptates adfert longe ubertimas cognitio. Quare si qui hoc studium uituperant, aut secum ipsi pugnant, aut à natura hominum degenerarunt: tametsi certas herbas norunt ac meminerunt pleręq; bestiæ ac uolucres, cerui dictamum, muli asplenū, elephantes oleastrum, mustelæ rutam, apri hederam, ciconię origanum, hirundines chœlidoniā, corui aron, cygni uiticen, quę uulgo uocatur agnus, expetunt: quod ab ea in partu adiuuantur, serpentes feniculum norunt, & nobis usum monstrarunt, ut Nicander scribit:

Exuuias postq; siccas, pigramq; senectam
Deposuit serpens in uere, & tardus ab antro
Caligansq; oculis quęrit medicamina nota,
Et cum feniculi se germine pauerit, ipsi
Clara acies oculis redit inde uigorq; iuuentæ.

Denicq; exempla sunt innumera bestiarum, quę uincunt plerosq; homines, ut ita dicā, solertia in inquirēdis et explorandis naturę miraculis. Turpe est autem hominibus non modo uinci diligentia atq; industria à bestijs,

sed tantum addere furorem ut contemnant etiam hæc studia. Quare studiosos quantum possum adhortor, ut debent facere omnes boni uiri, ut hanc doctrinam & ardenter expetant & colant, cuius cognitio non modo iucunda est, sed etiam infinitas utilitates adfert uitæ. Imo & mores naturæ inspectio consideratioq; flectit ad moderationem, & ad pietatem, ac mentes ad Dei admirationem excitat. Cum enim Deus nos in hoc spectaculo collocarit, nosq; iusserit opificium suum intueri & cõsiderare, non existimemus hoc studium inutile esse nec sine culpa contemni. Hic quid dicam de Cyclopibus illis, qui non solum inquisitionem aspernãtur, sed etiam usum & remedia: cum sæuitiam exerceant in sua corpora immani iugluuie, immoderatis uigilijs & alijs modis, postea, sicut Stoici, fato aiunt regi ualetudinem & uitam, nec accersi morbos nostris uitijs, nec depelli diligentia ac remedijs, sed fato. Hæ uoces cum manifestũ furorem significent, indigne sunt refutatione, sed tamẽ interdum exempla nocent imperitis. Ideo adolescentes admoneo, ut hæc barbarica conuitia artis detestentur, quæ contumelia afficiunt Deum, qui & leges tradidit quibus regi uita debet, & præsidia ac remedia addidit, quibus admirabilem & uere arcanam uim indidit iuuandi corpora, monstrauit et artem ut his beneficijs apte uteremur. Itaq; Dei ordinationem, ac Dei beneficia aspernantur Cyclopes illi, si putant nihil esse uiriũ, in rebus diuinitus cõditis ad hominum salutem: Vt certi cibi ac potus humano corpori propositi sunt, qui cur in sanguinem uertantur ut alant corpora, dicere non possumus, sed mirabilis indita uis est talibus rebus, & cognatio & συμπάθεια cum humano corpore, ut misceri &

ri et in unam naturam confluere possint. Ita in re medijs ineſt συμπάθεια arcana in certis mẽbris aut humoribus, quorum efficacia manifeſta & certa eſt. Tanta eſt efficacia therebinthinę in uulnerum ſimplicium curatione ut res fateri cogat arcanam uim illi remedio ineſſe, ac diuinitus donatam eſſe generi humano ad uulnerũ curationẽ. Quam efficacem & gratum uſum fuiſſe balſami arbitramini? Ac mihi ſępe in mẽtem uenit, ideo balſamũ & myrrham Ebræis donatã fuiſſe, ut cum ad perpetuam militiam gens deſtinata eſſet, nec res peregrinas inueheret, domi haberent efficax & prędens remedium uulnerum. Compertum eſt ſcorpios ſubito extingui impoſito raphano. Longum eſſet dicere de ſingulorum membrorum remedijs, ſed quotidiana beneficia medicinę tantum conſiderate, hęc teſtantur remedia efficaciſſima eſſe. In deſtillatione uehementiori exhauriri ex pulmonibus lenta, acris & tenax pituita nõ poteſt ſine medica ope. Ad hunc uſum res peculiares deſtinatę ſunt, nec licet ſine diſcrimine quibuſlibet pharmacis uti. Quãtus uſus eſt cicorij & abſinthij in epate medicãdo? quoties mulieribus certum exitium depellunt abſinthium & arthemiſia? Sed omitto hanc cõmemorationẽ. Quęſita ſunt remedia contra uenena, eſtq; in hoc genere manifeſta uis rutæ, quare ad arcendam peſtilentiam magnam uim habet: Et ſcribit Atheneus Ponticũ tyrannum ſolitum uenenis necare inuitatos ad conuiuia ciues, id cum animaduerſũ eſſet, poſtea acceſſuri ad ipſius conuiuia, prędmunierunt ſe ruta, atq; ita ſine incommodo uenena hauſerunt. Magis mirum eſt quod narrat de citrino pomo, & allegat teſtem qui fuit ſpectator eius euentus: In Aegypto cum ducerẽtur quidam fontes ad

aſpidas

aſpidas ut eorum morſibus interficerentur, fortè mulier cula quæ erat apud cuſtodem carceris quadam miſeri cordia mota, illis trementibus ac ſitientibus dat pomũ citrinum, ut uires reficerent, quo guſtato ducuntur ad aſpidas, quarum morſu cum eſſent ſauciati, uis ueneni non fuit efficax, nec extinguuntur uulnerati: nouitate rei obſtupefactus Magiſtratus diligenter inquirit cauſas, cumq; inter cętera interrogaſſet quid eo die comeſſent, fit mentio pomi citrini. Itaq; uim pomi experitur: Ducuntur alio die rurſus ad aſpidas, ſed iubetur alter pręmãdere citrinum, alter prohibetur, ibi utroq; ſauciato, extinguitur is qui abſtinuerat à citrino, alter manet incolumis, qui guſtauerat. Ac non modo hiſtoriæ, ſed quotidiana experiẽtia ſuppeditat innumerabilia exempla, quæ ſatis teſtantur certam uim remediorũ eſſe. Quare Deum contumelia afficiunt qui beneficia ipſius quadam immanitate morum aſpernantur. Hæc initio in ſumma prefari uolui & de doctrinæ ac Philoſophiæ huius dignitate, & de utilitate remediorum, ut cum artem cogitaueritis amandam & magnificiendã eſſe, de ipſis etiam artis ſcriptoribus, qui ſuum ſtudium in illuſtranda natura & in iuuanda hominum uita conſumpſerunt, honorificentius ſentiretis. Cum enim aliquid pro more dicendum eſſet, collegi quędam de Galeni uita & laudibus recitanda, quem ſcitis nos habere copioſiſſimum Medicæ artis authorem. Arbitror autem natu maioribus ac prudentibus gratam eſſe commemorationem de uiri ſummi ſtudijs, prudentia & diligentia, in arte cum tradenda tum exercenda. In medicãdo, iuuenibus profecto utiliſſimum eſt, tenere optima exempla, quę imitentur & in diſcendo & in iudicando. Eſt autem Ga-

tem Galenus Pergami natus, patre architecto ciuitatis eruditissimo, ut Galenus prædicat, in Grammaticis, Dialecticis, & Mathematis: ac narrat ipse, magnopere sibi hoc profuisse, quod tali natus sit patre, qui non solum amarit disciplinas, ut filium ad eas in tempore adhibuerit, sed etiam ipse domi docuerit. Ab hoc ait elementa artium didicisse, quibus perceptis, cum iam natus esset annos quindecim, ad professores Philosophicos deductus est: ubi cum exerceretur in Dialecticis & reliqua Philosophia, nam pater eum non Medicinę, sed tantum professioni Philosophicæ, ut tum uocabatur, destinarat, adolescens cũ biennium audiuisset Philosophum, somnio, ut ipse inquit, maxime illustri monitus est, ut medendi artem disceret. Nec uero dubito, quin diuinitus ei species illa oblata sit, & additus impetus diuinitus ad hoc studium. Erat illis temporibus dissipata ars, & ut ex Plinio intelligi potest, exorti erant impostores plurimi, qui deprauabant artem, non modo in exercenda Medicina, quod omnibus ætatibus accidit, sed multo magis in docendo, nouas præstigias ostentabãt, immittebant in aquas feruentes ægrotos, quocunq; genere morbi laborantes. Deus igitur, cum & retinere artem, & conseruare ad posteros uellet, daturus orbi terrarum excellentem artificem, excitauit Galeni ingenium ad hæc studia. Deus enim conseruat ueras artes in uita, quod ex eo apparet, quia nulli existunt excellentes artifices sine diuino afflatu. Itaq; cum esset iam puerili doctrina præparatus in Dialecticis & elementis Philosophię, & ingenio ualeret, & flagraret animus discendi cupiditate, & quodam enthusiasmo, magno studio pariter in Philosophiam & Medicinã incumbere cœpit. Primum

audiuit Medicũ, cui nomen fuit Satyro, qui fuerat Quinti auditor, celeberrimi inter professores, qui scholas habuerunt ante Galeni ætatem, ac studiose uersati in enarrando Hippocrate. Postea audiuit Pelopem Medicũ, cuius & si reprehendit quædam errata anatomica, tamen apud hunc in anatomicis diligenter se exercuit. Magna frequentia tunc erat hominum doctissimorum in urbe Aegypti Alexandria, quare eò profectus, studia illorũ ac iudicia explorauit. Deniq; ipse inquit accessisse se atq; audiũsse omnes suæ ætatis Medicos doctissimos ac celeberrimos. Et quanquam ingenio admodum excelluit, tamen grauissime obiurgat eos, qui sine præceptoribus arbitrantur se futuros artifices. Romã bis profectus est, primum suo consilio, & ut Medicos ibi audiret, & ut ingenij specimen præberet in tanta luce ac frequentia Doctorum qui erant Romę. Sed dissentiens interdum à cæteris, animaduertit se odia eorum incurrere, eamq; ob causam disputationes omisisse se inquit, præsertim cum in concionibus plus gratiæ & opinionis colligere posset: ait enim sibi singularem adfuisse fœlicitatẽ in artis usu & curationibus, ut credibile est: erat enim diuino & heroico impetu ad Medicinam incitatus, quẽ comitari singularis fœlicitas solet. Venit Romam natus annos quatuor & triginta, ac plurima ibi scripsit, & in his quædam Philosophica de demonstrationibus, ut refutaret amentiam quorundam præstigiatorum, qui eo tempore, ut artes euerterent, contendebant nihil esse certi, & omnium artium præcepta Sophisticis disputationibus labefactabant. Magna illis impostoribus ingenij laus uidebatur, non explicare uera, sed receptas opiniones petulanter euertere. Itaq; adeo exercuerunt Galeni

ingenium

Ingenium, ut fateatur se quoq; illam Pyrrhoniorum dubitationem fuisse secuturum, nisi fuisset puer ad Geometriam, & ad demonstrationes assuefactus: qua disciplina non tantum hoc assecutus est, ut certa ab incertis discernere posset, sed etiam illud, quod multo maius est, ueritatis ut esset amantior, & freno quodã regeret ingeniũ animaduersis demonstrationibus. Euripides linguæ petulantiam uocat turpissimum morbum, Sed nullis turpior est illa cauillandi licentia, & ut ueteri Græcorum uocabulo utar σοφισομανία & studium euertendi ueras & utiles sententias, q̃ Philosophis, qui ueritatis amorem ac defensionem profitentur. Iure igitur laudanda est uoluntas Galeni, quod illas prestigias Pyrrhoniorum acriter insectatus est. Scripsit autem eo tempore plurima, quæ Romę in incendio perierunt, cum ignis late uagatus, etiam templum pacis, ubi scripta reponebantur, absumpsisset. Roma discedens, anno septimo & tricesimo ætatis suæ, redijt in Asiam, in quo itinere arbitror eum nauigasse in Lemnũ, ut naturã terrę Lemniæ uere inquireret, qua in re diligentiam eius considerare licet: Nam cum Dioscorides scripsisset, hircinum sanguinem misceri Lemniæ terræ, cuius magnus in remedijs usus fuit, ipse ea loca unde eruitur, adijt, ut certe explorat quomodo appararetur, comperitq; naturam esse metallicam, sine mixtura sanguinis hircini. Est autẽ hodie in tanto usu, tantaq; admiratione apud Thraces & Græcos, ut Turcicus Tyrannus Legatis terrã Lemniã inter peculiaria dona dare soleat: uidimus enim anno superiore aliquot σφραγίδας tales donatas Cornelio Scepero.

Sed non multo post reditum in patriam, reuocatus est in Italiam literis Imperatorum Veri & Marci Antoni

ni, cum quibus ei magna fuit familiaritas, ut ex aliquot ipsius narrationibus apparet. Et iudicium Imperatoris de eo hac in re maxime apparet, quod filij Commodi Cæsaris ualetudinem præcipue Galeno commendauit, proficiscens in Germaniam ad bellum Marcomannicum. Hoc tempore inquit se scripsisse diuinos illos libros Anatomicos qui extant, qui quidem non solum Medicinæ studiosis, sed omnibus Philosophiæ amantibus in manibus esse debent: profecto enim præcipua pars est Philosophiæ, doctrina de partibus humani corporis, & earũ officijs. Cumq; sit plena suauitatis, ingentes etiã utilitates adfert, magnopere cõducit singulis ad tuendam ualetudinem: mores etiam regit, cũ monet quid cuiusq; partis natura postulet. Deniq; cũ hanc admirandam texturam humanorum membrorum proponit, docet hanc naturam non casu extitisse, sed ab æterna quadam mente conditam esse, quæ non frustra uoluit esse adeo occupata in formando humine, sed significare, sibi genus humanum curæ esse. Itaque sapientissime Galenus inquit, doctrinam anatomicam initium esse Theologiæ, & aditum ad agnitionem Dei, suntq; eo magis amandi hi libri studiosis Philosophiæ, quia ea quæ desiderantur in Aristotelica anatomia, adiecit Galenus, quædam etiam erudite correxit, multis etiam locis Aristotelis lumen addidit. Cum autem in bono Doctore non minus fides quàm eruditio atq; industria requiratur, magnopere amandus est Galenus, qui, ut res ostendit, nõ solum industria & dexteritate excelluit, sed etiam fide. Quis est enim eo in docendo diligentior ac uberior? Ac de fide sua ipse inquit in tertio de locis affect. Deum igitur testem facio, me dicturum esse, quod

quod post longam inquisitionem in ipso artis exercitio, & in disputationibus cum doctissimis uiris comperi & ueerissimum esse statuo. Quis talem animum tam & ueritatis amantem, & iuuandi generis humani cupidum non perpetua laude dignũ esse iudicet? Post interitum Antonini Philosophi, qui in expeditione illa mortuus est, cumq; adolescens Imperator Cõmodus magis delectaretur gladiatorum consuetudine quàm Philosophorum, rediit Galenus in Asiam & in patria ætatem consumpsit in docendo, in exercenda arte & in scribendo, seq; diligentia produxisse uitam ait usq; ad ultimam senectam. Præclare igitur non solum de suæ ætatis hominibus, sed de omni posteritate meritus est, & erudiendis alijs & scribendo, totam enim complexus artem, ingens uitæ præsidium posteris reliquit. Etsi enim postea medicinam magna cum laude exercuerũt et Arabes, & Græci nonnulli, tamẽ fontes esse apud Galenum constat utriusq; generis, disputationum artis seu dogmatici generis, & remediorum. Ac ut multa omittam, quantum illud beneficium est, quod ea doctrina quæ uocatur Physica, nusq; extat aut eruditius aut uberius tradita, quàm in pleriscq; Galeni libris, & tamen scripsit multo plura, quæ partim propter barbariẽ quę in Asiam & Græciam peruasit, partim propter alias causas interciderũt. Recitarem etiam quasdam ipsius diuinationes, & curationes admirandas, si temporis breuitas id pateretur. Læsis neruis in corpore humano & motus amittitur & membra contabescũt: Primus autem Galenus rationem inuenit saucios neruos curandi. Quam sagax fuerit in inueniendis remedijs, obseruatis rerũ qualitatibus inde ęstimari potest, cum in Alexandria in pa-

triam rediret, diuertit in itinere in quoddam rusticum prędium, ubi fortè ęgrotabat dominus ac penè suffocabatur uuulæ & glandium tumore. Cum autē deessent alia remedia, & iam matureſcerent nuces, consideratā corticum natura acri & astringente, ex illis corticibus expressit succum, cui mel addidit, hoc remedio subito liberauit ęgrotum, quo quidē postea se semper fœliciſſime usum esse narrat, ita in re uili, magnam utilitatem reperit. In prędentia non adijciam plura exempla.

Porro cum de uita hominum optime meritus sit hic scriptor, cum rerum naturam copioſiſſime descripserit, cum remedijs plurimis nos instruxerit, cum ueterum medicorum inuenta collegerit & noua adiecerit, sciant studioſi uniuersam posteritatem plurimum ei debere. Eumq; sic ament ut cognoscere etiam cupiant, sic enim sentio eos qui in Philoſophia uersantur nequaq; sine Galeno tueri suum munus posse, nam & Aristotelis plerag; sine Galeni enarrationibus intelligi non possunt. Deniq;, si quis alius, Galenus certe propter utiliſſima monumenta quæ reliquit de natura & de remedijs, hoc prę conio digniſſimus est, quo Homerus celebrauit

Aesculapij filium, uir Medicus multis
alijs præstantior unus.

Dixi.

Oratio

ORATIO DE PLATONE, HABITA à Cunrado Lago, cum decerneret titulum Magisterij quibusdam studiosis, Anno 1538.

IN deliberatione grauissima apud Thucydidem inquit rex Spartanus Archidamus, hãc esse patriæ disciplinũ, ut ciues non studeant calliditate leges, aut uincere aut labefactare, sed sine tergiuersatione obtemperent. Existimo autem non tantum Lacędemonijs, sed omnibus ciuitatibus ubiq; terrarum, legum reuerentiam salutarẽ esse. Quod cum ita sit, & mihi & uobis honestum est tueri gradus in scholis constitutos, ut legibus, quæ non sine graui causa nobis à maioribus traditæ sunt, pareamus. Quare & uestrum officium laudo, quod publici moris conseruandi causa huc conueniistis & peto, ut meam orationem æquo animo audiatis, præsertim cum non sumpserim mihi has partes ingenij fiducia, sed necessitatem dicendi hoc loco nobis imponat officij ratio. Nescio quomodo alij sint affecti, sed de meo animo hoc prædicare possum, hos cœtus scholasticos & congressus nostros mihi multis de causis iucundissimos esse. Iuuat enim uidere hęc quasi præsidia Reipub. uidelicet cum maiores natu, qui iam consilio & autoritate sua regunt Rempub. tum hunc florem iuuentutis, quæ posteritatem gubernatura est: cui in his congressibus bene precari debemus, ac uota facere, ut Deus hæc ornamenta uitæ, literas, leges, religionem conseruet. Venit etiam in mentem, cum omnium disciplinarum professores

fores intueor, quantum uitæ decus sit, integer artium chorus. Quare hos cœtus ita celebrandos esse meminerimus, ut nos de cœlestibus donis, de Repub. de nostro offcio admoneant. Quid autem magis decet in frequentia doctorum, quam de bonis rebus dicere ac audire aliquid? qua in re, quia mei muneris ratio postulat ut hic orationem habeam, ualde optarim me posse uobis satisfacere. Sed æquum est, uos dare ueniam dicentibus, si tamen dent operam ut probetur uobis ipsorum studium, & ut argumenta adferant honesta ac scholasticis utilia. Porro magnopere prodest doctorum & excellentium uirorum historias tenere, nam & exempla eorũ, ac pericula & uarij euentus multa nos monent, de uita & moribus, & opiniones eorum formant iudicia discentium. Probo igitur cõsilium illorum, qui antea hic doctissimorum hominum historias recitarunt. Et ut hos imitarer, orationẽ de Platone instituí, cuius studia, peregrinationes, cõsilia in Repub. nosse & aliquo modo uidere, quale sit genus Philosophię quod tractat, & quid utilitatis adferat discentibus, profecto multum prodest. Omittam autem illa uulgaria encomia, quæ à generis nobilitate, aut à patriæ charitate sumuntur. Nam cum hęc oratio habeatur ad utilitatem discentium, de doctrinæ genere prolixius dicendum erit. Sed uitam antea breuiter exponam: Natus est Plato Athenis, mense Martio eo anno, quo uir eloquentissimus Pericles mortuus est, ac fuit is annus tertius funestissimi belli, quod inter se Græcę ciuitates gerebãt, quod Peloponẽsiacum dicitur. Materno genere à Solone ortus est. Patrimoniũ habuit amplum, quare liberaliter institutus est, ac literas, Arithmeticen, & Geometriam adolescens didicit: Nam hæ artes

artes Athenis tradebantur initio pueris. Et quia ingenio ualebat, scripsit Poemata & Tragœdias, Euripidis admiratione excitatus, cui erat familiaris: Incidit enim adolescentia Platonis in tempus ciuitatis, non quidem tranquillum, sed tamen non triste. Quanquam enim initia belli fuerant inauspicata, & magnæ clades erant acceptæ, tamen postea annos circiter uiginti multæ res secundę consecutæ iterum erexerunt ciuitatem. Postea cum ætas Platonis penè matura esset, uel militiæ, uel ciuilibus muneribus, fortuna ciuitatis mutata obstitit, quo minus ad Rempublicam accederet: Erant enim domi ortæ inter ciues pernicioſæ dissensiones. Has secuta est clades foris, ubi à Lysandro uicti sunt Athenienses: Deinde capta ciuitas, quo anno Plato fuit natus annos uiginti tres. Tunc patria tristi seruitute oppressa à Lacedæmonijs, & à triginta Tyrannis, Plato cũ haberet ingenium abhorrens à ciuilibus discordijs, & ab armis, & doctrinæ amans, secedendum sibi esse duxit, quia neq; opem adferre ruenti & deflagranti patriæ poterat, neq; in tam immani sęuitia triginta Tyrannorũ & assiduis tumultibus, futurus erat in tuto. Dicitur tamen ante patriæ excidium, & ante ciuiles discordias militasse: sed quia breue tyrocinium fuit, commemorare nihil opus est. In secessu audiuit Euclidem Megaris, eũ opinor, cuius Geometria extat. Deinde cum eo tempore in Italia floreret doctrina Pythagoreorum, & magna in admiratione esset Architas Tarentinus, nauigauit in Italiam, ubi Architam & Timæum audiuit, de naturæ initijs, & opificio, & alia quędam Physica disputantes: quæ qualia fuerint, ex libro quem inscripsit Timæum, æstimari potest: Sunt enim quædam Physices initia, de

ortu mundi, de duplici motu cœlesti, qui efficit, ut ipse inquit, literam X. de ordine Planetarum, de serie elementorum, de hominis generatione, de natura humorum, de humani corporis membris, de anima, de Deo opifice naturæ. Hæc breuiter in Timæo complexus est, ubi & si sunt quædam ænigmata Arithmetica, tamen reliqua Physica iudicat Galenus ab Hippocrate sumpta esse, & hæ disputationes apud Platonem inchoatæ magis sunt quàm absolutę: Nam nec motuum cœlestium ratio explicatur, nec Anatomia est integra. Sed initia tamẽ laudo, et hoc genus Physices utile esse censeo, quod humorum naturas, & membra humani corporis describit. Itaq; sępe Galenus Platonicas descriptiones mutuatur. In Italia uero tantisper hæsit, donec patriam recuperat Thrasybulus, & Conon adflictam rursus erexit, concussa potentia Lacedæmoniorum. Reuersus igitur Plato, audire Socratem cœpit, captus, ut uidetur, eius sermonibus politicis. Viderat enim Socrates horribiles mutationes Atticæ ciuitatis, quę hominem ingeniosum & cogitantem de hominum moribus, & de mirabilibus uitæ casibus, multa monent. Vixit autem Socrates post restitutam patriæ libertatem, ac Thrasybuli uictoriam, annos circiter triginta, ac de futura Platonis magnitudine non obscure uaticinatus est Socrates, qui ait, Se pridie q̃ ad ipsum ueniisset Plato, somniasse, cygnũ se in gremio tenere, qui deinde euolans in altum, dulcissimos cantus ædiderit. Hunc cygnum ait Græcis Platonem futurum esse. Cum igitur Socratem aliquandiu audisset, nec contentus esset illis popularibus disputationibus de uita & moribus, sed adiungendam esse censeret doctrinam de rerum natura, petiuit Aegyptum, habitq̃

habuitq; comites peregrinationis Eudoxum, & Poetam Euripidem. Nec uero dubito, quin diuinitus hæc acciderint, ut hoc modo latius propagaretur uetus & erudita Philosophia de motibus cœlestibus. Etsi enim Thales antea particulam quandam eius doctrinę Græcis tradiderat, tamẽ hæc rursus extincta erat. Quare optime meriti sunt Plato & Eudoxus, qui eam non modo ex Aegypto in Græciam rursus aduexerunt, sed etiam ut propagarent, auditoribus tradiderunt. Eudoxus uero reliquit etiam tabulas motuum, & anni ordinationem. Ita excitata hæc doctrina, diu Græcorum studijs conseruata est, cuius dignitatem atq; utilitatẽ, si, ut debemus, magnifacimus, his primis autoribus profecto habenda est gratia. Digna est etiam admiratione eorum uirtus, quod non dubitauerunt tam longinquas peregrinationes magno cum labore & periculo suscipere, ueritatis quærendę causa. Quàm acres in illorum animis stimuli, qualis enthusiasmus fuit ad inuestigandas res cognitione dignas? Nos contra pudeat nostræ ignauiæ, qui diuinitus donatas, & magno labore repertas artes negligimus, & interire sinimus. Excitemur ergo Platonis exemplo, primum, ut artes honestas uere amemus, & pericula laboresq; ad eas comparandas suscipere non recusemus: deinde consilium imitemur. Adiungamus, ut ipse fecit, ad morales disputationes, illam arcanam de motibus cœlestibus doctrinam. Acuidete ad quem finem has artes expetiuerit. Vtilitates publicas ipse colligit alicubi, Opus esse in hac ciuili uita temporum serie, & anni descriptione, sed proprium discenti finem hunc constituit, ut inuestigatio naturæ ducat nos ad agnitionem Dei, & ostendat humanis mentibus inditum esse

lumen quoddam diuinitus, quo uita regatur, ut Deo obediat, & eorũ animos, qui Deum agnoscentes, ei obtemperent, postquã ex hac uita discesserint, in luce admiranda atque æterna apud Deum uicturos esse. Hæc sunt Platonis uerba in Epinomide. Hæc, Adolescentes, an non grauissime dicuntur? Nec ego tamen has sententiàs Euangelio misceri uolo, sed teneant suum locũ Doctrina rationis est, quę cum recte philosophatur, cum uestigia diuinitatis in rebus quærit, cum considerat humanæ mentis naturam, peruenit ad has metas, diuinitus propositas. Nam Epicuri deliramenta procul à uia deerrant, & tollunt principia Physica, & obruunt noticiam de Deo impressam humanis mentibus: Sed redeo ad historiam. Ex Aegypto reuersus Plato, adfuit Socrati in iudicio: cumq; publice pro eo dicere cœpisset, clamore factionis aduersariorum impeditus est: quare cũ non audiretur, desinere coactus, præstitit in cæteris officijs Socrati fidem & constantiam dignam uiro bono. Et quanta cum grauitate Socratem defensurus fuerit, si licuisset, indicat Apologia, quæ adhuc extat, in qua multa sapientissime dicuntur, contra arrogantiam hominum, qui Deum cõtemnunt, qui negant prouidentiam esse. Deinde addit multa de immortalitate: sapienti gratissimum esse, discedere ex hac uita, ad illos uiros, ubi de summis rebus certius doceri possit. Interfecto Socrate, cum accusatores ipsius insidiarentur amicis illius, Plato rursus secedendum sibi esse censuit. Profectus igitur in Siciliam, uenit ad Dionysium Tyrannũ, patrem iunioris Dionysij, pulsi aliquanto post ex regno: Nam Siculis erant crebra cũ Athenienſibus commertia, horum leges, studia, Siculi imitabãtur. Et Tyrannus ipse ingenio

pollebat

pollebat, & Græcis ſtudijs delectabatur. Sed erat ciuis Siracuſanus ſummę autoritatis Dion: Is Platonē hoſpitio excepit, ut eū differentem de natura, et de Rep. audiret, ſed ſicut naturale diſſidium eſt multarum rerum, atq; animantium inter ſe, uini & cicutæ, cygni et aquilę, Ita natiuum & implacabile odium eſt inter ſe tyrannicarum naturarum & philoſophicarum. Ideo cum Plato liberius reprehendiſſet in quibuſdam rebus Dionyſij uiolentiam, Tyrannus eum interfecturus erat. Sed exoratus à Dione, uitam ei conceſſit, ſed ita, ut in ſeruitutem addiceret cuidam Lacedęmonio, iuberetq; eum uendi. Auectus igitur Plato in Aegina, redemptus eſt à Dione minis triginta, hoc eſt, trecētis coronatis, ut nunc loquimur. Mortuo patre cum ſuccederet adoleſcens Dionyſius, & præcipue conſilio Dionis regeretur, ac Dion iuuenile ingenium Dioniſij ad uirtutem, iuſticiam, & moderationem flectere doctrina & autoritate ſapientis uiri uellet, cenſuit uocandum eſſe Platonem. Etſi priore exemplo erat admonitus Plato, non poſſe coire amicitiam inter Philoſophos & tyrannos, uictus tamen adhortatione Dionis, in Siciliam redit. Erant auſpicia aulicæ conſuetudinis læta, ciues omnes aureum quoddam ſeculum ſibi promittebāt, poſtquam gubernari adoleſcēs à Platone cœpit. Audiebat enim Philoſophum magno ſtudio de Deo, deq; immortalitate differentem, ut epiſtolæ teſtantur quæ adhuc extant. Porro hæc fundamēta ſunt ueræ uirtutis, tenere rectam de Deo & de immortalitate animorum ſententiam: Hæc philoſophia regibus digna eſt. Tantū igitur promouit Plato, ut illa atrox tyrannidis ſpecies prorſus tolleret, prodibat in publicū, uerſabatur cum ciuibus Rex, non tyrannico ſatellitio ſti-

patus,sed doctissimis & nobilissimis ciuibus. Domestica uita adolescentis non modo sine turpitudine erat, sed etiam in optimis studijs agebatur. In imperio nihil crudeliter, nihil iniuste, nihil sine cõsilio bonorum uirorum Dionis & Heraclidæ fiebat. Hæc tanta bona non tam Dionysij natura, quàm uulgaris aularum pestis inuidia corrupit, improbi quidam, qui ut licentiam haberent scelerum, desiderabant statum tyrannicum, & ad se rerũ habenas trahere conabantur, excusso Dione. Quantum autem ualeant calumniæ, non modo in aulis, sed etiam apud priuatos, non est obscurum. Et quia sororẽ Dionysij Dion habebat, instillabatur regi, non esse concedendam nimiam potentiam affini, ne regnum aliquãdo concupisceret. Cum igitur tandem uincerent sycophantiæ, pellitur ex regno Dion, frustra Platone omnibus modis annitente, ne quid in talem ciuem summa uirtute & autoritate præditum, iniuste constitueretur. Ejecto Dione, paulatim improborum potentia creuit, & deprauari regis animus cœpit. Fortè eo tempore Plato prædixit eclipsin futuram. Ibi Aristippus, qui unà aderat, ait se de significatione diuinaturum, ac iocãs, inquit portendi inimicitiã inter regem & Platonem. Hoc ioco facete aulæ mutationem Aristippus reprehendit, sed illud fuit addendum, Dionysium propter mutatos mores, regnum amissurum fuisse. Etsi autem tyrannus retinere Platonem arte conatur, tamen suspicans Plato, id quod erat, sibi propter Dionem nonnihil esse periculi, auellit se à Dionysio quibus potest modis: dimittitur ergo non sine munere: Scribunt enim octoginta talenta ei donata esse, hoc est, octo & quinquaginta millia coronatorum. Redit igitur Athenas atq; ibi scholas habet, uersa-

uersatur unà Dion, & multi nobiles adolescétes Syracusani, in quibus fuit Eudemus Aristotelis amicus. Postea excusso Platone, tyrannus graſſari omni scelere cœpit. Coniugem Dionis nubere alteri cogit. Hęc fuit causa Dioni mouendi belli, in quo egregie adiutus est à nobilibus ciuibus, Platonis auditoribus: Ita Platonis schola de tyranno iustas pœnas sumpsit. Nam, ut futurum Plato prædixerat, Tyrannus regnum amisit. Consenuit deinde Plato non in ocio, sed quod est honestissimum docendo ac scribendo excitauit optimarum artium studia. Habetis historiam philosophi, quæ continet uere philosophicum uitę curriculum. Cupiditate discēdi adijt multas regiones longinquas, inuexit in patriam optimas artes, excitauit studia, conflictatus est cum tyrannis: Nam id quoq; ad philosophum pertinet. Reliquit non solum scripta, sed etiam discipulos, qui posteritatem erudierūt & conseruatunt artes uitæ utiles. Quod uitæ genus huic anteferendum est? aut quod munus in uita utilius est societati hominum, quam munus docendi? Itaq; recte inquit, philosophos, etsi non gerant Magistratus, & abstineant à forensibus occupationibus, tamē eo iustos esse, quia artes uitæ utiles inquirant & tradant. Non profecto melius meretur de Repub. ædilis qui molem aliquā ædificat, quàm uir doctus, qui regit religiones, qui ostendit, quid sit iustum, qui naturam rerum patefacit, ac remedia necessaria hominibus monstrat. Quare etsi Plato suo quodam consilio non gessit Magistratus in patria, tamen de ciuibus, imo de tota posteritate, genere officij præstantiore optime meritus est. Ac commemorat ipse causam, cur abstinuerit ab administratione ciuitatis, quia præsentem statum non probaret, & tamen tolerandum

erandum esse sentiret, quia ut parentum, ita patriæ mo-
tes etiam parum commodi ferendi sint. Sed arbitror,
primum cladem patriæ & seruitutẽ in causa fuisse, quo
minus accederet ad Rempub. deinde studia doctrinæ
animum eius à cęteris occupationibus abduxerunt, qua
in re multo meliorem operam Reipub. ac uniuersæ po-
steritati nauauit. Nunc aliquid addendũ est de eius scri-
ptis: Primum eloquentia tanta est, ut longe antecedat
omnes Gręcos & Latinos oratores, quorum extant lite-
ræ. Nullius est oratio uberior ac splendidior. In alijs lau
damus præcipue proprietatem, in alijs nitorem, ac figu-
rarum delicias, Plato quę uult proprie efferre, ita signate
dicit, ut nihil aptius cogitari possit. Rursus quibus uult
addere splendorem & ornamenta, in his lõge uincit ua-
rietate amplificationũ, & uenustate figurarum, omnes
oratores. Itaq; nonnulli dixerunt, Iouem, si Græce locu-
turus esset, Platonis usurum oratione. Fuerunt paulo su-
periores Platone Rhetores, Gorgias, Thrasymachus &
alij quidam, qui adolescentes exercebant in dicendo:
Nam ea disciplina præcipue tunc existimabantur iuue-
nes ad Rempub. præparandi esse. Hos quia nihil trade-
bant nisi Rhetoricos libellos, & assuefaciebant iuuentu-
tem ad inanem garrulitatem sine rerum doctrina, pas-
sim Plato false exagitat. Nam cum nihil sit Reipub. per-
niciosius, quàm assuefieri tenera ingenia ad Sophisti-
cen, Plato iure exarsit aduersus eius ętatis Rhetores, quo
rum palestrę tantum alebant Sophisticen. Repressis igi-
tur horum studijs, etiã eos qui Rhetoricen profiteban-
tur postea, acuit & excitauit, primum ut fugiẽtes Sophi-
sticen, locos causarum uera quadam ratione cõstituerẽt
& argumenta ex negociorum fontibus sumerent, non

peregri-

peregrina aut Poetica, sed apta & consentanea rebus, de quibus dicendum erat. Hi sunt orationis nerui, sine quibus etiam si bella & uarie picta dicuntur, tamen oratio & inanis & inepta est. Ac hos neruos secutę sunt etiã in elocutione, multæ egregiæ uirtutes, grauitas, & splendor: itaq; Demosthenis oratio cum rebus tum elocutione longe præstat ueterum scriptis. Habent quædam lenocinia & flosculos Gorgiæ orationculę sine ueris argumentis, sine splendore, sine compositione: Lysiæ uero argumenta etiamsi sunt apta, tamen sunt exanguia, & sine nitore. Etsi autem compositio & ratio ornandi uidetur ab Isocrate primũ mutuata, qui paulo fuit maior natu q̃ Plato, tamen nonnihil et Platonis elocutionem profuisse posterioribus apparet. Consilia uero in inueniendo, nerui & amplificationes in Demosthene haud dubie Platonis doctrinam redolent. Nam Demosthenes non procul accersit argumenta aliena ab instituto, ut faciunt Sophistæ, sed ex negociorum fontibus sumit proprias rationes, ut decet hominem eruditum, & has Dialectice, penè ut fit in schola, magna arte contexit, ac pletunq; pugnans sententias non populares, sed, ut ita dicam, scholasticas, id est, ex doctrina quadam grauissima erutas profert. Quid dubitemus igitur Demosthenem, non tantum Rhetoricis libellis, sed hac eruditiore doctrina expolitum fuisse? Ac significat ipse se Platonis auditoré fuisse, de cuius Philosophia sic scribit ad amicum quendam: Video te disciplinam colere, & quidem Platonis, quæ uere detestatur turpia lucra, & imposturas, & iubet finem omnium actionum constituere, uirtutem ipsam ac iusticiam: qua doctrina institutos, nefas est fraudes struere alijs, & non erga omnes esse iustos.

Hæc sunt Demosthenis uerba, in quibus honorificum Platoni testimonium tribuit. Nec uero uulgaris prudentię fuit, uidere quid illa prior Sophistica Gorgię & similium, haberet uitij, & cursum studiorum totius sui seculi commutare. Magni ea res ingenij & heroici significatio fuit: Vidit arma dari iuuenibus ad mouendas Respub. cum nō frenarentur ingenia grauiore doctrina, sed una laus esset, dicendo cōturbare, & concutere leges, et alias causas. Quare hortator Græcis fuit ad aliud doctrinę genus colendum, utile moribus & paci. Hanc suam sententiam non obscure ostendit in interpretatione Delij oraculi. Fessę enim Græcę ciuitates diuturno et luctuoso bello, quod inter se gerebant, consuluerūt oraculum in Delo, quibus modis Deus placandus esset, ut Græciam præsentibus malis liberaret. Hic cū Deus respondisset, Aram in Delo totam, quę erat figuræ cubicę, duplicandā esse, Græci addunt aliam molem pari magnitudine, & efficiunt τετράγωνον, in quo longitudo uincebat latitudinē. Postea interrogāt, an rite oraculo paruerint: Apollo negat. Quare perculsi, suspicantur aliquid arcani hoc inuolucro significatū esse, ac interpretem oraculi excellente ingenio & doctrina quærendum esse censent. Deferunt igitur oraculum ad Platonem, qui ostendit eis erratū in duplicanda ara, q̄ pro cubica fecissent τετράγωνον, & docet, quomodo cubus duplicandus sit, quęsito diametro cubi. Monet autē Græcos, non molem arę magnopere Deo curę esse, nec placari Deum lapidum strue, sed recte significari alia meliora studia Græcis colenda esse, uidelicet, Philosophiam, profuturā ad flectendos animos, ad modestiam, iusticiam, & amorem publicę tranquillitatis. His studijs excitandis nusq̄ Platonis opera defuit, & ut

& ut iuuenes eloquentię cupidos moneret, nõ ad popu lares tumultus exercendã esse facundiam, sed ad alium honestiorem usum, inquit, Eloquentię finem esse, nõ ut homines delectet, sed ut Deo grata dicat. Hoc præceptũ utinam infigant animis adolescentes, ut cũ cogitabunt, hunc tantũ finem horum studiorũ sibi propositum esse, ut oratione gloriam Dei illustrent, multo diligentius se ad tam præclarũ opus præparent, deinde uideant etiã, cũ turpe sit cõferre eloquentiam ad parasiticã, ad scurrilem maledicentiã, ad calũniandas honestas artes, ad inflam manda odia aduersus Christũ. Hęc qui faciunt, ut re ipsa morẽ diabolicũ imitantur, ita nõ eloquentes, sed diabo li iure uocãdi sunt. Nec uero pauci sunt tales in his publi cis discordijs: Est enim plusc̃ uerũ quod ait Menander:

ὁ βίος μάλιστα τοῖς πονηροῖς ἥδεται,
πράττει δ' ὁ κόλαξ ἄριστα πάντων, δεύτερος
ὁ συκοφάντης, ὁ δὲ κακοήθης ῥίπταται.

Et alunt has pestes illi, qui cohercere maxime debebant. Verum hæc querela fortassis non est huius loci: Redeo igitur ad institutũ. Vt Horatius Pindarũ laudãs, inquit:

Multa Dirceum leuat aura cygnum,
Tendit Antoni quoties in altos
Nubium tractus. Ita profecto hic cygnus, Pla to uidelicet, diuinũ quiddam canens, omnes Oratores eloquentia uicit. Passim in Cicerone, nõ modo in Philo sophicis scriptis, sed etiam in forensibus actionibus cõ parent ornamenta ex Platone decerpta plurima. Et qui dem Cicero prædicat se in Academia Oratorem factum esse: poterimus igitur & nos ab eo multa ornamẽta mu tuari. Sed desino de eloquentia dicere, quę summorum Oratorũ testimonijs satis celebrata est. Ingens autẽ de-

cus est in homine eloquentia. De rebus ipsis & genere Philosophię magnę sunt controuersię inter doctos. Primum illud constat, Platonem nō scripsisse ordine integras artes, sed liberioribus disputationibus alias de alio loco quid probaret, aut quid non probaret, ostendisse. Multæ etiam sunt ut hominis ingenioſi & eloquentis, qui quidē & natura fuit σκωπτικὸς, ironicę & figuratæ disputationes, qualis est, cū ludens differit omnes magnos uiros bene meritos de Repub. iuste plecti à suis ciuibus, quia beneficijs suis, uulgi cupiditates et licentiam auxerint. Est & πολιτεία, in qua fingit cōmunem rerum usum, prorsus ironica: uoluit enim falsę et figurate infinitam rapacitatē potentū taxare. De ideis quę deliramenta finxerūt indocti, cū genus sermonis grandius in Platone non essent assecuti, nec uidissent ideas ab ipso dici imagines ac noticias eruditorū, quas in mentibus concipiunt, hoc est, ipsas definitiones, aut demonstrationes. Cum igitur eā, quam toties prędicat, methodū nō sępe adhibeat, & euagetur aliquando liberius in disputādo, quędā etiam figuris inuoluat, ac uolens occultet, deniq; cū raro pronunciet quid sit sentiendū, assentior adolescentibus potius proponendū esse Aristotelē, qui artes, quas tradit, explicat integras, & methodū simpliciorē, ceu filum, ad regendum lectorem adhibet, et quid sit sentiendum, plerunq; pronunciat. Hęc in docentibus, ut requirantur multę graues causę sunt. Vt enim satis dentibus draconis à Cadmo, seges exorta est armatorū, qui inter se ipsi dimicarūt, ita si quis ferat ambiguas opiniones, exoriuntur inde uariæ ac perniciosæ dissensiones. Paulo ante hanc ætatem Bessarion & Trapezontius hostiliter inter se dissenserunt, cum hic Aristotelem, ille Platonem

tonem anteferret. Id certamen diremit Theodorus Gaza, inquiens suum cuiq; locum tribuendũ esse: Ita lectionem Platonis multum profuturam esse, si quis in Aristotele recte institutus, postea Platonẽ legat. Nam cum afferet lector Aristotelicam methodum, facile quasi intra certas metas includet eas res, quę apud Platonem late dissipatæ sunt. Et hanc fuisse Aristoteli causam arbitror, cur methodum adeo exiliter consectaretur, ut ea quæ à Platone acceperat, collecta, & quadam œconomia atq; ordine distributa, posteris integre traderet. Etsi quędã limare etiam ac corrigere uoluit, rerum tamen in summa non magna est dissimilitudo. Nec difficile est prudentibus uidere, uter in qua parte præstet. Quanquam enim dicat ineptus, qui uelut Midas de Apolline & Pane sibi iudicium sumpsit, ita ego de duobus præstantissimis Philosophis iudicare ausim, tamẽ ostendere adolescẽtibus utile est, quid autores, qui proponi solent, profiteantur. Vberiora sunt ea, quę de ciuitatũ administratione Plato scribit, et sunt ornata mirifico splendore oratonis. Et cum dissimiles libros scripserit, politian, & librũ de legibus, in altero liberius lusit, sed in libro de legibus simpliciter et sine ęnigmatibus suam sententiã exposuit & pręcepta collegit utilia ad gubernationẽ ciuitatũ, ex quibus tanq; ex fõtibus multa Iurisconsulti Romani hauserunt. Apparet enim in multis legibus autores penè uerba Platonis describere. De stupro ui facto, sanxit Plato, ut stupratorẽ interfici liceat, non solũ ab illis quibus uis infertur, sed etiam à patre, fratribus aut filijs. Id lex imitata de raptoribus, non tantũ patri, sed etiã cęteris propinquis potestatẽ facit interficiendi raptoris. Sed exemplorum cõmemoratio longior est, quàm ut cõueniat huic

tempori. Imò Iurisconsulti tantũ huius scriptoris autoritati tribuerunt, ut eius uerba etiam legibus inseruerint, ut in titulo, de nundinis recitatur sententia quę adprobat honestã negociationem quanq; καπηλευτικήν. Cæterum plurimas sententias Cicero ex omnibus Platonis disputationibus de imperiorũ uicibus et gubernatione recitat. Multa ornamẽta & Aristoteles ex Platone decerpsit, quę adhibita methodo explicat. Nam diuisiones iusticiæ, quæ sunt admodũ utiles, sumpsit à Platone, easq; magis inclusit dialecticis metis. Platonis etiam inuentũ est, discrimen specierũ iusticię, iuxta proportiones, Arithmeticam & Geometricam. Verũ in Aristotele dialectica integra est. Et Physica sunt eruditius inchoata ab ipsis laribus, ut ita dicã, hoc est à primis initijs & perducta ad descriptionẽ naturę animaliũ. Ethica etiam simplicius traduntur. Amemus igitur utrunq; : & cum in Aristotele mediocriter uersati fuerimus, alterũ etiã propter politicas materias, & propter eloquentiam legamus : Habet suos quosdam locos, propter quos eruditos delectare potest. Disputat enim satis grauiter de immortalitate animorũ humanorũ, & Philosophię finem ubiq; constituit agnitionem Dei, sicut inquit in quadam epistola : Ita recte philosophabimur, si Deũ agnoscemus uniuersæ naturæ patrem, causam & gubernatorem esse, eiq; iuste uiuentes obtemperabimus. Hanc unã ait, non ἄμουσον παιδιὰν esse, et ueram philosophiam. Et quia uidebat hæc derideri ab atheis, confirmat lectores, inquiens non satis esse, sic sentire, sed etiam animos ita cõfirmandos & corroborandos esse, ut contemnere eos possimus, qui nos ita sentientes derident. Vidit enim Philosopho hac fortitudine opus esse, ne se improborum iudicijs

dicijs à recta sententia depelli sinat. Etsi autem has Platonis cogitationes & ipse amo ac suspicio, tamen error illorũ acerrime reprehendendus est, qui propterea confundunt Platonicã Philosophiam & Euangelium. Hæc cõfusio generũ doctrinę eruditis cauenda & detestanda est, ac uidendum, quis locus Philosophię tribuendus sit. Dei dona sunt omnes bonę artes, sed suum singulę locũ teneant. Vera Philosophia, hoc est, nõ deerrans à ratione, & à demonstrationibus, est quædam noticia legis diuinę, agnoscit esse Deũ, & iudicat de moribus ciuilibus, uidet hoc discrimen honestarum & turpium diuinitus nobis insitum esse, iudicat puniri atrocia scelera à Deo, habet etiã quasi præsagium aliquod de immortalitate. Neq; tamen illa uidet aut docet, quę propria sunt Euangelij, uidelicet, remissionem peccatorũ gratis donandã propter filium Dei. Hæc noticia nõ est orta ab humanis mentibus, imò procul extra conspectum rationis humanę posita est, sed Filius Dei qui est in sinu Patris, eam patefecit, ut aliàs copiose dicitur. Quare prudentia adhibenda est in discernendis doctrinarum generibus, et explodendi sunt inepti illi, qui offundunt càligine Euangelio, imò obruunt ac delent Euangelium, cũ transformant in Platonicam Philosophiam. Magis etiã taxandi sunt, qui ne Platonem quidem intelligentes, eius figuris deprauatis, monstrosas opiniones genuerũt, easq; in Ecclesiã sparserunt, ut Origenes, et post eũ alij multi fecerũt: Flagitiose enim cõtaminata est doctrina Christiana ueteribus illis tẽporibus, ineptè admixta Platonica Philosophia. Hæc breuiter adieci: Vt enim collatio doctrinarũ aliquid lucis adfert studiosis, ita Ecclesię plurimũ refert, cauere, ne doctrinarũ genera cõfundantur. Dixi.

Oratio

ORATIO DE VITA ARISTOTELIS, dicta in promotione Magistrorum à Philippo Melanchthone.

1537.

FRequentia uestra in hac pompa promotionis mihi periucunda est, & cum officio uestro delector, tū uero probo iudicium, quod significatis uos bene sentire de hoc publico more, in quo, etsi hæc pompa habet ludos quosdam pueriles, tamen scitis grauissimo cōsilio gradus ipsos institutos esse, ut ordo in discendo præscriberetur, & adolescentes ad certam studiorum rationem inuitarentur. Certe nobis in hac Schola usu uenit, ut hi qui gradum petunt, diligentius se Philosophiæ studijs dedant: Eam ob causam gradus libenter conseruamus. Deinde animi est non abhorrentis ab humanitate, hanc harmoniam ordinum, quæ quidem Reipub. etiam maximas utilitates affert, magnifacere & amare. Postremo quid hac ipsa horum consessuum celebritate pulchrius est, in quibus homines ingenijs, doctrina & uirtute præstantes conueniunt, ut audiant in quibus studijs uersetur iuuentus, quos faciat processus, iuuentus admonetur de multis magnis rebus, quarum cognitio ad uitam utilissima est. Si ludi gladiatorij fierent aut si peregrinæ merces, aut belluæ exhiberentur spectandæ, qui cōcursus hominum tota urbe fierent? At re uera nullum est pulchrius spectaculum, quam bonorum & doctorum uirorum cœtus: Nullum enim habet Respublica maius ornamentum. Et cum uirtute nihil sit admirabilius, magna uoluptas est bonæ menti, tales intueri uiros, in

tos, in quibus lucet egregia uirtus. Itaq; honestum est uobis à Cynicis illis opinionibus dissentire, quæ hos mores insulsissime reprehendunt. Nihil autem in cõgressu eruditorum magis decet, quàm de rebus bonis dicere aut disputare aliquid.

Proinde cum hoc tempore publici officij ratio mihi has partes dicendi imposuerit, & si agnosco, quàm multa in me iure desiderentur, quæ ad eloquentiæ laudem pertinent, tamen cũ & me & cæteros hunc morem conseruare deceat, nolui meam operam deesse Reipublicę. Vicissim erit uestræ humanitatis, orationem meam boni consulere: quod ut faciatis, uos etiam atq; etiam oro. Cumq; in hoc loco de artium ac certarũ uirtutum dignitate sæpe dictum sit, ego historiam commemorandam esse putaui, uitę scilicet Aristotelis. Non solum quia plus uoluptatis ex historia percipitur, delectat enim animos uarietas negociorum & euentuum, sed etiam quia multis de causis prodest nosse magnorum uirorum consilia, dicta, facta.

Accenditur enim animus ad uirtutem, intuens in illorum exempla. Deinde de multis rebus admonemur. Multa imitari Scipionis aut Cæsaris consilia Imperator potest, ita nos in his studijs nostris, cum consideramus doctissimorum hominum in inquirendis & tradendis artibus prudentiam ac rationem, multa rectius iudicare possumus. Multum collatio præstantium artificum ad acuenda formandaq; iudicia conducit. Dicam igitur de Aristotele, non ut fit in Panegyricis, sed breuiter ea, quæ de uita eius comperimus, recensebo: Deinde de genere Philosophiæ, & de scriptis eius aliquid adijciam, ut admoneam adolescentes, quod Philosophiæ genus

maxime probandum atq; expetendũ sit, & ostendam, quantum prosit ad Aristotelicam rationem ac methodum assuefactum esse. Ita enim statuo sine hoc neminẽ unquam fore artificem methodi ullo in genere. Nec uero fieri potest, quin multa falsa sophistice misceant hi, quibus ignota est uia illa docendi, quam monstrat Aristoteles. Porro hæc Sophistica quantum parit errorum ac tumultuũ in Ecclesia & in Repub.? In fabulis est, Ixioni cum appetisset Iunonem, obiectam esse nubem, Iunonis specie, ex qua nati dicuntur Centauri. Ita indocti ex falsis opinionibus ac Sophisticis, gignunt factiones Ecclesiæ exitiosas. Sed hæc postea erunt dicenda: prius enim uita percurrenda est.

Natus est Aristoteles in Macedonia, patre Medico Regis Amyntæ. Constat multorum testimonijs genus eius ab Hippocrate ortum esse: Nam posteritas Hippocratis degit in Thessalia, ac diu possessionem Medicæ artis retinuit, cum parentes artem liberis ordine quasi per manus traderent. Ita & Aristoteles à teneris domestica consuetudine, optima & puriſſima Hippocratis doctrina imbutus est, quam quidem eius scripta multis in locis redolent. Interdum etiam non solum sententias, sed uerba quoq; ab Hippocrate mutuatur. Egoq; ita statuo, uniuersam Aristotelis doctrinam eo esse simpliciorem, & magis methodicam, quia puer ad Hippocratis Philosophiam assuefactus est. Erant enim eo tempore & alij Physici, Democritum autorem sequentes, quorum doctrina plena fuit prodigiosarum opinionum, & perplexarum disputationum. Hos si Aristoteles imitatus esset, nequaquam hoc elegantiſſimum methodi filum, & hanc proprietatem tenuisset. Quanta autem cura ac

solertia

solertia in illa domestica institutione usi sint Hippocratis posteri, ex eo licet conijcere, quod Galenus ait, Ideo primum nõ esse scriptas anatomias, quia domestica institutione notæ fuerint: Solitos enim Hippocratis posteros domi secare corpora animantium atq; hominũ, & singula membra liberis inde usq; à teneris spectanda proponere. Itaq; cum esset Aristoteles ab ipsis cunabulis assuefactus non ad inanes & perplexas λογομαχίας, sed ad rerum agnitionem, & ad quærendas causas, ex hac puerili consuetudine duas egregias uirtutes, et in primis dignas uiro docto consecutus est, uidelicet, diligentiam in quærenda methodo, & amorem ueritatis: Abeunt enim studia in mores. Quare diligẽtia euoluendi res obscuras ordine ac proprie, studium quoddam & amorẽ ueritatis in omni uita parit. Postea natus annos 17. missus est Athenas ad Platonem audiendum, qui tunc summa ingenij & doctrinę laude florebat. Cum natura contigisset Aristoteli omnium disciplinarum capax, magna hæc fœlicitas fuit, quod primum domestica institutione ingenium excitatum & præparatum est, deinde quod accessit ille præstantissimus Magister, qui naturã fœliciſſimam perpoliret. Hæc, ut ego quidem arbitror, ita gubernauit Deus, ut perfectum artificem haberemus eius partis Philosophiæ, in qua elaborauit Aristoteles. Audiuit autem Platonem annos uiginti, hoc est, ferè ad quadragesimũ usq; ætatis suæ annum. Nec interim scholas habuit, sed ipse sese exercuit in omnibus disciplinis. Inquisiuit, legit, excussit omnes autores, adeo, ut propter uarietatem lectionis ac doctrinę, appellaretur à Platone Lector. Hoc in loco subit admirari prudentiam Aristotelis, qui tam diu hæserit apud Magistrum, nec pu-

tarit subito eius doctrinam exhauriri posse. Est & grauitas digna laude, q̃ sero admodũ docere cœpit: Nam Platone uiuo non habuit scholas. Multa autem extant honorifica testimonia Platonis, de huius ingenio. Vocabat enim Aristotelem Philosophum ueritatis, & comparans eum cũ Xenocrate, ait Aristoteli freno opus esse, Xenocrati calcaribus. Viciſſim de Magistro nisi pręclare sensisset Aristoteles, tam diu nõ putasset audiendũ esse. Dicitur etiã Platoni arã posuisse, et Epigrãma addidisse, quod extat, in quo amplissimis laudibus ornat Platonẽ. Nã uel hic unus uersus indicat quantũ ei tribuerit, cũ ait:

Nulla ferent talem secla futura uirum.

Quod uero homines imperiti simultatem quandam inter eos interceſſisse putant, eo quod Aristoteles interdũ à Magistro dissentit, inepta opinio est. Nam ut in Senatu in dicenda sententia sæpe amicissimi sine offensione animorum dissentiunt, ita boni & docti uiri sine acerbitate animorum dissimiles habent opiniones. Sed de hac opinionũ dissimilitudine paulo post dicam. Post Platonis mortem, cum iam celebraretur domus Aristotelis à nobilissimis hominibus, incensis discendi cupiditate, accersit eum Philippus Rex Macedonum, & tradit ei filium in disciplinam. Porro nisi & doctrinam & mores Aristotelis Rex Philippus, qui acutissime de ingenijs iudicare poterat, probasset, nequaquam ei filium tantæ spei & generosissimæ indolis cõmendasset. Itaq; hoc testimonium Philippi de Aristotele grauissimum est iudicandum. Ne ipse quidem alumnus, cum esset heroico & excelso ingenio, tantopere amasset Magistrũ, nisi ille ad doctrinam adiunxisset morum sanctitatem, & suauitatem. Sæpe autem prædicauit Alexander, se non

non secus amare Aristotelem ac patrem. Mansit autem Aristoteles apud Alexandrum annos circiter octo, quo tempore cum alias Philosophiæ partes ei tradidit, tum uero etiam medendi artem. Atq; hac in re non tam fœlicitatem Aristotelis admirandam puto, quod ei contigerit erudire Regem, unum omnium longe ingeniosissimum, & quem fata ad imperium orbis terrarum uocabant, quàm prudentiam laudandam esse iudico, quod ea tradidit adolescenti, quæ uehementem naturam flexerunt ad suauitatem, quęq; ipse sensit regnanti magno usui & magno ornamento esse. Sic enim ait Alexander, Malle se doctrina, quàm imperij magnitudine excellere. Postq; uero Alexander in Asiam traiecit, Aristoteles rediit Athenas, ac scholas habere cœpit. Cumq; uideret cum rerum scientia eloquentiam coniungendam esse, matutina studia, seu, ut ipse nominabat ἑῴθινα, tribuebat Philosophiæ, uespertina seu δείλινα Rhetoricis exercitijs. Vnus omnium maxime uidit cognationem artium. Nam Physicen instituit & inchoat à Geometricis demonstrationibus. Ideo omnes artes tractabat, scribebat de natura rerum, de moribus, de immortalitate animorum & rebus cœlestibus. Multa componebat ad Alexandrum, ut uictor Respub. legibus, iure, iudicijs, disciplina muniret. Hic scripsit aureos illos libros de historia animalium, qua in re non solum Aristotelis diligentia mirifica, sed etiam Alexandri liberalitas laudanda est. Nam id quoq; regium est, Rempub. artibus & literis ornare. Cum enim priuatis sumptibus explorari naturæ animantium non possent, misit Alexander Aristoteli octingenta talenta, hoc est, quadringenta & octoginta millia coronatorum ad conducēdos uenatores & alen

das beſtias, ut eorum naturæ conſiderari poſſent. Etſi autem quædam præclara ſcripta eius perierunt, tamen exiſtimo ea quæ reliqua ſunt, quę quidem ſcholis maxime apta ſunt, diuinitus ſeruata eſſe, ut poſteritas rectius doceri poſſet. Poſtq; enim in Græcia, ut fit, recentiores Philoſophi, Stoici, Epicurei, & Academici cœperunt in admiratione eſſe, cum quidem pleni ſint ineptiarum ac Sophiſtices, doctrina ueteri ac eruditiore neglecta, ſcripta Ariſtotelis excutiebantur ſtudioſis de manibus, & libri in bibliothecis paucorum, uetuſtate & carie conſumebantur: Actantus theſaurus prorſus perijſſet, niſi Syllæ fœlicitas nobis hæc quæ habemus, reliqua feciſſet. Is enim bibliotheca in bello parta (nam olim Imperatores hanc prædam, ut bona ſcripta ſeruarent maxime captabant) cum eſſent ibi multa Ariſtotelis uolumina, ſed pene obliterata, curauit undiq; in Græcia eius autoris libros conquiri & emendatos ab Andronico publicauit. Ita quemadmodum uiuo Ariſtoteli amicus fuit Regum ſummus, ita pene extinctum reuocauit in lucem ſummus & fœliciſſimus Imperator Sylla. Extant tamen adhuc ueſtigia huius calamitatis, in his libris qui reliqui ſunt, in quibus apparet alicubi mutilatas eſſe ſententias. Porro renouato Ariſtotele, paulatim recentiores ſectæ frigere cœperunt, cum ſe hi qui plurimum ingenijs pollebant, ueteri doctrinę dederent. Sed redeo ad hiſtoriam uitæ.

Docuit Athenis annos tredecim, nec ſolum doctrinæ laude urbem celebrioré reddidit, ſed etiam ciuibus magna beneficia impetrauit ab Antipatro, qui Macedoniã gubernabat, et unice Ariſtotelem præceptoré diligebat. Cũ autem certamina Athenienſium cum Antipatro poſtea

postea crescerent, ne ipse quidē tutus fuit Athenis. Nam cum homines inuidi sperarent eum facile posse opprimi, inuisum iam propter Antipatri amicitiam, finxerunt aduersus eum impietatis crimen, quòd fabulosam Deorum multitudinem reprehendebat, & unam aliquam æternam atq; infinitam mentem, causam omnium rerū esse affirmabat, illud etiam Homericum citans:

οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω.

Formidans igitur iniqua iudicia, cōcessit in Chalcidem, quæ erat in fide Antipatri. Neq; hæc calumnia, neq; hęc fuga, uiri Philosophi gloriā obscurant. Sed hoc genus periculorum, quod cōmune est omnibus bene merentibus de genere humano, potius magnū addit cumulum ad eius laudes. Primum enim ipsa ueritatis professio honestissima est: Hanc autem in periculis retinere, nec ullis minis aut cruciatu ullo deterreri ac depelli à recta sententia, hæc grauitas constantiaq; proprie digna est uiro Philosopho. Glorioſum est igitur Aristoteli, numerari inter summos uiros, qui propter honestas opiniones & recta consilia à Sycophantis uexati aut oppressi sunt. Et quoniam omnibus ætatibus Sycophantę bellum gerūt cum ueritate ἀπροσδόκητον, erigamus animos exemplis prę stantium illorum uirorum, nec iniquitate hominum sinamus nos ab officio abduci. In secessu illo aliquanto post mortuus est anno, ut ferunt, climacterico, sexagesimo tertio ætatis suæ. Mores eius & si in oratione ipsius perlucent, tamen iudicari possunt ex tot Regum ac Principum uirorum beneuolentia erga eum, quam, nisi fuisset in eo singularis grauitas, tueri non potuisset. Testamentum eius etiam declarat, quàm fuerit φιλόσοφος: diligentissime enim commendat uxorem & liberos

Antipatro.

Antipatro. Sunt & alia humanitatis plena in testamento, quę ne sim prolixior omitto. Nunc cę sit egregia imago nobis proposita uiri Philosophi, seu hominis uersantis in studijs, eaq; referentis ad communem utilitatē, ita intelligere poteritis, si animo totam historiam intuebimini, & considerabitis uim atq; impetus ingenij, primam eius institutionem, studiorum gradus, infinitam discendi auiditatem, fidem ac dexteritatē in docendo, labórem scribendi tot egregia monumenta, morum grauitatem & humanitatem, Postremo etiam iniurias quas à Sycophantis accepit. Quem non delectet uidere & consyderare in uno uiro, tam multas heroicas uirtutes? Cum enim in hoc genere perfectus artifex fuerit, satis apparet diuinitus eum heroica natura prēditū fuisse.

Hactenus de uita dixi, multo breuius quàm res poscebat: Nunc de eius Philosophia dicam. Erat autem hæc pars orationis multo longior futura, nisi angustia temporis uetaret. Conferendæ enim erant sectæ, quædam etiam de Platone dicenda erant, Sed hæc breuiter perstringam. Tanta est eloquentia Platonis, ut haud dubie longe antecellat omnibus quorum extant literæ. Multę etiam sapientissimæ cogitationes sparsæ sunt in eius monumentis, sed nullam artem integre, neq; ordine tradidit. Deinde maxima pars operum ironica est, quæ figura ad deridendum accōmodatior est, quàm ad docendum. Atheneus scribit quendam Platonis auditorem Cheronem consecutum tyrannidem in patria, imitatū esse absurdas illas disputationes de communi usu rerū & mulierum: Tulisse enim legem, ut domini & serui cōmuniter omnibus fortunis & uxoribus uterētur. Ita male intellectæ Platonis ironiæ, ineptum hominem prorsus in-

sus infatuarunt. Aristoteles contra discentium utilitati consulere,& scholas iuuare uoluit. Hæc uoluntas etiam in Philosopho magnam laudem meretur. Integre complexus est artes Dialecticen,Physicen,& Ethicen,& duas res adhibet,quæ lumen afferunt in docendo, methodum,& proprietatem sermonis. Vtile est igitur adolescentes ad Aristotelicam consuetudinem assuefieri. Platonica illa licentia in disputando parit incertas & ambiguas opiniones,non secus ac pictores ludentes pingunt chimeras aut centauros. Quantum autem & rebus ipsis Aristoteles uincat alias sectas, ex eo intelligi potest, q Dialectica nulla alia digna uisa est, quæ perueniret ad posteros,nisi Aristotelica,quod Physicen ex Geometricis initijs prudentissime ducit. Quàm uenustũ est,quod unus uidit naturam uirtutis, esse affectuum mediocritatem? Quo consilio grauissime significat animos assuefaciendos esse in omni uita ad mediocritatem. Sed reprehenditur in Aristotele obscuritas, quam quidem ipse affectasse dicitur, quia dixerit libros suos æditos esse,& non æditos. Meo iudicio longe alio consilio hoc dictũ est: Videbat prudentissimus uir hanc methodi rationẽ non animaduerti posse,nisi à liberaliter institutis. Ideo inquit,non esse æditos,uidelicet,ineptis, qui non præparati alijs artibus,ista attingebant. Magna est elegantia & perspicuitas orationis in multis libris. Alicubi propter rerum exilitatem, quam ille propter methodum consectatur, disputatio fit obscurior: sed animaduersa methodo,tenebręillę discutiuntur. Callimachus rogat Charites,ut manus delibutas fragrantibus succis lauent in suis elegis,ut possint esse perpetui propter gratiam & uenustatẽ. Tanta est autẽ suauitas terũ atq; orationis in

Aristotele in pleriſq; ſcriptis, ut in libro de animalibus, in Politicis, in Ethicis, in Epistolis & alijs multis locis, ut iure existimari possit, Charites aliquid succi aspersisse de manibus, ut Callimachi uerbis utar. Quid quod eius libri pro bibliothecis esse possunt? Plurima enim exue teribus monumentis quę intercidерunt, citat, ac propter huiusmodi floſculos arbitror, Aristotelem à Cicerone flumen aureum uocari. Quàm multa interpretatur Platonis dicta, ut in quinto Ethicorum, cum quidem summ̃ serit collationem de proportionibus à Platone, tamẽ eam accommodat uenustius: Sed desino, nam omnia persequi nimis longum fuerit. Hęc eo dicenda putaui, non solum ut magis ametis Aristotelem, sed etiam ut cogitetis, cur sit amandus, & in manibus habendus: Plane ęq; ita sentio, magnam doctrinarum confusionem secuturam esse, si Aristoteles neglectus fuerit, qui unus ac solus est methodi artifex. Nec alia ratione ad methodũ assuefieri quisq; potest, nisi in hoc genere Philosophiæ Aristotelicę mediocriter exerceatur. Quare uos hortor, nõ solum uestra causa, sed etiam propter uniuersam posteritatem, ut hoc optimum doctrinæ genus diligenter colatis & conseruetis. Plato ait, igniculum illum à Prometheo de cœlo allatum, methodum esse. At hoc igniculo amisso, rursus homines transformarẽtur in beluas: profecto enim sublata uera docẽdi ratione, nihil distant homines à beluis. Vt igitur hunc igniculum retineamus, hoc doctrinæ genus, quod tradidit Aristoteles summo studio conseruandum est.

Dixi.

Oratio

ORATIO DE VITA DIVI AVGVSTIni, mense Septembri habita à Ioanne Saxone Holsatiensi, cum iterum decerneret quibusdam honestis & eruditis iuuenibus Magisterij titulum, in Academia Viteber-gensi.



Ideo morem esse scholæ, ut mihi quidem uidetur, laude dignum, ut in his congressibus aliàs de artium aut uirtutum dignitate dicatur, aliàs historiæ clarorum uirorum recitentur, quę multa monent iuuentutem uel de studijs uel de moribus. Cum autē de artibus alij sæpe luculenter dixerint, quorum cum sit oratio subtilis & arguta, magis idonea est illis materijs, q̄ mea, Rursus delegi historiam, non eo tantum, q̄ exempla prodesse iuuentuti statuo, sed etiam ob hanc causam, quod hoc genus narrationum mihi quidem texere facilius est, q̄ illas argutas de artibus disputationes. Ac me nuper dies Augustino dicatus, cogitantem de ipsius ingenio, pietate, scriptis, admonuit, de ipso ut maxime dicendum putarem. Opinor omnes pios ubiq; terrarum huius uiri recordatione delectari. Sed in hac schola præcipue gratam eius mentionem esse decet, in qua Augustinus quasi renatus est, & eius doctrina, quæ iacuit obruta densissimis tenebris, non solum restituta est, sed etiam lumē accepit: quę cum sit necessaria Ecclesiæ, merito Augustinum amare debemus, qui cœlestem illum thesaurum pręcipue conseruauit. Et nonnihil historię cognitio momenti adfert, ad intelligendas controuersias, quæ ab eo tractantur. Si in talibus spectaculis cum quadam appro-

batione auditæ sunt historiæ Platonis, & Aristotelis, quanto magis conuenit fauere adferentibus pia exempla gubernatorum Ecclesiæ? Quę cum ostendũt qualia fuerint doctrinæ certamina, formant studiosorum iudicia, nosq; de Ecclesię periculis admonent, & discendi curam excitant. Ac præcipue Augustini contentiones exemplo esse possunt, quanta doctrinæ uarietate & copia, quãta uigilantia opus sit ijs, qui in hoc munere unõ omnium in terris maximo & difficilimo uersantur, uidelicet in dijudicatione & gubernatione doctrinæ Ecclesiasticę. Lucent in illis certaminibus exempla harum cõmunium artium, quæ iuuentuti proponuntur, quare non est intempestiuum, cum de nostris artibus dici solet, decerpere aliquid ex Ecclesiasticis materijs, præsertim cum omnia studia nostra præcipue debeant eò spectare, ut nos instruamus, ut Ecclesiæ usui esse possimus. Hic finis, hic scopus omnibus bonis mentibus propositus esse debet. Quare spero uos non improbare hoc genus argumentorum. Quanquam autẽ uideo prolixiorem esse Augustini historiam, quàm ut hic recitari tota possit, etiamsi uelim eam nudam & sine ullis ornamentis proponere. Verum in hac materia quoquo modo elaborare pium esse duco: quod si uos quoq; sentitis, ut arbitror, peto mihi ueniam dari, quod orationis sonũ ac splendorem non adhibeo, quem uarietas argumenti postulat. Non solum pulcherrimæ uirtutes boni Doctoris & gubernatoris Ecclesiæ hic monstrandæ erant, & oratione illustrandæ, sed etiam magno motu animi deploranda Ecclesiæ calamitas, quod diuiam pro Augustinis regnant Pontifices, Caligulę, & Nerones, & extincta uereri doctrina, ac luce Euangelij, horrendæ tenebræ

Ecclesiam

Ecclesiam oppressérunt. Doctrina de fide & uera inuocatione Christi deleta est, idolatria manifesta recepta, et in scholas & conciones inuectę sunt impię persuasiones plurimæ, & nugacissimæ rixæ. Hæ querelæ addendæ erant his narrationibus de Augustino, quę cum propter temporis breuitatem omittendæ sint, initio orationis breuiter admonui adolescentes, ut cum audient historiam, ipsi conferant exemplum apud sese ad alia tempora. Audio ante annos duos & uiginti habitam esse orationem de Augustino, à reuerendo D. Doctore Martino Luthero, instauratore purioris doctrinæ Euangelij, præceptore nostro summa pietate & obseruantia colendo, in qua historiam Augustini contulit ad Psalmum: Beatus uir qui non abijt in consilio impiorũ &c. In quo Psalmo pius Doctor describitur, qui ueræ Ecclesiæ sententiam contra impios Doctores propugnat. Eam orationem non dubito cõplexam esse et Augustini laudes, & uniuersam Ecclesiæ causam, quę si extaret, iure uituperari possem, si idem argumentum retexere ausus essem. Sed quia desideratur, spero uos mihi æquiores fore. Amo studia sacrarum literarum, & propter hæc Augustinum admiror. Quare de eo potissimum libuit dicere, cum dies ei dicatus me nuper, ut de eius uita & certaminibus cogitarem diligẽtius, admonuisset. Venio igitur ad historiam.

Natus est Augustinus honesto loco in municipio Africano, quod ipse Tagastam uocat: Opinor autem Thebestam à Ptolemęo uocari, non procul distantem à Madauro. Parentes fuerunt Patricius & Monica, Christianę religioni addicti, & si pater fero matris pietate ad Christi agnitionem pertractus est, uir alioqui grauis, ho-

neſtus, & in primis liberalis in fouendis filij ſtudijs, ut Auguſtinus ipſe prædicat. Matris uero magna pietas, & excellens in omni matronæ officio uirtus fuit. Omitto hic, quæ de ſuæ puericiæ moribus recitat ipſe, quæ ſunt communia omnibus etiam bonis ingenijs, & ſi uoluit his exemplis imbecillitatem humani generis depingere: Sed humani generis corruptio habet alios maiores morbos, quàm ibi recenſentur. Dicam igitur, ut cœpi, de eius ſtudijs.

Poſtquam domi percepit Grammaticen, miſſus eſt ad Rhetoricos profeſſores in oppidum Madaurum, quod à Thebeſta diſtat miliaribus noſtris opinor ſeptẽ. Præcipua tunc in ſcholis cura erat adſuefacere adoleſcentes ad declamandum, & ad extemporalem facundiam. In eo genere cum aliquandiu exercitatus eſſet, & fœliciter promouiſſet, Carthaginem mittitur, quæ à Madauro abeſt circiter decem noſtra miliaria. Ibi cum & eloquentię & Philoſophiæ operam daret, magnæ, opulentæ, & ocioſæ urbis illecebris, ac licentia narrat, & ſuos mores corruptos eſſe, ac nominatim queritur ſibi ſpectacula, & praua ſodalicia nocuiſſe, quæ ſunt communes corruptelæ iuuentutis: Nondum enim Baptiſmo initiatus erat, & ſi Chriſtianam religionem amplexus erat. Fuit enim uitioſa conſuetudo ijs, qui liberius uiuere cupiebant, differre Baptiſmum uſq; ad ſenectam, ut poſtea ſemel deleret Baptiſmus omnes priores lapſus. Quanquam autem nonnihil laxauit frenum cupiditatibus, tamen mores erant placidi, & non pugnabant cũ legibus ciuitatis, nec prorſus abductus eſt animus à ſtudijs. Ibi cum in Ciceronis Hortenſium incidit, cum à natura impetus ad uirtutem & decus, ardentes haberet,

commotus

commotus Ciceronis scripto, reuocat ipse sese, & maiore seueritate regere mores incipit, licentiam priorem cohercet, seq; ad continentiam, ac ad pietatis studiũ exuscitat & componit. Praua ingenia, præsertim si absit metus, non facile emendantur literis & doctrina: Quare cum illius Ciceroniani scripti lectione potuerit in uiam reuocari Augustinus, satis apparet indolem bonã fuisse, nec defuisse ei illa uirtutum semina atq; initia, quę uocat Aristoteles φυσικὰς ἀρετὰς. Etsi autem Ciceronis Hortensius non extat, tamen quod fuerit argumentum libri, Cicero alicubi commemorat: Defensio est Philosophiæ aduersus eos, qui, ut nunc sunt iudicia aulica, contendebant nihil opus esse illa subtili eruditione. Hic Cicero ostendit, quę sit uera Philosophia, ac ad eam colendam bona ingenia hortatur, declarat quas utilitates ad uitã adferat, in hac esse legum & omnium honestorum officiorum fontes, hac uocari & inuitari homines ad agnitionem Dei, ac æterni metum numinis: Ex hac doctrina descriptionem anni certam sumptam esse, qua remota, quantæ essent in uita tenebræ: Deniq; complecti Philosophiam multas artes uitæ utiles. Hanc fuisse summam illius scripti Ciceroniani, & ex alijs locis Ciceronis, & ex Lactantio apparet, qui inde sententias quasdam excerpsit. Harum iucundissimarũ disputationum lectione ita motus uidetur Augustinus, ut qui natura Musica sunt, etiamsi adhuc rudes sunt artis, & aliud agunt, tamen dulci cantu mirabiliter ad Musices amorem ac studium extimulantur. Nondum autem legerat sacras literas, nec, ut uidetur, conciones magnifecerat, nec de doctrina pia multum disputauerat cum pijs & eruditis, ut iudicare posset, quid præcipue profiteretur Euangelium,

& quæ

& quæ esset pura & incorrupta doctrina. Fatetur etiam sibi lectionem sacrarum literarum insuauem fuisse, propter genus sermonis, alienum à Latina consuetudine: Habebant enim uersiones admodum ineruditas. Verũ ut mihi uidetur, omnes qui à sacris literis abhorrent, nulla enim ętas non habet prophanos homines, offenduntur non tam genere sermonis, quàm inscitia rerũ. Non uident genus doctrinæ dissimile esse Philosophię, non intelligunt disputationum consilia & seriem. Hæc inscitia reddit insuauem lectionem, ut dici solet: Ignoti nulla cupido. Cum igitur ignarus doctrinæ Christianę nõ posset iudicio eligere Doctores, fecit quod solet uulgus facere: Vt statuas, ita Doctores æstimant ex uestitu, coruitate frontis, barba. Erat enim Aphrica plena Manichęorum, qui magnam uitę puritatem simulabant. Abstinebant à carnibus, improbabãt coniugia, damnabant imperia, & alios mores politicos, ut ab ambitione longissime abesse uiderentur. Prædicabãt se habere adflatus diuinos, & enthusiasmos. Hę præstigię offusę oculis hominũ, mirifice capiunt animos: Suscipimus enim eos, qui cum Deo putantur habere commercia, ut Orpheum, aut Numam homines admirati sunt: Denique naturaliter homines ad superstitionem propensi sunt. Significat etiam Augustinus se admiratione ac studio prodigiosarum disputationum inuitatum esse, potissimum ut Manichęis se adiungeret. Nam ardentia ingenia facile capiuntur nouis & inuolutis disputationibus. Talium plena erat secta Manichęa, quæ erat quædã confusio ex Stoicis deliramentis, & ex ueteribus hæresibus ac superstitionibus conflata. A Stoicis sumebant duos Deos, Lucem, & Hylen: defendebant fatum Stoicum,

ineptias

ineptias de astris contra artem de motibus cœlestibus docebant, prorsus tollebant libertatem humanę uolun tatis. Reliqua ex hęresibus erant addita. Nec de Christo, nec de Spiritu sancto recte sentiebant, scelerate fingebāt, autorem suæ sectæ Manichęum, fuisse illum ipsum Para cletum, quem Christus promisit: iactitabant se suis titi bus consequi enthusiasmos. Hæc pestis late uagata est, præsertim in Aphrica. Tanta est Diaboli potentia, ut omnibus ætatibus horribiliter dilaceret Ecclesiam. Cū igitur Augustinus errore ætatis, tanquam uentis in has syrtes Manichęorū delatus esset, paulatim, ut erat amans ueritatis, attentius considerare dogmata cœpit. Depre= henditigitur uanitatem sectę in materijs Philosophicis, ut ipse inquit, quia Manichęi sine Arithmetica tradebāt motus & congressus syderum commenticios & fabulo sos, ac pugnantes cum uera computatione. Quare cum annos nouem in ea secta uersatus esset, & exercuisset Do ctores, ac nominatim Faustum, errores refutans, nō ille quidem tunc eluctatus est, sed tamen probare & amare sectam desijt. Mater interea assiduis lachrymis à Deo petebat filij emendationem. Et ostendit Deus se pios gemitus & uera uota exaudire. Diuinitus enim accidit, ut Augustinus cum Romam traiecisset, mitteretur à Præ fecto Romano Mediolanum, ut exerceret ibi adolescen tes in dicendo. Quanquam autem animo iam erat alie niore à Manichęis, tamen portum tenere nullum adhuc poterat. Et ex dubitatione illa, ut fit, in Academicas opi niones incidit, diu nihil affirmans de religione. Quàm multi nunc quoq; cum se euoluere ex disputationibus non possunt, prorsus fiunt ἄθεοι? Sed diuinitus ex hoc naufragio Augustinus ereptus est, q; & matris lachrymę

pro eo interpellabant, & ipse, quanquã in dubitatione uersabatur, audire tamen bonos Doctores, ac legere sacras literas non destitit. Narrat se tunc in Plotini libros incidisse, in quibus fuerint quędam de natura Dei, & de uerbo æterno, quæ imitati sunt Philosophi, & astute transtulerunt ad sese, ut Christianæ doctrinæ autoritas extenuaretur. Sed tamen Augustinus ait se deprehensa fraude, eos libros abiecisse. Mirum certamen in hac historia conspicitur animi inquieti, omnia exquirentis & explorantis, ut ueritatem inueniat. Multa monet hoc exemplũ, uidelicet, doctrina & meditatione opus esse, & ad agnoscendã, & ad retinendam ueritatẽ. Audiens igitur Ambrosium attente ac diu, cũ unà esset etiam mater, tandem Manichæam sectam aperte relinquit, & sententiam Euangelij amplectitur. Cogitat etiam de ducenda uxore, ablegata concubina. Aliquanto post relicta artis professione, totum se dedit sacrarum literarum studijs, & ueris lachrymis deplorat priores suas tenebras. Tam diu mater unà manet, donec Baptismo initiari filium uidit. Postea cum redire in patriam cuperet, nõ uoluit ipse ab ea diuelli. Cumq; mater in itinere mortua esset, multa prius cum filio de immortalitate, de doctrina Christiana, de Ecclesiæ ærumnis collocuta, ipse susceptum iter non omisit, rediensq; in Africam cũ suis sodalibus, in patria aliquandiu tanquã in secessu uixit. Inde propter doctrinę famam euocatus est ab Episcopo Hipponensi Valerio, ad munus præsbyterij: in qua functione cum scholæ eius Ecclesiæ præesset, dicitur sodalitio illam regulam morũ & exercitiorum prescripsisse, quæ extat. Nec aliud tunc fuit illud Collegium, nisi cœtus scholasticus, ex quo liberũ erat discedere omnibus, qui aliud

qui aliud uitæ genus appetebant. Etsi autem soli Episcopi concionabantur cum aderant, tamen Valerius iussit Augustinum, se præsente, concionari: quod quanquam grauatim faciebat Augustinus, ne Episcopi existimationem minueret, tamen postquam uidit serio hoc petere Episcopum, obtemperat. Ibi cum Manichæos & Donatistas ita refutasset, ut plerique redirent ad sanitatem, reliqui uero oppido excederent, constituta tranquillitate eius Ecclesiæ, Valerius se uiuo curat hunc eligi Episcopũ, ut prospiceret huius Ecclesiæ incolumitati etiam in posterum. Id munus administrauit circiter quadraginta annos, quo tempore uaria ei cum multis hæreticis certamina fuerũt. Magnam multitudinẽ ex Ethnicis etiam ad Euangelium pertraxit, quos facilius flexit, cum uiderent eius doctrinam diuinitus comprobari miraculis. Deleuit reliquias Arrianorum in tota uicinia, publice reuincens Fœlicem Arrianum coram Magistratu. Profligauit & Manichæos: Sed omnium durissimum certamen ei fuit cum Donatistis, qui non tantũ concionibus & scriptis turbabant Ecclesias, sed manifesta ui grassabantur. Erat factio Circumcellionũ, qui per illam oram Africæ passim seditiose uagabantur, & à se dissentientes alios interficiebant, aut male mulctabant. Hi tumultus edictis & sæueritate Imperatorum, uix tandem sedati sunt. Maxime autem Augustino infesti erant Donatistæ, & quia ab ipso acerrime refutabantur, & quia eius diligentia perfectum erat, ut Imperator sæuitiam eorũ coherceret, & facultates quas Ecclesiæ ipsorũ tenebant, transferrentur ad pias Ecclesias, ne impij Doctores et eorum satellites, qui in prouincia grassabantur, illis fruerentur. Cum autem sæpe cum illis congressus sit Augu-

stinus, disputando in publicis Synodis, & coram Magistratibus, cum sæpe insidijs uita eius petita sit, hæc negocia & pericula duriter eum exercuerunt. Quare non existimemus fuisse ociosum Episcopum, aut tantum cerimonijs suis occupatum. Longe aliter de eo uiro sentiendum est, qui tunc ferè solus in excubijs fuit pro Ecclesia Christi, qui puritatem doctrinæ contra tot impias factiones, quæ multitudine & potentia instructæ erant, & cũ pijs assiduum & ἄσπονδον bellum gerebant, defendit, qui consilia Ducum & Imperatorum in multis rebus, quæ ad publicam pacem pertinebant, gubernauit. Extant enim multæ eius ad præsides epistolę grauiter scriptę: Cuius iudicium & Italicos Episcopos reueritos esse uidemus. Vt igitur Homerus boni Principis officia complexus est hoc uersiculo:

Ἀμφότερον βασιλεύς τε ἀγαθὸς κρατερός τε αἰχμητής.

Sic de bono Episcopo dici potest:

Ἀμφότερον συνετὸς κοσμήτωρ ἠδ' ἀγορητής.

Vtraq; arte opus est ei uiro, qui præest Ecclesiæ, ut sit ad docendum idoneus, ac prudens in iudicãdis negocijs, in cauendis insidijs aduersariorum, in tuenda tranquillitate Ecclesiæ. Hæc cum præstiterit Augustinus, fateri necesse est, bene meritũ esse de Ecclesia Christi: Lucent enim eius fides, constantia, prudentia, uigilantia, in illis turbulentis negocijs omnibus, eius temporis.

Sed incidit tunc quędam causa, in qua maxime eminet eius eruditio spiritualis, & ad quam reliqua certamina uidentur quasi quædam rudimenta fuisse. In hac peculiare beneficium Dei conspicitur, quod per Augustinum Deus Ecclesiæ præstitit. Fuit quispiam Pelagius, Philosophiæ, ut arbitror, studiosus, qui dum accommodare

dare Christianam doctrinam ad Philosophiam conatur, astute corrupit piam doctrinam. Docuit legem Deposse impleri: gratiam Euangelij, tantum esse legis cognitionem: naturam hominis integram esse ac sine peccato: homines iustos & beatos esse legis impletione, & hac mereri remissionem peccatorum. Hęc, quia uidebatur Euangelium pulchre cõgruere cum Philosophia & iudicio rationis, magno cum plausu excipiebantur in Italia, Gallia, & Africa. Possidonius narrat, Innocentium Romanum Episcopum initio etiam nõ iniquum fuisse Pelagio. Sunt enim ex eo genere, quæ uocat Paulus πιθανὰ, quæ blandiuntur rationi. Sed unus Augustinus non solum uidit quid esset mali, sed etiam magno studio refutare errorem cœpit. Coegit Synodos, ædidit plurima scripta, in quibus penè sepultam doctrinam de gratia Christi renouauit, ac restituit illam peculiarem Ecclesiæ sapientiam, de iusticia fidei, ignotam mundo. De peccato originis clarius scripsit, q̃ ante ipsum scripto res omnes. Origenes inuexerat pernicioſas interpretationes in Ecclesiam de lege: Ex lege non iustificabitur omnis caro, id est, ex ceremonijs. Item litera, id est, historica interpretatio, occidit: Spiritus, id est, allegoria de moribus uiuificat. Hos lapsus Origenis tunc quoq; magnum periculum erat reprehendere: Erant enim hæ interpretationes passim receptę, & mordicus tenebantur. Quare plane Prophetici spiritus fuit, unum uirum & uidere hos errores, & Paulo reddere genuinam sententiam, & audere à iudicijs superiorum dissentire: Sicut plurimi ei obiecerunt, cur unus auderet refragari superiorum sententijs, magno consensu confirmatis.

Ornatus est Augustinus miraculis quibusdam, expu-

lit Dæmones, & quosdam ęgrotos sanauit. Sed hęc sunt longe pręstantiora miracula, successus in gubernatione, & hæc iudicij rectitudo, & fidei constantia, quod uidit Pauli sententiam de lege, de peccato, de iusticia fidei, & magno animi robore contra receptas persuasiones defendit. Tanta fuerat caligo, ut nec sermonis genus in sacris literis intelligeretur. Hæc ipsa uocabula, quæ sunt pręcipua in Ecclesia, quas res proprie significarent, ignorabatur, Lex, Euangelium, peccatũ, gratia, fides, litera, spiritus. Hæ tantæ tenebrę depulsæ sunt Augustini opera, qui quidem illas tantas res perspicere & iudicare nõ potuisset, nisi exercitia peculiaria spiritus degustasset. Cum autem maxime opus sit Ecclesiæ, uera illorum locorum explicatione, decet nos omnes agnoscere Dei beneficium, cuius donum erat, doctrinæ renouatio. Debetur & ipsi Augustino gratia, qui literis mandauit ueram interpretationem ut posteritatem admoneret. Dixi de præcipuo Augustini merito, sed breuius quam magnitudo rei postulabat. Quod autem in tam difficilibus disputationibus interdum improprie aut incommode loquitur, uenia ei danda est: Temporum ista erant. Nam ætas illa magis ad declamatoriam rationem dicendi, quàm ad accuratas disputationes assuefacta erat, Et difficile erat ex tantis tenebris materias illas euoluere. Rebus uero haud dubie prorsus congruit, cum sententia, quæ Dei beneficio rursus illuxit in hac schola, & quidé ipso monstrante. Omitto quàm multa prudenter & dextre responderit de uarijs negocijs: Reprehendit superstitiosas opiniones de traditionibus humanis, monet non esse cultus Dei, & sine peccato omitti posse. Apparet tunc quoq; dubitasse multos, quid de militia

& ciui-

& ciuilibus officijs sentiendum esset: Interrogatus igitur Augustinus recte & dextre respondit.

Hactenus tantum ut Doctorem laudaui, etsi hęc quidem prępcipua Episcopi laus est, Non de cæteris uirtutibus dixi, quæ in gubernatione necessariæ sunt, nondũ de priuatis moribus: De utrisq; breuissime dicam. In gubernatione præcipua laus est iusticiæ, quæ uel seueritate utitur cum causa postulat, uel lenitate, cum hæc est utilior. Etsi autem nihil fuit in Augustini natura tyranni cum, tamen ita lenis fuit, ut non nimis esset indulgens aut lentus, ut satis declarauit in multis causis. Calamensibus qui seditiose impetum fecerant in Ecclesiam, non remittit omnino pœnam, etiamsi pro eis deprecabatur Nectarius. Et quidem inquit loquens de Ethnicis, se nolle ab ijs rogari, à quibus Christus non rogetur. Bonifacium Comitem seuere obiurgat, q̃ duxit Ethnicam coniugem. Rursus multa leniter fecit. Non uult interfici militem, qui templum uiolauerat, sed iubet eum admoneri & ad pœnitentiam inuitari. Quidam donauerat certum fundum Ecclesiæ, post annum mutata uoluntate, repetit tabulas: Augustinus ne cum homine perfidioso litigaret, tabulas reddit. Fuit & priuata uita plena optimorum exemplorum, pudicitiæ & temperantię. Odit maledicos, ut eius uersiculi testantur. Fuisse amantem ueritatis, indicant libri retractationum, quod suos errores ingenue fatetur & recantat. Egressus septuagesimum annum ętatis suę, mortuus est, cũ prępfuisset Ecclesiæ annos quadraginta fœliciter. Accessit illa calamitas in ultima senecta: Vidit à Vandalis uastari Africam, qui cum passim omnia populati essent, cinxerunt obsidione urbem Hipponensem, in qua erat Augustinus,

qui

qui tunc luculentum illud opus scribebat, cui titulum fecit, contra Iulianum. Rogauit autem Deum, ut uel de pelleret hostes, uel se ex his miserijs euocaret ad immortalitatem, quia nō posset esse spectator expugnationis. Decessit igitur Augustinus Anno Domini quadringentesimo tertio durante obsidione, ante captam urbem. Nec excussit ei fidē illa calamitas publica. Cū enim consuluissent eum uicinus Episcopus de fuga, an quęrendæ essent latebrę, iussit eum Augustinus non deserere Ecclesiam: Etsi enim ruebat imperium, tamen Deo Ecclesiam curę futuram esse. Atq; ita accidit. Nam preces Augustini & aliorum piorum non erant irritę. Quanquam enim urbs Hipponensis capta est, tamen paulo post, hoc bellum sedatum est, cum Vandalis datę, essent sedes in Africa, ac durarunt ibi Ecclesię annos ferè ducentos post Augustinum. Alij solent addere comparationes in epilogis laudationum, quorum consilium non admodum probo, nisi docendi causa fiat collatio. Prodest considerari, quid cuiusq; scripta nobis conducant. Augustini lectio prodest in illis materijs, quas tractauit, nec uero quisquam tractauit plures materias. Scripsit diligenter de Trinitate, refutauit Manichęos, & Arrianos. Docet nos de gratia, & de iusticia fidei in refutatione Pelagij. Docet de Ecclesia in refutatione Donatistarum. Tantum de dogmatibus, & tam utilia, nec Hieronymus nec quisquam alius scripsit: Cęterum alij sancti uiri alijs uirtutibus excelluerunt. Sed tamen anteferendi sunt illi, qui in administratione, in periculis, in acie uersati sunt, cum cęteri essent ociosi. Recitaui historiam Augustini propter adolescentes. Quod enim exemplum magis hortari nos ad discendi curam potest, quam hęc ipsa historia? Vide-

Videmus qui fluctus excipiant eos, qui Ecclesijs præfuturi sunt, nec posse gubernatores tantam molem sustinere, sine magna doctrinę copia & uarietate. Tot ac tam uarias cõtrouersias tractauit Augustinus, quibus nullo modo par esse potuisset, nisi & multiplici eruditione instructus fuisset, & assiduum studium adhibuisset, ut promoueret. Docet pia pectora Spiritus sanctus, sed dona Dei discendo excitãda & cumulanda sunt, sicut Paulus hortatur Timotheum, ut sit assiduus in lectione, & addit: Non negligas donum Dei. Ignauis dona Dei effluunt, sicut ostendit parabola de talento. Tempora etiam nos moueant, ut in omnes bonas disciplinas, quę sunt Ecclesiæ necessariæ, maiore impetu incumbamus: Videtis enim non posse sine acerrimis dimicationibus puritatẽ doctrinæ retineri. Conantur eam aduersarij multiplici Sophistica obruere. Nec desinit diabolus subinde falsas opiniones serere, ut offundat incautis aliquid erroris, ut fecit in Paradiso. Quare subinde exoriuntur nouę discordię, ac planè fit, ut in ueteri Comœdia dicitur:

ἀτρὸς πρὸς ἀτρὸν ἀλείφεται χἠρε τε ὑπκονίετ.

Est igitur opus Ecclesię bonis & doctis uiris, quorũ uoce & scriptis propugnari gloria Dei possit. Ad hæc certamina uos præparate, nec uos iudicia indoctorum deterreant. Midæ, Centauri, & uulgus partim contemnunt, partim oderunt literas: Verum eo maiore diligentia ab omnibus pijs & amantibus Ecclesiam, tuendę & ornandę sunt. Quare intueamur in exempla piorũ, Pauli, Augustini, Ambrosij, & aliorum, qui cũ fuerint studiosissimi, excitemus nos quoq; ad discendi curam, quam quidem præcipit Spiritus sanctus, inquiens: Verbum Dei inter uos abundet. Dixi.

ORATIO DE VITA RODOLPHI Agricolæ Frisij, mense Iulio habita à Ioanne Saxone Hol satiensi, cum decerneret titulum Magisterij quibusdam honestis & eruditis iuuenibus, in Academia Vitebergensi.

PRimum refert nos ipsos recte intelligere genus uitæ in quo uersamur, & hoc munus quod diuinitus nobis attributum est, uidelicet, conseruationem ac propagationem rectæ doctrinæ de religione, & de alijs rebus honestis. Etsi enim splendoris plus habent alij uitæ gradus atq; ordines, tamen si uere uolumus æstimare, summa dignitas est scholarum. His præcipue seruire Imperia & omnes politiæ debebant. Cum enim ad hũc finem homines conditi sint, ut luceat in hoc mundo noticia Dei, & propter hanc causam societas ciuilis diuinitus instituta sit, ut cœtus sint docentium ac discentium, ut accendi & late spargi noticia Dei possit, satis apparet summum esse officium omnium gubernatorum, Ecclesias ac scholas tueri. Cogitate quæso quàm augusti & uenerandi cœtus sint Angelici. Horum imagines in terris Scholastici cõuentus esse debent, munus certe idem est & officium. Profitentur idem quod canũt Angeli: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax, & hominibus lætitia. Sic scholæ celebrate Deum, doctrinam paci & concordiæ Ecclesiarũ utilem, & quæ cœlestem lætitiam pariat hominibus, propagare debent. Hanc tantã dignitatem nostri muneris, si cogitabimus, & animo metiemur, & studia & scholas magis amabimus, & his ritibus & congressibus

greſſibus ſcholaſticis magnopere delectabimur. Si quis eſt autem qui tam graui cauſa nõ mouetur ad amandas ſcholas, hunc uere

genuit duris è cautibus horrens
Caucaſus, Hyrcanæq; admorunt ubera Tygres.

Decet igitur nos hunc promotionum morem, quem prodeſſe ad ordinem diſcendi cõperimus, conſeruare.

Cum autem hic de ſtudijs oratio haberi ſoleat, & alij in quibus plus eſt autoritatis, ſæpe uel monſtrent quod iter ingrediendum ſit, uel uos ad expetendam optimarum artium doctrinam adhortentur, ego uitam Rodolphi Agricolæ, quantum explorare eam potui, recitare decreui. Exemplorum enim magna uis eſt, & bonę naturæ cogitatione atq; admiratione uirtutis in uiris præſtantibus maxime exuſcitantur ac incenduntur. Deinde hiſtorię eruditorum, de multis rebus iudicia iuuentutis formant. Cumq; Rodolphus primum in Germania emendauerit genus ſermonis & Dialecticam, ac meliorem diſcendi rationem monſtrauerit, conſentaneũ eſt pleriſq; eius dictis ac diſputationibus utiliter commoneri ſtudioſos. Etſi autem nemo non amat Rodolphi nomen, propter eius eruditionem ac merita, tamen priuata me quædam officij ratio inuitauit, ut de eo dicere maluerim. Nam cum mea patria non ſolum Friſijs uicina ſit, ſed etiam Friſiorũ colonia, quæ etiam hodie nomen retinet Friſię minoris in Holſatia, & in gubernatione Reipub. uetuſtam iuris æquabilitatem non ſine laude tuetur, iudico Rodolphi laudes aliqua ex parte ad meos etiam ciues pertinere, quod cum ita ſit, ſpero uos meum cõſilium de recitanda hiſtoria Rodolphi probaturos eſſe. Tametſi & ipſe optarim colligi eam uberius

ab alijs, qui apud eos uixerunt, qui Rodolphi uitam & ſtudia melius norunt. Nos pauca collegimus, ſumpta partim ex ipſius ſcriptis, partim ab ijs qui meminerunt ſermones ſenum, quibus in Academia Heydelbergenſi cum Rodolpho familiaritas fuit. Nec inſtitui encomiũ: Nam cũ ingentem gloriam eloquentia ſua conſecutus ſit, quæ ex ſcriptis eius iudicari poteſt, nil ei opus eſt laudatione, præſertim hominis indiſerti. Tantũ hiſtoricam narrationem texo, in qua ea quæ ſciſcitatus ſum de uita, moribus, et opinionibus eius, uere recenſeo, et teſtes grauiſſimos citabo. Porro hęc commemoratio ſtudiorum atq; opinionum, non minus conducit ſtudioſis, q̃ bellatoribus ſtratagemata & conſilia ueterum Ducum noſſe: Accedo igitur ad hiſtoriam.

Natus eſt Rodolphus Agricola in Friſia, in rure quodam nõ procul ab urbe Groninga, honeſtis parentibus, quorum facultates, ut ſunt ibi, mediocres fuerunt, & un de liberis ad ſtudia ſumptus liberaliter ſuppeditare poterant. De primæ pueritię ſtudijs cum nihil audierim, non putaui aliquid fingendum eſſe. Nemo autem excellentem uirtutẽ conſequi poteſt ſine magna ui ingenij, & ſine enthuſiaſmo aliquo, qui cum ſit acerrimus ſtimulus in bonis naturis, haud dubie Rodolphus celeriter primas artes arripuit, ut ille inquit de Heroica natura:

Ante annos animumq; geres curamq; uirilem.

Nam & ex ſcriptis ipſius & conſilijs apparet ingenij uis & impetus.

Cum Germania corruptiſſimo genere ſermonis uteretur, tantaq; literarũ inſcitia eſſet, ut quid eſſet recte loqui, ne quidem ſuſpicari noſtri homines poſſent, imõ etiã inſulſitas admirationem haberet, unus Rodolphus primum

primum auribus atq; animo sentire illa uitia, & desidera re melioré orationis formam cœpit. Hæc fuit singularis prudentiæ significatio: Illa uirium ingenij & doctrinæ, quod genus orationis effinxit purum, splendidum, sonans, sine ineptijs, rerũ etiam pondere & grauitate probandum. Nec tantum prudentia fuit, sed etiam quædã animi celsitudo & mira discendi auiditas, quod in Italiam cum patrimonium haberet mediocre, profectus est, ut melius doctrinæ genus quæreret. Ac si de ingenij laudibus multa dicturus essem, amplificare eas etiã patriæ prædicatione possem. Nam Frisia, ut olim magnitudine rerum gestarum floruit, ita nunc quoq; gignit ingenia nequaquam uulgaria, sed cum ad literas, tum ad gubernationem magnarum rerum idonea, & ut mihi uidetur, non solum sagacia & sana, sed etiam ingenuitate & animi celsitudine singulari prædita: Sed, ut dixi, Rodolphi ingenium ex scriptis æstimari potest. Louanij audio eum tyrocinium primum deposuisse, ubi cum Gallorum appeteret familiaritatem, seu uitans nostrorum commessationes, seu quod illi essent eruditiores, statim inter illos simul Gallicam linguam didicit. In dialecticis & philosophia cum percepisset celeriter illa, quæ in scholis tradebantur, ipse animo meliora requirere solebat, seq; in bibliothecas abdens, suo consilio bonos scriptores legebat, Multa interim cum prudentioribus disputans de eruditiore philosophia. Audierat autem renouari tunc Græcę & Latinæ linguæ studia in Italia. Nã post captum Byzantium, Græci pulsi patria, in Italiam multi uenerunt, qui philosophiam & eloquentiam ibi renouarũt, cuius studia post collapsum imperium, prorsus in Italia conticuerant. Intelligebat autem sine Græcis

literis Philosophiam percipi non posse. Cœpit igitur impetũ proficiscendi in Italiam, ut et disertorũ consuetudine ac exemplis genus orationis emendaret, & Philosophiæ fontes cognosceret. Venit Ferrariam, ubi tunc quidem magis florebãt studia Philosophiæ ac eloquentiæ, quàm in cęteris Academijs Italicis. Nam Hercules Dux Ferrarię sentiebat ad boni Principis officium pertinere curam iuuandę rei literarię, ac delectabatur ipse eruditorum scriptis. Erat Ferrarię Theodorus Gaza, qui eruditione & eloquentia facile antecelluit Græcis omnibus qui tunc in Italia erant. Ibi Guarinus Græce & Latine docebat, uir in primis diligens. Aderant & Strozæ Poetę, cum quibus apparet magnam fuisse familiaritatem Rodolpho. Extant & Mathematicorum scripta, qui apud Herculem tunc uixerunt. Denicp omnes artes ibi fœliciſſime tradebantur. Quid potest autem homini ingenioso, incẽso uerę doctrinę amore, auido discendi, qualis erat Rodolphus, contingere optatius, quàm ut in tali cœtu Doctorum uiuat? Hic soluta oratione certabat cum Guarino, uersu cum Strozis, de Philosophia differebat cum Theodoro Gaza, & cęteris summis uiris. Audiebat professores omnium artium. Cumcp pariter excoleret ingenium doctrinę uarietate, & in eloquentia elaboraret, totius in se Italię ora oculoscp conuertit. Magna cum laude disputauit, enarrauit autores utriuscp linguę in illa ipsa Academia, habuit orationes magna cum approbatione eruditorum. Porro magna laus fuit homini Germano, non solum eruditione & genere sermonis, sed etiam uenustate actionis satisfacere Italię, morose ac fastidiose iudicanti. Nec opinor ulli Germanorum præter hunc, Italos tribuisse tantum, ut publice docentem cum

tem cum admiratione audirent, ac pariter eruditionem, genus sermonis, & actionem probarent. Audio sæpe rogatum esse Erasmum in Italia, ut specimen suæ eruditionis ac facundiæ publica prælectione præberet. Sed ut hac in re amicis morem gereret, adduci nunquã potuit, metuens ne ab Italis, pronũciatio hominis Germani derideretur. Ac sæpe prædicauit Rodolphi naturam, quem imitari Italicam uenustatem sine ineptijs potuisse ferebat. Verum Musicæ naturæ ad pronunciationem & actionem, aptiores sunt cæteris. Constat autem Rodolphum ita excelluisse in Musicis, multas ut cantilenas composuerit: Imõ ut Italis fuerit iucundior, propterea quod interdum cythara luderet in conuiuijs eruditorum. Quanta fuerit eius sedulitas, inde æstimari potest, quod Quintilianum sua manu integrũ descripsit. Ipse significat se in Italia naturalem historiam Plinij diligenter legisse, fortassis occasione inuitatus, quod in eo loco facilius inquirere plantas potuit, & haud dubie uidit Aristotelem & Theophrastum, conuersos à Gaza, quos cum legeret, Plinium adiungendum esse duxit, ut unde Gaza Latinas adpellationes sumpsisset, obseruaret. Hęc collatio plurimum ei profuit, ad augendam & rerum cognitionem, & uerborum copiam. Porro cum se diligenter expolijsset inter doctissimos homines, tandem in patriam redijt, ubi non diu hæsit: Nam aliquanto post reditum, accersitus est Heydelbergam à Dalburgio Episcopo Vangionum, & Pleningero, quem ipse Plinium nominat: Cum his enim in Italia Rodolpho familiaritas summa fuerat, qui postea ambo peruenerant in aulam Principis Palatini Philippi, qui ut erat splendidus, & non rudis literarum, &

magna

magna comitate præditus, uolebat aulam habere orna tam literatis hominibus. Dalburgius Cancellarius, dein de factus est Vangionũ Episcopus. Is Heidelbergam uo cauit Rodolphum, seu ut eius consuetudine se ipse ad re cte scribendum assuefaceret, seu ut iuuentus haberet sty li formatorẽ. Huius Dalburgij contubernio usus est quo ad uixit. Et quanquam licuit esse ocioso, tamen propter utilitatem iuuentutis, in Academia publice docuit Græ ce & Latine. Nec duxit sibi parum honorificum esse, quanquam aulico, scholas habere. Vt scholasticas ope ras nunc multi leuiter tincti literis fastidiunt, ut est huius peruersissimi seculi superbia. Adijt crebro disputationes omnium disciplinarũ. In philosophia emendabat in eptas persuasiones scholæ. Ibi etiam scripsit libros diale cticos, ut artem repurgaret, eamq; è tenebris in lucem & in aciem educeret, usum uidelicet monstrans. Senes Heidelbergæ narrant mores eius honestos & castos fu isse, & à liuore, maleuolẽtia, ac petulantia alieniſſimos. Non est solitus irritare morosos, intempestiuis repre hensionibus, ne quid fereret certaminum in schola, sę pe recitans, hospiti multa dissimulanda esse, ut Græcus uersus inquit:

ξενου δε σιγᾶν κρεῖττον ἢ κεκραγέναι.

Consulebatur sæpe ab eruditioribus & in philosophia & in alijs artibus. Multa ex Aristotele uertebat & inter pretabatur ijs qui eius sententias sciscitabãtur. Nemo tũc uiderat libros Aristotelis de animalibus. Itaq; pergratũ erat eius officium doctioribus, si quando aliquem insi gnem locum inde proferebat, ut cum de immortalitate humanæ animæ disputaretur, quid sensisset Aristote les, magna cum admiratione excepta est illa sententia,

prolata

prolata ex libro de generatione animalium: Mens extrinsecus accedit, non nascitur ex materia corporum. Interdum aliquid ex Arato de syderum positu, ortu & occasu studiosis impertiebat.

Nec deerat eius officium professoribus aliarum disciplinarum. Fortè inciderat disputatio inter Theologos et Iurisconsultos de hoc dicto: Frustra seruat Euangeliũ, qui non seruat canones Synodorum. Hoc cum alij ad confirmandam superstitionẽ in ceremonijs detorquerent, alij τὸ ῥητὸν esse durius quererentur, & mitigandum aliqua interpretatione dicerent, Rodolphus inquit: In uniuersum in Iuris interpretatione multũ prodesse cognitionem historiarum & antiquitatis: Ac præsertim Ecclesiæ historias & ueteres contentiones debere notas esse omnibus, ex quibus sæpe peti possit interpretatio ueterum dictorum. Synodi ueteres, inquit, uocabant Canones tantum articulos doctrinę dijudicatos in Synodis, non traditiones de ceremonijs: Nec dubiũ esse, quin hæc primum fuerit sententia huius dicti, sed postea errore deprauatum esse. Verum est, Euangelium non seruari ab ijs, qui aspernantur decreta contra Samosatenum, aut Arrium, aut Macedonium facta: Nam uetustissimæ Synodi propter controuersias dogmatum conuocabantur, nõ de ceremonijs cumulandis. Quàm indigna uox esset, dicere, Christi fidem inutilem & inanem esse, sine obseruatione omnium rituum humanorum? Lucem et uitam ęternam in mentibus inchoatam extingui, si aliqua ridicula ceremonia negligeretur? Ad debat, tales ritus sæpe sine ullo peccato omitti posse. Hac tam dextra interpretatione facile satisfecit omnibus. Sępe & in Iure ciuili ea quę ab historijs petẽda sunt,

explicabat interrogantibus, ut locum de usuris centesimis: Item quid sit ἐρήμην δίκην, deniq; qui fuissent gradus ueterum Romanorum iudiciorum. In Theologia quid desiderauerit, memini huc scribere Iosquinum Groningensem senem, pietate & grauitate excellentem, se adolescentem interfuisse sermonibus Rodolphi et Vuesseli, in quibus deplorarint Ecclesię tenebras, & reprehenderint prophanationē in Missis, & cœlibatum: Item disputauerint de iusticia fidei, quid sit quod Paulus toties inculcat homines fide iustos esse, non operibus. Scribebat Iosquinus, aperte reiecisse eos Monachorū opinionem, quę fingit homines operibus iustos esse: Item sensisse eos de humanis traditionibus, errare eos, qui affingunt illis opinionē cultus, & nō posse uiolari iudicant. Nihil fingo, nam hęc ferè ad uerbum huc scripsit Iosquinus. Ac satis credibile est, eum diligenter disputasse de doctrina Christiana, præsertim cū esset familiaris Vuesselo, cuius fuit summū ingenium: Ad quod amplissimam eruditionem in omnibus disciplinis adiunxit, & Græcę & Ebraicæ linguę cognitionem. Ad hæc exercitatus fuit in certaminibus religionis. Lutetia pulsus propter taxatas superstitiones, uenit Basileam: ibi pro Vuesselo dixerunt Basilium Groningum: Narrabatq; Capnion eum Theologiam, Græcas & Ebraicas literas eodem tempore tradidisse studiosis, si qui eum audire cupierant, Inde cū in Belgicū redijsset, sæpe adijt senem Rodolphus natu minor, sed in literis Latinis & Græcis eruditior, & flagrans studio Christianę doctrinę. Idq; ipse sæpe de se prędicat, se quod reliquum esset ætatis, collocaturū esse in sacras literas: qui si uixisset, haud dubie egregiam operā Ecclesię nauasset. Quanquam & illa studia Ecclesię profuerunt,

fuerunt, quod nostros homines ad meliorem discendi rationem reuocauit. Id meritũ non est leue ducendum. Sed redeo ad historiam.

Cum ita uiueret Heydelbergę, ut eruditis & bonis omnibus charissimus esset, non solum in noticiam uenit Ducis Palatini Philippi, sed etiã familiaritate eius Princeps delectatus est, ac sæpe eũ ad graues deliberationes adhibuit. Cumq; ut fit, mentio interdũ incideret ueterũ Imperiorũ, ac Rodolphus cõmemoraret uel Græcas historias, uel Romanas, Princeps & uerti sibi multa nõ solum ex historijs, sed etiam ex Poetis iussit, & petiuit sibi contexi integram seriem quatuor monarchiarum, ut ordinem rerum melius uidere, & incrementa atq; inclinationes, & horũ causas cõsiderare posset: Nam hęc exempla præsertim Principes monere de plurimis rebus possunt. Contexuit igitur Rodolphus eruditissimã epitomen ex Biblijs & Herodoto, de Assyriorum & Persarũ Imperio, de ciuilibus discordijs Græcarum ciuitatum ex Thucydide & Xenophonte, de Philippo & Alexandro & successoribus ex Diodoro & Polybio. Deinde lectissima quęq; excerpsit ex historijs Romanis. Postremo & Germanici regni res præcipuas collegit. Ac in eo scripto nõ solum laborauit, ut res tantas perspicue narraret, sed etiam ut obiter legentem Principem pleraq; moneret: qua in re apparuit eum non modo litteris, sed etiam ciuili prudentia excellere. Sed cum iam ætas maturuisset, cũ iam lucubrationes Theologicas inchoasset, nõ multum supra quadragesimum annum egressus, rebus humanis exemptus est. Spero enim immortali læticia donatum esse, cum legamus eum pie sensisse de Christo, ac studia ad gloriam Dei destinasse, & mores fuisse pios &

honestos audiamus. Habetis historiã uitę Rodolphi.

Nunc reliquum est, ut talis uiri memoriam grati conseruetis, Cogitetis quantum fuerit ornamentum Germanię, quàm bene de literis meritus sit. Primus enim in Germania emendare genus sermonis cœpit, & accendit Latinæ & Græcę linguæ studia: Quare ei plurimum omnes debemus. Adolescentes etiam eius admoniti tũ exemplis tum dictis, prudentius de studijs iudicare discant & ipsius imitentur diligentiam & sedulitatem qua infirmioribus ingenijs multo magis opus est, cũ illis Heroicis naturis, quibus, ut ita dicam, multa prouenium ἀνήροτα. Consilium etiam ipsius in studijs considerate, quod uidelicet non diuulsit artes natura copulatas, rerum doctrinam & eloquentiam, sed in utroq; genere summa animi atq; ingenij cõtentione elaborauit, quod ut uos quoq; faciatis, quantũ possum, omnes adhortor. Et in hoc instituta sunt hęc scholastica exercitia, ut in utroq; genere elaboremus, quod quidem eo faciendum est, ut Ecclesiæ ac Reipub. usui esse possimus. Nam nec rerũ cognitio recte comparari potest sine exercitatione dicendi, nec destituti rebus, idonei sunt ad seria negocia explicanda. Porro, si officium nostrum diligenter fecerimus, Deus etiã ornabit nos præmijs: Vt Ecclesias, ita scholas, quæ sunt præcipua pars Ecclesiæ, conseruabit, etiamsi negliguntur ab ijs, qui præsunt, qui quidem longe errant. Propter Ecclesias & scholas, ipsi, & politię seruantur. Quare uicissim nobis gratiam referre debebant: quod si non facient, Deus illos puniet, & tamen aliquem portum Ecclesię, scholis, et nostro ordini ostendet, sicut promisit, Se nõ defuturum ijs, qui doctrinam Ecclesię utilem propagare & ornare student. Dixi.

Epicedion

EPICEDION ERASMI Roterodami.

APOTHEOSIS QVOQVE eiusdem.

Autore Melchiore Acontio.

PHILIPPVS MElanchthon.

Quamuis ingrata est hominum natura, nec unquam
Reddere pro meritis premia iusta solet,
Nulla tamen laudes ætas abolebit Erasmi,
Non omnino mori gloria uera potest.
Scriptorum utilitas ingens fastidia uincet,
Et mixtæ Charites, & nitor, atq; lepos.
Non aliena augent igitur præconia famam,
Aeternum peperit nam decus ipse sibi.
Sed tamen est pietas meritis hunc reddere honorem,
Et grata munus uoce referre datum.
Hoc animo carmen facundus Acontius ædit,
Quo celebrat laudes Roterodame tuas.
Non uena indigna est, quæ magnum cantet Erasmum,
Officij laudem sed magis ille petit.

ILLVSTRI ET GENEROSO
Comiti, D. Ludouico Comiti à Konigsteyn
& Stolberg, Melchior
Acontius
S. D.



Vta gerendarũ dũ te Comes inclyte rerũ,
Iuraq; dicendi grande fatigat onus,
Me tellus Boreę, Septẽq; propinqua trioni,
Et locus immiti frigore plenus habet.
Hic ubi Pierides ductore Melanchthone sector,
Et studijs mores ingeniumq; colo,
Sæpe quidem patriæ mihi dulcis imago recurrit,
Et subeunt, puero qui placuere, lares.
Forsitan & cuperem, si qua ratione liceret,
Nunc quoq; natali proximus esse plagæ.
Sed teneor blando quorundam carmine uatum,
Quos admirari saxa uel ipsa queant.
Namq; suos etiam tulit hic Amphionas orbis,
Et multi nostro tempore numen habent.
Hi mihi ceu captam retinent cum corpore mentem,
Hos ego non homines sed reor esse Deos.
Quorum dum cupidas accommodo uocibus aures,
Vix patriæ possum, uix memor esse mei.
Insuper æquales studiorum fœdere iustos
Hic mihi non paucos conciliauit amor.
Cum quibus interdum soleo iuueniliter audax
Ardua Musarum per iuga ferre pedem,
Et lustrare sacrum, quem fecerat ungula, fontem,
Atq; nouem precibus sollicitare Deas.

Nec

Nec raro uacua meditamur carmina mente,
Hæc mihi non unum surripuere diem.
Et nunc læticiam testantes pangere uersus,
Nunc hilares mœstis posthabuisse iuuat.
Sic etiam nuper defuncto tristis Erasmo,
Funereos iussi carmen habere modos.
Complexusq; uiri non fictas ordine laudes,
Manibus inferias triste poema dedi.
Hoc igitur, quoniam placuit committere luci,
Ipse uelis studij pignus habere mei.
Olim, difficilis si non prohibebit Apollo,
Digna tuis factis nominibusq; canam,
Cum faustis auibus patrias reuocatus in oras,
Illa, quam dederint numina, sorte fruar:
Vrselidesq; ferent reduci nona munera nymphæ,
Quem precor & spero non procul esse diem.
Interea primos non aspernare labores,
Quos potes haud nullo dicere iure tuos.
Vtq; diu Musis, merito quas semper amasti,
Ceu debes, possis consuluisse, Vale.

Epicedion



Lebile nũc elegi tenues mihi fundite carmẽ
Mœstaq; non fausto nectite uerba die.
Plena grauis luctus sint oia, plena doloris,
Triste sonet quicquid triste sonare potest.
Si pia res unquam lachrymæ fletusq; fuerunt,
Nunc oculus, merito quod fleat, omnis habet.
En iacet Aonidum nitidus flos, si tamen ille
Cuius adhuc supereſt fama, iacere potest.
Sustulit heu nobis mors impia corpus Erasmi,
Etiam terra pĳ contegit ossa senis.
Ah nimium Fatis licuit, nimiumq; Deabus,
Arbitrio quarum uita stat atq; cadit.
Quis furor hic etenim, uel quæ dementia Parcæ
Dicite, uos auidas iussit habere manus?
Perdere cum multos soleatis, parcere nulli,
Gloria quæ uobis inde uenire potest?
Vestra quot heroas manus ire coegit ad orcum,
Fortia quot stygĳs corpora mersit aquis?
Vos neq; forma capit, neq; commouet ullius ætas,
Abripitis pueros, abripitisq; senes.
Forsan & hoc ideo Parcarum nomen habetis,
Parcere quòd uestræ non didicere manus.
Sed toleranda fuit tamen illa potentia, si non
Sæpe bonis etiam pernitiosa foret.
Si liber, & uobis est tanta nocere uoluptas,
Lædite quos rectum lædere ius q; sinunt.
Cur hominum pestes, infaustaq; pondera terræ,
Quàm decuit, finitis longius esse super?
Nam quid uiuus adhuc cœlestes inquinat auras,
Cuius tam fœde scripta, Doletus, olent?

Cur tot

Cur tot flagrantes odijs & cæde tyranni,
Qui bene non unquam sed male semper agunt?
Cur alij, quorum iam nomina quilibet odit,
Quosq; piget numeris inseruisse meis?
Hos auferte procul, ne cladibus omnia turbent,
Hæc date (non debent uiuere) monstra neci.
Esse bonis tutos liceat, quid perditis illos,
Quorum uita decens & sine labe manet?
Vestra minabuntur posthac quoq; stamina diuis,
Nec poterunt leges fata tenere suas.
Limina tartarei fumantia Regis adibit
Iuppiter, & manes, iussus obire, petet.
Totaq;, ni fallor, rerum natura timebit,
Ne redeat uastum, quod fuit ante chaos.
Desinite ò tandem, uiresq; remittite uestras,
Iam satis absumptum sanguinis esse puto.
Ista dolens casus indignaq; fata piorum
Tristiciæ pleno carmine questus eram.
Ecce superuenit Parcarum maxima Clotho
Vtq; colum dextra forte tenebat, ait:
Quid iuuat iniustas toties iterare querelas?
Non semel hæc aures perculit aura meas.
Multi sæpe mihi dixerunt talia Vates,
Et rea non ueri criminis acta fui.
Quod pereunt mortis subiecti legibus omnes,
Nemoq; ius illud ne moriatur habet:
Hæc Iouis in manibus sunt omnia. Iuppiter author
Perpetua ferri singula lege iubet.
Nos nihil audemus, nisi quæ mandauerit ille,
Exequimur famulæ quod iubet alter, opus.

Ah quoties lachrymis fletuq; rigauimus ora,
Flectere cum nulla fata liceret ope?
Rupimus inuiso pro stamine sæpe capillos,
Et tamen immites dicimur esse Deæ.
Plura uidebatur dictura, sed altera uenit,
Cœpta iubens propere ducere fila soror.
Ad solitos igitur rediens inuita labores,
Fugit, ut ex oculis fumus abire solet.
Tunc, ut erat casu præsens, ita uoce profatur
Melpomene studij fax & amica mei,
Inq; uiri laudes sic Pieris ora resoluens,
Insequitur Parcæ talibus orsa sonis.
Quàm poteras fœlix Germania nuper haberi
Cum tuus optato sydere creuit honor,
Tam potes infœlix hac tempestate uocari,
Qua tuus in uentos penè recessit honor.
Et tamen est aliquis mortem patienter Erasmi
Qui ferat, & cupiat non etiam ipse mori?
Ingratum genus est hominum, mentisq; ferinæ,
Publica quod sicco lumine damna uidet,
Nec patriæ casu uel iniqua sorte mouetur,
Sed mala, quæ patitur, more furentis, amat.
Ah ne tam rigido quisquam mihi pectore uiuat,
Indomitos feritas uix decet ista Getas.
Tu potius, quoniam clademq; miserrima sentis,
Qualibus & donis sis spoliata uides.
Flebilis inferias Germania mitte sepulto,
Et dic: Has mitto Roterodame tibi.
Nam cur non doleas, cur non solennia mittas,
Cuius ob interitum cuncta dolere uides?

Quo

Quo moriente, uagos qui ducit in æthere curtus,
Nubibus ipse suum texit Apollo caput.
Et testata noui causam Natura doloris,
Protinus amisso signa colore dedit.
Nos quoq; mors hominis, iacturaq; publica mouit,
Et nihil in toto lætum Helicone fuit.
Vidimus & Charitum stillantes nectar ocellos,
Vidimus agrestes collachrymare feras.
Maxime sic etiam, memini, te luximus Orpheu,
Attonitis Orpheu dilacerate choris.
Aut te, qui residens Dyrcęo monte solebas
Dulcibus in muros saxa uocare sonis.
Nec minus hoc nobis fuerat moriente dolendum,
Vltima quàm ueniens cum tulit hora Linum.
Qui genitore licet se iactet Apolline natum,
Vix tamen huic dici par similis´ue potest.
Traxerit è duris alius (sino) montibus ornos,
Vocaliq; truces mouerit arte feras,
Iusserit inceptos conuertere flumina cursus,
Fecerit ingenium cuncta nouare suum.
Dum nobis artes reuocasse feratur Erasmus,
Atq; suum studijs restituisse decus,
Dum procul ablato ueteri squalore situq;
Fecerit insolitis cuncta nitere modis.
Vnius & studio nobis operaq; repente
Fulserit è media candida nocte dies.
Dum fera Barbaries procul hinc excedere iussa
Exulet, ad duros transierit q; Getas.
Maximus Alcides passim fera monstra subegit,
E quibus æternę nomina laudis habet.

Contudit immanem generosis uiribus Hydram,
Nec timuit fortem fortior ipse Leam.
Nil potuit Caci rabies, nil tergeminus rex,
Herculeę sensit robur uterq; manus.
Et geminos una superauit nocte dracones,
Atq; sui generis pignora certa dedit.
Quamuis paruus adhuc gremio nutricis inhærens
Infans exigua lactis egebat ope.
Necdum se dubijs audebat credere plantis,
Aeditus ut fuerat mensibus ante decem.
Grandius his monstrum longeq; nocentius orbi,
Sustulit hic, quamuis uix bene natus erat.
Nam simul ac pulchræ ueniens genitricis ab aluo
Exierat, primam contigeratq; diem,
Venerunt Charites uultu cultuq; decoræ,
Estq; magis solito uisa nitere domus.
Protinus infantem sparsere recentibus undis,
Vnaq;, tu noster, dixit alumnus eris.
Propter & ornatos in amico pectore mores,
Nomina tam pulchris dotibus apta geres.
Te Desiderium præsens mirabitur ętas,
Te Desiderium secla futura canent.
Ista locuta dedit fœlicem nectaris haustum,
Quo solet in cœlis Iuppiter ipse frui.
At fera Barbaries stabilis non inscia fati,
Tempus ut excidij sensit adesse sui,
Fatalis pueri cunabula tristia quærens,
Mouit inornatos horrida Diua pedes.
Trux facies, stantes oculi, sine lege capillus,
Et decor in gressu nullus euntis erat.

Vt tetigit

Vt tetigit limen, puerumq; uidere iacentem
Contigit, incultis murmurat ista sonis:
Quis Deus, aut quodnam puer immitissime numen
Authorem cladis te iubet esse meę?
Tu´ne meis coges iterum me cedere regnis,
Et noua mutato quærere sceptra loco?
Cur tibi præ reliquis hanc spondent sydera laudem?
Qui fit, ut astrorum te chorus omnis amet?
Non equidem paterer, si talia sponte moueres,
Nec tua cœpta deum proueherentur ope.
Nunc superis cedo, quamuis inuita, tibiq;
Do puer, alterius numine uicta, locum.
Certa mei fugiens tamen hic monumenta relinquam,
Nec sine uindicibus sola, uidebis, ero.
Progenies ueniet, quæ semper iniqua Camœnis,
Et tibi quàm speras durior hostis erit.
Dixit, & in Scythiam squallenti turbida uultu,
Adq; suos populos plena doloris abit.
I nunc, Herculea domitos uirtute dracones,
Tristiaq; in cunis monstra subacta refer.
Strangulat Alcides sinuosos fortiter angues,
Barbariem fugat hic, magnus uterq; puer.
Sed tamen ille minor tanto debebit haberi,
Quanto Barbaries tristius angue malum est.
Talis erat pueri natalis. At aurea postquam
Proueniens cœpit barba notare uirum,
Eloquij tantum superauit honoribus omnes,
Anseribus quantum carmine præstat olor.
Maxima lux olim Romanæ Tullius urbis,
Ipse probaturus uerba loquentis erat.

Audisset populi si circumstante corona
Conspicuum Latio digna sonare foro,
Forsan & admirans hominem, dixisset, hic ille est,
Quem propriæ socium laudis habere uelim.
Quinetiam Græco tantum sermone ualebat,
Siue quid audebat scribere, siue loqui,
Natus ut Argolica potuisset in urbe uideri,
Tantus erat cultus, tantus in ore nitor.
Vtq; simul breuibus connectam plurima uerbis,
Maximus ingenio, corpore paruus erat.
Scilicet hoc multo præuidebat ante Rodolphus,
Excellens Phrysij lumen honorq; soli.
Qui puerum quodam miratus tempore dixit:
Tu, nisi me fallant omnia, magnus eris.
Ergo quòd Ausonias Germania suscipis artes,
Et tua Cecropios percipit ora sonos,
Incipiunt ueterum quòd scripta placere legenti,
Nec, quod eras nuper, barbara terra manes,
Principio debes illis, quibus omnia debes,
Vnde, boni quicquid prouenit, omne uenit.
At si mortalem superis adiungere fas est,
Post superos partem laudis Erasmus habet.
Qui sibi non tantum uoluit sudare tot annos,
Adq; uoluptatem cuncta referre suam,
Sed procul ingenij riuos manare per orbem
Siuit, & egressos finibus ire foras:
Esse nihil quoniam præstantius ipse putabat,
Quàm bene de patrio promeruisse solo.
Contulit hucigitur generosi pectoris heros
Quicquid erat studij, quicquid habebat opum.

Incum-

Incumbensq; dies operi, noctesq;, laborum
Sola mihi dixit patria, finis erit.
Nec mora tot nobis ueterum monumenta reduxit,
Tot super hæc proprio condita Marte dedit,
Vt citius stellis & amœni floribus horti,
Quàm numerum libris constituisse queam.
Hoc reuocata nouam ductore tragœdia lucem
Sensit & è tenebris sustulit orta caput.
Exhibuitq; graui spectacula digna cothurno,
Et cœpit Latijs uersa placere modis.
Vidisti scelus iniusti pœnasq; tyranni
Auersata ferum Teu tonis ora nefas.
Virgineoq; truces placari sanguine uentos,
Iudicio res est impia uisa tuo.
Hæc etiam populus quondam spectauit Athenis,
Dum status incolumis forsq; benigna fuit.
Non tamen huic penitus studio se dedidit unquam,
Grandius inuicto corde mouebat opus.
Carmine nec uoluit mansurum quærere nomen,
Quamuis nunc etiam carmine nomen habet:
Tædia sed duri cupiens uitare laboris,
Ad uatum nitidas sæpe redibat opes.
Inq; poetarum solitus requiescere syluis,
Gaudebat teneris uerba ligare modis.
Multo plura quidem numerorum lege soluta,
Omnia sed multo splendidiora dedit.
Hæc Charites, Charitumq; nitor germanus, et Horæ
Floribus ornarunt delitijsq; suis.
At sale Mercurius niueo, molliq; lepore
Condijt, & Genium munera tara dedit,

Neuel

Ne uel eis liuor, uel secula longa nocerent,
Clara sed ac tempus chara per omne forent.
Ausus es infœlix tamen hæc quoq; carpere liuor,
Liuor iners mentis degenerantis opus.
Ausus es inuidiæ stimulis œstroq; subactus,
Insignem rabido dente notare uirum.
Quemq; nec ingenio furiose nec artibus æquas,
Non pudet iniustis dilacerare modis.
Cum nihil in toto reprehendi corpore possit,
Nescio quos næuos non tolerare potes.
Desine nec frustra male sanos attere dentes,
Si non uis alijs parcere, parce tibi.
At nisi cessabunt odiosæ uerbera linguæ,
Forte pijs aliquis manibus ultor erit.
Et uel rumperis citius, uel tabe peribis,
Quàm pereat ueræ nobilitatis honos.
Vincit ad extremum mala fortiter omnia uirtus,
Inq; sua pulsis hostibus arce manet.
Quid queror ingratos mores, infidaq; corda?
Sæpe bonis merces nunc solet ista dari.
At non restituit solas pro uiribus artes,
Quas tamen est magnus restituisse labor.
Nec uoluit scriptis ita deditus esse prophanis,
Nollet ut idcirco consuluisse sacris.
Non minus hæc etenim quàm cætera luce carebant,
Plenaq; barbaricæ plurima noctis erant.
Sacra premebatur tenebris scriptura, situq;,
Orba suo cultu, lumine cassa suo.
Squallidus huc etiam subiens irrepserat horror,
Regnabasq; adeo tristis ubiq; lues.

Non tulit

Non tulit immensi rex hoc & conditor orbis,
Pressa satis miserè iam sua scripta putans.
Ergo repurgati cœlestia dogmata mandat,
Hoc placet, hoc animo nocte dieq; sedet.
Deligitur sanctæ pietatis amator Erasmus,
Ipse nec immensum ferre recusat onus:
Sponte sed haud una uitiatis parte medetur,
Omnia candori restituitq; suo.
Sicut in excidio Solymorum præstitit Esdras,
Ne caderet patriæ relligionis honor,
Vndiq; collectis dum sacra uolumina libris
Non sinit hostili tota perire manu.
Sic cauet hic etiam, calamoq; fideliter usus
Non sinit immundo cuncta perire situ.
Cumq; tot extiterint de relligione tumultus,
Secula quot constat nulla tulisse prius,
Sic se perpetuo moderatum gessit, ut author
Nullius aut rixæ dissidij ue foret.
Ponite sæuitiam (dicebat) ponite Reges
Bella, quid inuito sumitis arma Deo?
Prælia discordes quid tanta paratis utrinq;?
Non ita res debet relligionis agi.
Pace opus est, ualeant crudi certamina Martis,
Bella nihil prosunt, pax bona cuncta dabit.
Exiguo magnas damno componite lites,
Ne proprias odijs dilaceretis opes.
Seu bellare iuuat, celebresq; parare triumphos,
Non procul à uobis Turcicus hostis abest.
Finibus hunc patrijs arcete, sed aurea leges
Pax alat, & uobis præsit amica domi.

Talia dicentem laudarunt sæpe tyranni,
Adq; pij uoces obstupuere senis.
Nec semel his monitis ferrum posuere monarchę,
Sæua quibus cordi prælia nuper erant.
Sic etiam Grajj scripserunt Nestora uates
Facundo solitum regibus ore loqui,
Omnia cum dubio feruerent castra tumultu,
Et fremerent moti bella nefanda duces.
Nec fortuna pijs conatibus abfuit unquam,
AEqua sed ac facilis perstitit usq; comes.
Tempora nec uetuit contingere longa senectæ,
Atq; sua canos prosperitate frui.
Sed fatis utinam protracta uolentibus esset
Vita recessuro nuper ad astra seni,
Donec principibus toto semel orbe coactis,
Concilio fieret consilioq; locus.
Forsan ibi potuisset res fulcire ruentes,
Tollere consilijs & mala multa suis.
Verum Dijs aliter uisum est, qui totius orbis
Fluctibus è medijs eripuere senem,
Fœlicemq; suis manibus super astra locarunt,
Conspicuum terris, conspicuumq; polis,
Nunc ubi cœlicolas inter turbamq; piorum
Ocia cœlesti cum patre lætus agit.
Talia, si fas est mihi uerba referre deorum,
Dicta uerecundo Pieris ore dabat.
Cuius nos cupide numeros uocemq; secuti
Hæc damus in mortem Roterodame tuam,
Vt uirtutis adhuc, quamuis sublatus abisti,
Atq; tui memores nominis esse scias.

Nunc,

Nunc, quo signetur tumulus, breue carmen habeto,
Mortuus Aonium si modo carmen amas.
Hoc Desiderio Charites statuere sepulchrum,
Texeruntq; sua corporis ossa manu.
Gloria per totum celeberrima spargitur orbem,
Nec uoluit clauso marmore fama tegi.
Maior eris Latio Germania, maior Athenis,
Si fueris talem rursus adepta uirum.

APOTHEOSIS D. ERASMI Roterodami.

Lecteret auratos cũ nuper in ęthere curtus,
Ingẽtemq; sua lustraret lampade mundũ,
Sydereã radijs frontẽ præcinctus Apollo
Vidit, & ut uidit miserabile funus alumni,
Palluit, obducta uultũq; nigredine pressit.
Et, quis finis, ait, quæ tandem meta laborum,
Quis ue doloris erit mihi terminus? usq; uidebo
Quos amo, quos foueo, quos post me lumina mundi
Dicere iure queas, rigidæ succumbere morti?
Mallem equidem caruisse oculis, quibus omnia cerno,
Funera quàm toties indigna uidere meorum.
Fata Mosellani referam? quid durius illis?
Aut tua Corde decus medicorum & gloria uatum?
Corpora qui succo releuabas, carmine mentes,
Occidis, & subito natos tua pignora linquis,
Nec tibi, quam noras, medicinæ profuit usus,
Nec tua te potuit diuina iuuare poesis.
Non obscura Faber nostri quoq; gloria secli,
Intima qui sophiæ penetralia mente subibat,

Gallia iam dudum quo se iactabat alumno,
Hoc nimium fatis properantibus occidit anno,
His alijsq; meo ne desit causa dolori,
Te quoq; iam uita functum, iam lumine cassum,
Orbis Erasme decus, studiorumq; unice uindex
Addidit, ac diris mors strauit iniqua sagittis.
O facinus, nulloq; tenenda iniuria seclo,
Debueras uenerande senex super æthera uiuus
Excedens terris in regna uenire deorum,
Et poteras alia forsan ratione uenire,
At tu pallida mors, nigra sata nocte Ereboq;,
Corporeæ finis uitæ, melioris origo,
Quæ minimos summis, humiles illustribus æquas,
Et, uelut æstiuus nutantia gramina messor,
Omnia falce metis, quando libet, omnia perdis,
Inuisum terris, inuisum nomen Olympo,
Sed mihi præcipue, ne non tibi iusta rependam
Accipe quæ debes, pro tali præmia facto.
Namq; dies ueniet, nec me mea tempora fallunt,
Quo cum dæmonibus cœlesti sede fugatis
Ante triumphantis currum religata traheris.
Desuper applaudent, insultabuntq; iacenti,
Quos dedit immiti quondam tua dextera leto.
Mox etiam præceps longo per inania lapsu,
Sulfureasq; domos Stygiamq; redibis in aulam,
Huc ubi fœda situ tenebrosi Acherontis ad undam
Debita iamdudum tibi regna tuisq; parantur.
Ne tamen interea benefactis præmia desint,
Quod doleas aliud nunc accipe: Namq; uidebis
Viuere crudelis quem tu uixisse putabas,
Vitaq; iam duplex una pro morte redibit,

Et fœlix

Et fœlix terra pariter cœloq; fruetur,
Hac tellure frui cui uix satis ante dabatur.
Proq; tot eximijs ac tam præstantibus actis,
Gloria per terras, per cœlum spiritus ibit.
Nomen humi remanere uolet, mens astra tenebit,
Quàm bene cui demum fas est ita uiuere, uiuit.
Sic inimica noces, sic aufers improba uitam,
Vt subeat melior, longeq; beatior illi.
Sic sine fine potens, sic sis metuenda licebit,
Sic nulli poteris metuenda potensq; uideri.
Hæc fatus Maia genitum uocat, ille uocanti
Astitit, & iussus properanter adire Camœnas,
Aethereum pede carpit iter, cœlumq; relinquens
Fertur, & Aonij petit alta cacumina montis.
Quæ postquam tetigit, certantes ludere Musas,
Ac de more uidet celeres agitare choreas,
Dulciaq; alterno recitare poemata uersu,
Quas procul inclamans, desistite lusibus, inquit,
Flete Cytheriades, Germanicus occidit Orpheus,
Vester honos perijt, uestras renouate querelas,
Vnanimesq; uiro persoluite iusta Camœnæ,
Quos meruit uiuus, morienti dentur honores.
Dixit, & alarum sublatus in æthera motu,
Deseruit terras, & sese reddidit astris.
Illæ autem tristes coeunt, plenæq; doloris,
Luctibus indulgent omnes. Lugentibus astat
Iam non læta satis demisso Gratia uultu.
Astat & ipsa Venus, Venerem comitantur amores,
Demittuntq; alas humeris, nec, ut ante, pharetris
Instructi quatiunt ue faces, telo ue minantur.
Ipsi etiam dominans inter, luctumq; Dearum

Incedunt, unaq; pij triſtantur olores,
Ac mœſtum tenui meditantes gutture carmen,
Non aliter quàm ſi iam fata ſuprema uocarent
Dilectas ripas dilectaq; prata relinquunt,
Nec quelutante ſuis pariter merguntur in undis.
Hæ quoq; turbato iam ſcilicet amne feruntur
Per gelidas ualles, reſonant lugubria ualles,
Et quaſi ſentirent prætendunt ſingula luctum,
Non animata licet, ſtat ubiq; doloris imago.
Tum Dea, quę cœli motus arcanaq; nouit,
Cui genus & nomen cœlo deducitur alto,
Forte leuans oculos, aciem direxit Olympo,
Et ſubito mentem pariter uultumq; reſumens,
Quid tamen hi gemitus, aut quid ſuſpiria proſunt
Afflictæ tandem ſatis ò nimiumq; ſorores?
An noua nunc fatis indicere bella paramus?
Perpetuo nexis interſeſe ordine fatis?
Quæ grauis incuſare dolor, non uincere quiſquam
Vllis temporibus potuit, poterit´ue poteſt´ue.
An nos, quæ miſeros triſti reuocamus ab orco,
Atq; alijs monſtramus opem, ſolæq; putamur
Aduerſas lenire uices, decorare ſecundas,
Non pudet aſſuetum non hic ſeruaſſe tenorem?
Non pudet hic non eſſe Deas? quas ſcilicet ipſe
Iuppiter agnoſcit natas, prolemq; fatetur?
Quæ genus è Diuis & ab æthere ducimus ipſo?
Sed res ipſa uetat modo longius ire dolorem,
Et noua iam nobis ſpectacula præbet Olympus.
Aſpicite ingentes cœtus, pompamq; Deorum,
In medioq; uirum, cui plaudit & aſſonat æther.
Dux etiam noſter, quem nox prius atra tegebat,

Ipſe

Ipſe reducit equos, & nubila findit Apollo,
Cumq; ſuo celeres Lux ſeruat Apolline curtus.
Dixerat. Aſpiciunt ingens albeſcere cœlum,
Et ſubito rediſſe diem, fugiſſe tenebras,
Lætantumq; uago mirantur in æthere plauſus,
Mirantur ſonitum, dulcesq; per aera cantus,
Et paſſim toto reſonantia carmina cœlo.
Vt uerò tanti cauſam agnouere triumphi,
Et uidere Dijs heroa potentibus ipſum
Iam mixtum, ſupra nubes & ſydera ferri,
Protinus exangues uertunt in gaudia luctus,
Et procul ire iubent curas, procul ire dolorem,
Certatimq; nouis contendunt uerſibus omnes.
Iamq; aliqua ad cytharam fœlicia carmina fingit,
Pars inflat calamos, digitisq; foramina tentat,
Pars etiam clara ferit aurea ſydera uoce.
Parnaſſi reſonant Muſis cantantibus antra,
Oppoſitiq; procul feriuntur carmine montes.
Fas mihi ſit ueſtros mortalibus ædere cantus
Pierides, liceat totum uulgare per orbem
Carmina ter ſummo quæ concinuiſtis Eraſmo:
Vt uideant olim poſt ſecula longa minores,
Et quæcunq; uenire poteſt intelligat ætas,
Totaq; norit humus, quanti faciamus Eraſmum,
Cuius amor nobis ſimul & reuerentia creſcet,
Cuius erunt laudes & nomina, donec Olympus
Deſuper aſpiciet ſuſpenſæ climata terræ,
Ipſaq; producet flores & gramina tellus.
Et ſic prima quidem Clio ceciniſſe putatur,
Carmina ſic nitidus reliquarum clauſit Apollo.

FINIS.

De Sigiſ-

DE SIGISMVNDO IMPERATORE
Declamatio, recitata à Ioanne Olhafen Noribergensi.



Tsi laudo studium eorum, qui hucuereres & peregrinas historias afferunt, nam illæ etiam nos de multis uitæ partibus admonent, tamen censeo interdum & res Germanicas recitandas esse: Turpe est enim domestica ignorare. Et nostrarum rerum noticia magis conducit ad iudicanda negocia Reipub. & Ecclesiæ horum temporum. Ideo decreui de Sigismundo Imperatore dicere, quem ut potissimum eligerem, etiam quadam priuati officij ratione adducor: Nam Sigismundi eximia fuit erga patriam meam Noribergam beneuolentia. Pater uero, Carolus quartus ciuitatem domestica seditione penè funditus perditam, Deo iuuante, consilio & uirtute singulari restituit. Deinde Sigismundi nomen eo gratius esse studiosis omnibus debet, quia cum esset in toga Princeps salutaris, & nostras artes benigne fouit, & Ecclesiæ, quantum tunc quidem prouidere potuit, recte consulere conatus est. Nam & Synodum indixit in discordijs publicis, in qua etiamsi quædam sine eius consilio crudeliter facta sunt, tamen illud fuit utile decretum, ut decimo quoque anno Synodus generalis haberetur: quod tamen postea Pontifices superbè abrogarunt, qui cum uolunt, pacta non sunt pacta, ut inquit Plautus. Quantum autem prodesset hodie ad communem concordiam, illa doctorum collocutio, si Synodi, ut fuit constitutum, haberentur: qua in re tamen consilium Sigismundi & uoluntas laudem merentur. Quan-

quam

quam igitur res eius gestas explicare integre non potero, tamen præcipuas breuiter colligam, uosq; rogo, ut meę orationi ueniam detis.

Sequar autem usitatum ordinem, primum, ut de genere pauca dicam, quod in magnis uiris libenter consideramus: quia enim semina quædam uirtutum à maioribus in posteros propagari existimamus, incendimur animis, ut cupiamus etiam scire quales illi fuerint, à quibus magni uiri orti sunt. Deinde in illis quos patria nostra genuit, inhumanum esset generis mentionem prætermittere: Nam multis de causis laudes magnorum uirorũ, ad patriam aliqua ex parte pertinent, quæ aliquos addit ingenijs impetus, quæ certa disciplina ciues assuefacit. Sed ne sim prolixior, natus est Sigismundus patre Carolo quarto Imperatore, proauo Henrico Lucelbergensi Imperatore, cuius tanta fuit uirtus & sapientia, ut in diuturno interregno omnium Principum suffragijs expetitus sit ad gubernationem, & sedandos ingentes Italiæ ac Germaniæ motus.

Fortes creantur fortibus & bonis, inquit ille. Ab his uiris igitur ortus Sigismundus, indole fuit ad uirtutem & ad decus incitata. Adolescens consilio patris diligenter in literis institutus est, quarum cognitio postea ei in gubernatione maximarum rerum magno usui fuit. Pater ei Marchiam Brandenburgensem & Morauiam reliquit, in quibus regendis cum eius prudentia, dexteritas ac iusticia ubiq; celebrarentur, Hungari eum accersiuerunt, ac Regem sibi prę fecerunt. Hic uero magna eum fortunæ uarietas excepit. Initio domesticas Hungarorũ discordias diremit, & pacem restituit æquitate & moderatione Imperij, sine armis. Nam cũ eo tempore Baia-

zetes cinxiſſet obſidione Conſtantinopolin, & Imperator Byzantius in Galliam nauigaſſet, ut auxilium à Chriſtianis Regibus peteret, nequaquam deeſſe uicino Imperio uoluit, ſuasq; uires ac opes omnes ad ſocietatẽ belli collaturũ ſe eſſe oſtendit. Ideo domeſticas diſſenſiones non irritandas, ſed quoquo modo dirimendas eſſe duxit. Statim igitur in Myſiam duxit exercitus, & multas res proſpere geſſit: occupauit Muldauiam, & aliquot prælijs fudit ac profligauit Turcicas copias. Sed poſteaquam Gallici exercitus in Hungariam uenerunt, ſeq; cum Hungaris coniunxerunt, ibi Baiazetes, cui propter celeritatem à fulgure nomen fuit, maiore uigilantia, & maioribus copijs rem gerere cœpit. Erant initia belli Sigiſmundo ſatis læta, cepit enim Nicopolin ſitã in aditu Macedoniæ. Poſtea uero cum Galli auidius in pugnam ruerent, magna clade accepta, captis Gallorum Principibus, Sigiſmundus uix euaſit, una cimba cum Magiſtro Rhodio Danubium traijciens inſpectantibus hoſtibus, qui cum ſequi eos non poſſent, ſagittis petebant. Etſi autem euentus prælij, ut dixi, funeſtus fuit, tamen laudanda eſt uirtus Sigiſmundi, & aliorum, qui deeſſe Reipublicæ noluerunt, qui non ſua ſegnitie hoſtes inuitare ſolebant, qui, quantum potuerunt, reprimere Turcicam barbariem conati ſunt: Et profuit horum uirtus ad retardandos hoſtium impetus. Quare magna laus etiam his fortibus uiris debetur, qui quanquam infœliciter dimicarunt, tamen Reipublicæ ſuum officium præſtiterunt. Sicut Demoſthenes ait: Laude dignos eſſe ciues, qui patriam fortiter defendunt, etiam ſi eorum uirtuti non reſpondeat fortuna. Non enim euentu metienda ſunt honeſta conſilia, ſed uera ratione &

ne & officio. Ideo & in Epitaphio ciuium inscripti sunt hi uersus:

Nulla aduersa pati, nunquam peccare Deorũ est.
Nemo hominum fati uim superare potest.

Porro hæc clades ad Nicopolin accepta, accidit nostris, circiter annum post Christi natalem, millesimum, trecentesimum, nonagesimum quintum.

Vt autem secundæ res authoritatem addunt Ducibus, ita aduersæ minuunt, interdum etiam odia accendunt. Quare cum rediisset in Vngariam, amissis multis fortissimis ciuibus, proceres quidam contra eum conspirauerunt, quorum animos quorundam supplicijs in auspicijs regni offenderat. Captus igitur à coniuratis, in quadam arce diu custoditus est, unde tandem domina, miserata indignam fortunam boni Principis, clam eum dimisit. Elapsus redijt in regnum, instructus Germanicis auxilijs, & triginta Regulos capitali supplicio affecit. Hęc sæueritas ei profuit ad cęteros cohercendos, & recuperandam pristinam authoritatem. Etsi enim nusquam discedebat à iusticia in negocijs dijudicandis, tamen semper aliàs in pœnis iusticiam clementia & lenitate temperare solebat. In hoc uno facto necessitas coegit eum sæueritate maiore uti. Verissimum enim est illud dictum Aeschinis, quod Demosthenes citat: Nihil ualet imperiũ, quod non habet neruos aduersus sceleratos & insanabiles. Laudanda est igitur in hoc casu ipsius grauitas ac sæueritas.

Cum autem iam in tanta fortunæ & negociorum uarietate perspecta esset eius uirtus, & dissidia Italica flagitarent Imperatorem non segnem, neq; ignauum, sed qui consilio & autoritate excelleret, Germanici Princi-

pes Sigiſmundum creant Imperatorẽ, anno milleſimo quadringẽteſimo et duodecimo. Nec fefellit eos iudiciũ de ipſius uoluntate ac fide. Cũ enim iudicaret nihil eſſe dignius Imperatore, quàm legitimis modis Eccleſiaſtica diſſidia tollere, primum omnium curare cœpit, ut Synodus indiceretur. Vetus dictum eſt, neſcio cuius Pontificis, Plures conſequi Pontificatũ more Romuli, quàm Petri. Fuerunt enim ſæpe ingentia certamina in electione Pontificũ, quæ quidem ante Sigiſmundum ita exarſerant, ut annos amplius ttiginta non conuenire potuerit inter Cardinales de electione: Alĩ ab alĩs eligebantur, & ędebant mutuas condemnationes & execrationes, magnoq; nouorum, ut inquit Lucanus,

Prouentu ſcelerum, quærunt uter imperet orbi.

Habebant aliæ factiones aliorum Regum ſtudia. Italia dilacerabatur inteſtinis bellis, quæ accendebant diſcordiæ Pontificum.

Cumq; Sigiſmundus accerſitus eſſet ad imperium, erant tres Romani Pontifices, Ioannes Bononiæ, Gregorius Arimini, Benedictus in Hiſpania. Hoc diſſidium non armis, non uiolentis modis tollere Sigiſmundus decreuit: Extant enim diuinæ leges, quæ docent, quo ordine controuerſię Eccleſiaſticę cognoſcendę ſint. Has Sigiſmundus, quantũ in ipſo fuit, non uoluit præterire. Et quia ſine conſenſu cæterorum Regum fruſtra Synodum indicturus erat, ipſe totam Europam peruagatus eſt: Adĩt Galliam & Hiſpaniam, egit & cum Rege Anglico, oſtendit quantum interſit Reipub. Chriſtianę, ut Synodus indicatur. Rogat ut aſſentiantur, & pium consilium ac neceſſarium Reipub. adiuuent, ut Reges quibus præcipue Eccleſiæ cuſtodia commiſſa ſit, decet.

Perſuadet

Persuadet tandem, ut consilium Sigismundi approbēt, ac promittant se nō defuturos cōmuni saluti. Postea uenit in Italiam, & cū Ioanne colloquitur, ne desideraretur in Synodo nomē Pontificium. Hunc quoq; adducit in suam sententiam, & persuadet, ut uenturū se in Germaniam polliceatur. Synodus indicitur Constantiæ.

Nec minus negocij fuit postea, durabant enim certamina inter tres, nec quisquam æquo animo cessurus erat alteri de nomine Pontificio. Meministis dictum in Tragœdia:

Si uiolandum est ius, regnandi gratia
Violandum est, in alijs pietatem colas.

Id dictum ualet apud Pontifices nō minus, quàm apud Geometras illæ sententiæ, quæ uel κοιναὶ ἐννοίαι, uel ἀξιώματα uocantur. Itaq; singularis sapientię & diligentiæ fuit: primum redigere omnes in ordinem: deinde consentientibus suffragijs unum surrogare: postremo cauere, ne tales discordiæ repullularent. Hæ deliberationes in quadriennium usq; extractę sunt, quo tempore ipse plurimum sustinuit laboris, dum retinet & confirmat Regum uoluntates.

Synodo aliquoties ipse interfuit, ac primum cum eō uenit in nocte Natalis Domini, cecinit lectionem Euangelij in liturgia: Exijt edictum à Cæsare Augusto, ut totus orbis describeretur. quod cum legeret ipse, uisus est non solum de suo officio hoc significare curam Ecclesię orbis terrarum Imperatori commissam esse, sed etiam alios admonere, ut Imperatori cupienti consulere saluti omnium gentium, æquo animo parerent.

Præcipua autem & utilissima constitutio eius Synodi hæc est; Decretum fuit, ut deinceps decimo quoque

anno post prioris Synodi exitum, alia Synodus indicetur: Ideoq; Basilienſis Synodus ſtatim ſecuta eſt. Sed hanc Pontifex Eugenius, cum authoritate non poſſet, armis diſſipauit, miſit in Germaniam Delphinum cum ingentibus copijs: quæ cum inauditam crudelitatem in Alſatia exercuiſſent, Baſileam petierunt. Ibi exiguæ copię Heluetiorum cum eis dimicarunt, propemodum ut Lacedæmonij ad Thermopylas cum Perſis. Itaq; Gallicus exercitus diſſipatus ac profligatus eſt. Sed tamen paulatim in illis tumultibus dilapſi ſunt & Regum Legati, qui ad Synodum conuenerant.

Poſtea facile cauerũt, ne Synodi coirent, quia uiderũt utranq; Synodum aliquid de authoritate Pontificia decerpſiſſe: Decreuerant enim Synodi authoritatem maiorem eſſe quàm Pontificiam: Poſſe Synodorum iudicijs, Pontifices remoueri à gubernaculis: Tribuerũt ſuffragia non ſolis Epiſcopis, ſed etiam cæteris doctis & pijs. De quo articulo cum fuiſſet acerrime diſputatum Baſileæ, tamen hæc ſententia uicit, propter locum in Actis Apoſtolicis, ubi dicuntur adhibiti in dijudicanda controuerſia de Circumciſione, non ſoli Apoſtoli, ſed etiam cæteri ſeniores.

Etſi autem hi articuli leuiores ſunt, quàm ut labefacta re Pontificum potentiam queant, tamẽ ipſi, ut aſtuti gubernatores, meminerunt pręcepti politici, μὴ πρόφαν τὸ πρὸ μικρόν. Nulla in re, quamuis leui ac minuta, exemplum uiolandę authoritatis concedendum eſſe. An nõ uidetis hoc tempore ipſos mordicus tenere hoc præceptum? Nihil officeret Pontifici correctio abuſuum, ſed meminerunt illud ἀξίωμα, μὴ πρόφαν τὸ πρὸ μικρόν. Cum igitur metuerent paulatim Synodos plus libertatis

tatis sibi sumpturas esse, atte postea cauerunt, ut dixi, ne Synodus ulla ita coiret, ut libertas esset pijs dicendæ sententiæ.

Sed redeo ad Sigismundum, qui quod uetus exemplum indicendæ Synodi renouauit, quod ad emendationem Ecclesiæ excitare Principes uoluit, perpetua laude dignus est. Quod autem uel postea expectationem eius eluserunt Pontifices, uel in ipsa Synodo Constantię nouo exemplo, non tantum sententijs damnati sunt duo uiri pij ac docti Boemi, Iohannes & Hieronymus, sed etiam crudeliter interfecti, hæc non sunt ab Imperatore orta: & si is quidem non omnino uacat culpa, sed tamen absente Imperatore illi duo condemnati sunt, & affecti supplicijs. Et certum est, Cancellarium Imperatoris, uirum excellenti ingenio & uirtute præditum, Casparum Slik, cum illæ crudeles sententiæ dicerentur, surrexisse, ac palàm testatum esse, se ab illis iniustis suffragijs dissentire, atq; ita ex consessu abijsse. Hæc tota actio quid habuit simile iudiciorũ Ecclesiasticorum? aut quę unquam Synodus tale ædidit exemplum, simul ut sententijs iugularet reũ & interficeret? Nec iam de dogmatibus loquor, ordinem iudicij & nouum exemplum reprehendo. Hæc non erat permissurus Imperator, si adfuisset, nisi fortassis & ipse superstitione fascinatus fuisset, quæ maximam uim habet in animis hominum. Hactenus de Synodo dixi, quæ est Sigismundi præcipua actio in toga.

Interea Baiazetes à Tamerlano uictus et captus fuerat. Quare Sigismundus occasione utendum duxit, ac rursus ingentem exercitum contraxit, & ingressus Mysiam, cum Turcis nihilo fœlicius conflixit, quàm antea ad Nicopolin,

copolin, ac rursus fugiens, ægre defendit uitam. In eo itinere cum mœstus ueniſſet Poſonium, ac feriæ eſſent Aſcenſionis, cum ueſperi lachrymans & deplorans calamitates Reipub. Chriſtianę, magno animi motu Deum inuocaſſet, ac rogaſſet, ut reprimeret impietatem Turcicam, & ſanaret Eccleſiæ uulnera, ibi noctu dormienti oblata eſt quædam ſpecies Epiſcopi, qui eum longa oratione conſolatus eſt, ac primum narrauit, has clades Chriſtianorum, eſſe pœnas ſcelerum omnis generis, quibus polluta ſit Eccleſia, ac prętertim impietatis in his qui prętunt. Deinde commemorauit, qualis poſt ipſum futurus eſſet ſtatus regni Hungarici & Eccleſiæ. Narrat futura ciuilia inter Hungaros bella, plures de regno dimicaturos eſſe, uexaturos Pannoniam Turcos, ſed non retenturos. In Eccleſia uero magnas diſcordias ſecuturas eſſe, multis in locis ſacerdotes potentiã & opes ſuas amiſſuros, futuram doctrinæ & rituum mutationem, & multorum uitiorum emendationem. Poſt hos motus, ait, Principes quoſdam de conſtituenda Eccleſiæ tranquillitate cogitaturos eſſe.

Hæc tota narratio in monumentis bonæ fidei reperitur, quæ an ſignificauerit res præſentes, an motus Bohemicos tantum, qui ſtatim ſecuti ſunt, ignoro. Ipſe in Synodo Baſilienſi rem eò deducere conatus eſt, ut Eccleſię eſſent tranquillę, ac Boemis concederetur uti integro Sacramento. Idem uiſum eſt multis doctis uiris in ea Synodo. Sed Iulianus Cardinalis hortator erat, ut totis Germanię uiribus Boemos inuaderet, ac ceſſantem, ſæpe obiurgabat. Tandem ita perpellit. Exorti erant in Boemia tumultus ſcelere cuiuſdã Abbatis, qui puellam nobilem rapuerat: Hanc cum frater & cognati tumultuoſius

tuosius repoſcerent, queſtus eſt Iulianus ſeditiones eſſe moras. Ad has opprimendas hortatur Imperatorem, quas quidem ille moderatione multo facilius, quàm armis ſedare poterat, uere enim inquit Menelaus apud Euripidem:

Si uela tendas nimium, nauis mergitur,
Sed ſi relaxes rurſus, uehitur tutius.
Odit Deus nimis uehementes impetus,
Odere ciues: gratior eſt moderatio.

Sed uicit Iuliani ſententia ſeu fato, ſeu quia ſenem Principem ſuperſtitione terrebat. Mouet igitur funeſtum bellum, in quo uictores Bohemi poſtea eruperunt in Germaniam, & late uiciniam populati ſunt. Acceſſit ad cætera mala hoc quoque, quod Imperator rurſus de pace agens, in illis ipſis deliberationibus, grauis annis, & confectus laboribus, moritur.

Fuit fœlicior in toga quàm in armis, & ſi aliquoties Turcicas copias fudit ac profligauit. Sed ingenium fuit aptius ciuilibus negocijs, in quibus ſingularis eius dexteritas fuit, ac mihi comparanti eum cum ueteribus Principibus, uidetur non admodum diſſimilis fuiſſe Antonino Pio, aut Marco. Legum & Iuris diſputationibus argutioribus in primis delectabatur, multa in ciuitatibus emendauit, duas familias Electorũ amplificauit dignitate & potentia, Duces Saxoniæ, & Marchiones, & utile Reipub. iudicauit, Principum Electorum opes augeri: quos quidem ut fratres amauit, & conſilijs omnibus adhibuit, non excluſit à deliberationibus ſuis, more tyrannico. Religionis cura magnopere adficiebatur. In Boemia direptis bonis Eccleſiarum, rurſus de ſuo attribuit parochijs annuos reditus.

Hæc de uita & rebus gestis Sigismundi collegi, quæ satis indicant, eum fuisse Principem excellenti ingenio, uirtute, iusticia, clementia præditum, ac conatum esse de Repub. bene mereri. Propter has uirtutes decet, nobis gratam esse ipsius memoriam. Deinde negocia in quibus uersatus est, de multis rebus admonere & Principes & priuatos homines possunt. Prodest enim omnibus tenere causas & certamina Synodorum, & Principibus prodest cauere, ne artificijs tyrannicorum Pontificum incendi se ad impia bella mouenda patiantur, sed ut Ecclesię causas ordine cognoscant, ut leges Ecclesiasticæ in Euangelio traditæ postulant.

Dixi.

DECLAMATIO SCRIPTA A VITO Vuinsemio, in qua recitatur historia, quomodo Guelfus Dux Bauarię liberatus sit periculo, in obsidione Vuinsbergensi, coniugis suæ honestissimo, & tamen uafro consilio.

QVod facere solent hi, qui uel apud eos dicunt, quorum de uoluntate incerti sunt, uel causam dubiam & parũ firmam agũt, uel nulla officij necessitate coacti, tantum ἐπ πδειχσίας ociose ludunt, ut auditorum beneuolentiam initio dicendi sibi sollicite & accurate, ad id elaborato exordio uenentur, id ego in præsentia penitus

penitus prętermittere, & iuxta Atticas leges ἄνευ παθῶν & προοιμίων protinus ab ipsa re incipere constitui, quod ut faciam, duplici ratione adducor. Primum quod mihi persuadeo, uos Adolescentes, tam fauere his scholasticis exercitijs, quàm ea scitis ad publicam scholę, ac uestram utilitatem, non minus salutari, quàm fideli consilio instituta esse. Deinde quia eiusmodi argumentum affero, quod ipsum per se delectare auditores potest, etiam si sine Oratorio splendore recitetur. Nihil enim efficacius est ad mouendos animos bonorum, ipsa uirtute. Commemorabo autem, quoddam factum Imperatoris Chunradi Sueui, quod utinam ego tam dicendo ornare possem, quàm exemplum memorabile est, & plenum humanitatis, summaq; laude dignum. Plurimum uero moribus, hæc moderationis, & clementiæ exempla conducunt, quia in eis τὸ ἠθικόν, quod ut suauissimum, ita in primis amabile est, præcipue lucet. Et nescio an unquam magis opus fuerit, proponi talia, & hoc nostro uere calamitoso & turbulentissimo seculo, quo tanta est hominum atq; ingeniorum feritas, & uiolentia, quantam uix credi potest ullis retro temporibus fuisse. Merito uero nos magis nostra, quàm externa mouent: nam ingratitudo quædam est, tantum peregrina & procul adscita admirari, sua ac domestica negligere. Quemadmodũ enim quidam homines hoc uitio oculorum laborant, ut tantum quæ procul posita sunt, uideant, proxima uero, quæq; ante pedes sunt sita, non animaduertant: ita quidam hoc animi morbo affecti sunt, ut nihil ament nisi peregrinum, & procul petitum: fastidiant, atq; adspernentur, quidquid uernaculum, & domi natum est. Qui uero rectius mente ualent, hi sua

primum bona agnoſcunt, & amplectuntur. Nam cum oraculo iubemur nos ipſos noſſe, id eam opinor uim habere, ut tum uitia, ſi qua in nobis hærent, tum etiam bona noſtra noſcamus, illa ut corrigamus ac uitemus, hæc ut excitemus, & augeamus, iuxta ueteris prouerbij ſententiam: Spartam, quam nactus es, eam orne. Eſt uero operæpretium uidere, quanta fuerit ſimplicitas, probitas, & humanitas maiorum noſtrorum ueterum Germanorum, quorum facta, ſi literis prodita, ſi ab hiſtoria lucem accepiſſent, ut quæ à Romanis & Græcis geſta ſunt, cum utriſq; haud dubie, eſſent omni genere præſtantiſſimarum uirtutum certatura. Sed fuit illa ætas literarum & eloquentiæ rudis, quæ nec deſcribere commode, multo minus ornare tot inſignia facta, & res præclare geſtas potuit: Principes uero ipſi magis effectores magnarum rerum, quàm oſtentatores eſſe ſtudebant. Hinc factum eſt, ut multa illuſtriſſima, & admirabilia uirtutis opera, diuturnitas temporis & obliuio aboleuerit: quædam tamen, uelut ex incendio aut ruina erepta, ad noſtræ uſq; ætatis memoriam permanarunt. Ex quibus facile adparet, quàm multa præclara, & immortali fama atque admiratione digna, interierint, & uel hinc æſtimari poteſt, quantum ſit in rebus humanis literarũ beneficium, quibus debemus, quod aliquid, quidquid eſt, adhuc eorum reſtat, quodq; non ad unum omnia, unà cum corporibus, eodem puluere obruta ac ſepulta ſunt. Nos uero ijs, quæ extant, perfrui decet. Quapropter hiſtoriam quandam rei, à Chunrado Sueuo Imperatore geſtæ, hoc in loco, ut potero, commemorare decreui, in qua uidere eſt inſigne exemplum pietatis, humanitatis, ac ſummæ moderationis. Eam dum breuiter ex-

ter expono, uos benigne spero, pro uestra facilitate atq; æquanimitate auscultaturos esse. Gessit hic, quē dico, Imperator Chunradus Sueuus, cū alia multa bella, propter legum & iusticię defensionem, & cōponendam ac stabiliendā in Imperio pacem, tum uero cōtra Guelfum diuturnum, uarioq; euentu bellum gessit. De cuius belli causis, non dicam in præsentia, ne mihi, dum singula persequor, accrescat oratio, quam ego, ut breuis sit, in pauca redigere studeo, sed tamen satis graues ac necessarias fuisse constat: Nam nostri homines nō temere, nec leuibus de causis, bella suscipere, aut arma mouere consueuerunt. Erat autem ille Guelfus Bauarorum Princeps, & nonnulla Sueuiæ oppida tenebat. Atq; ab ea familia Comites à Zollern, deinde originem duxisse, argumento est, catulus insigne gentilitium eius familiæ, quem & Marchiones Brandenburgenses, qui eosdem sui generis ac sanguinis authores ferunt, ut uetustæ originis monumentum in galeis gestant. Inter hunc igitur Guelfum & Chunradum Sueuum, cū per aliquot annos, uariante fortuna euentum, belligeratū esset, & anciptiti sæpe Marte pugnatum, uulnera multa nunc illata, nunc uicissim accepta, tandem cōstitit id bellum ad oppidum Vuinsberg. Quem in locum Guelfus omnes uires suas contulerat, eumq; communierat, ut, cum armis tutare impar esset, uallo ac mœnibus sese tutaretur. Obsessus est igitur à Chunrado, & post multas ac difficiles oppugnationes, quas sustinuit fortiter, tandem armis, & extremo humanorum malorum, fame expugnatus, coactus est irato victori, quibuscunq; conditionibus, se & suos dedere. Ibi Imperator præcepit, ut Guelfus, cæteriq;, qui cum eo obsessi fuerant, Barones & equestris ordinis

dinis uiri uincti in custodiam traderentur, ut in eos iure belli propter rebellionem animaduerteret, oppidum à militibus diriperetur, ciues uitam ac libertatem retinerent. Tunc Guelfi, cæterorumq; nobilium uxores, antequam portæ aperirentur, petiuerunt, ut sibi saluis abire liceret, portantibus de suis rebus, quantum unaquæque posset. Quod cum à clementi uictore & optimo Principe facile impetrarent, capiunt mulieres cõsilium, pium ac memorabile: nam cũ hostes, eas aurum & gemmas, mundumq; muliebrem, aut pecunię aliquid secum elaturas putarent, illæ omnibus his rebus militum prædę relictis, maritos suos in humeros sublatos, & paruos liberos in sinu atq; amplexu tenentes, urbe exportabant. Vidisses agmen mulierum, cuius agminis Dux erat Principis Guelfi uxor, per media hostium castra & tela incedere, gestantium dulcissima pignora sua, & lachrymis profluentibus, atq; hoc ipso facto suam pietatem testantium. Fiebat concursus ex totis castris, ad hoc mirũ nouumq; spectaculum, effundebãtur certatim omnes, uarij interim sermones ferebantur, ita ut fieri solet, alijs humanam sortem, tristemq; casum miserantibus, alijs pietatem & neutiquam muliebre inceptum matronarum pleno ore prædicantibus, nonnullis & indignantibus, ac leges deditionis isto dolo uiolari frementibus: Prodierat & Imperator, militum per tota castra concursatione motus. Qui, ut ingeniosam philostorgiam mulierum uidit, subito ad hoc spectaculum ira, etiamsi nõ iniusta, optimi Principis resedit, amplectitur toto animo illam pietatem, miseretur afflictorum, memoria suę quoq; conditionis, hoc est, mortalitatis, & fragilitatis humanarum rerum animo eius subit, non potest amplius

plius irasci, non potest odisse eos diutius, quos tanta uirtute ac pietate præditos uidebat: Fœlices quidem, quibus à tali victori uinci contigit, at multo fœlicior ipse, qui antea hostem, nunc seipsum, quod non paulo difficilius erat, multo generosiore, ac præclariore victoria superauit. Optabile est, inquit Euripides, in hostē sapientem, nec stolidum incidere, cum hic superior factus tantum sæuire soleat: apud illum uerecundiæ, iusticiæ, ueniæq; locus sit. Hoc, ut in rebus aduersis, neutiquam aduersum contigit Guelfo, ab eo enim hoste uictus est, à quo illi etiam optabile erat uinci. Falisci, cū se ultro dederent Senatui Romano, nō quidem armis eorum, sed iusticia & humanitate Camilli superati: Victi sumus, inquiunt, P. C. à uobis uestroq; Imperatore uictoria, cui nec Deus, nec homo quisquam inuidebit. At nunquid hæc quoq; Chuntradi uictoria talis fuit, quę haud dubie Deo summe placuit, & cui liuor ipse nihil detrahere potuit, nec eius ullam partem sibi fortuna uendicare? Et tamen non deerant ex aulicis, qui id grauiter acciperent, quiq; Imperatori sæuiendi authores essent, ut sunt Principum domus fecundæ crudelibus consultoribus. Et sæpe fit, ut Principe nihil melius sit in aula. Circumsonabāt iam aures eius impijs atq; inhumanis uocibus, iubentium eum suo iure in uictos uti, & collo mulierum detrahere maritos, amplexu matrum liberos auellere, non enim corpora illis uirorum & liberorum donata, sed quantum de ornatu aut rebus alijs quęlibet auferre posset, leges pacis per fraudem uiolari. At tua, inquiunt, Imperator existimatio, & imperij dignitas ac maiestas agitur, ne his impune sit, arma contra te mouisse: quos si ita aperte tibi illudere, & incolumes hinc abire patieris,

non du-

non dubium est, quin importuna hæc clementia plures ad rebellionem sit inuitatura. Magnifice hæc, nec prorsus falso iactabantur, & poterant mentem etiam per se placabilem irritare, præsertim cum callida hæc & specio sa conditionum ac iuris interpretatio crudelitati præte xeretur. Sed erat Chunrado pectus non penetrabile te lo calumniæ, aures non admittentes, nec ad animum perferentes istos sermones: & quemadmodum de La tino Virgilius ait:

Ille uelut pelagi rupes immota resistit,
Vt pelagi rupes magno ueniente fragore,
Quæ sese multis circumlatrantibus undis
Mole tenet, scopuli nequicquam & spumea circũ
Saxa fremunt, lateriq; illisa refunditur alga.

Vtq; sagittæ à duro firmoq; scuto resiliunt, ita isti sermo nes in pectore uirtute roborato non hærebant, sed ani mus tantum in huius pietatis admiratione defixus erat, & ut oculos suauiter uirens color, aut aures dulcis con centus, ita animum generosum totum ceperat, occupa ueratq; conspectus uirtutis: Ego ne igitur, inquit, tantæ uirtuti ac pietati iram meam non condonem, qui sæpe multo leuioribus causis condonauerim? plusq; apud me ualebit offensio prior ad pernitiem horum, quàm præsens admiratio uirtutis ad salutem? Scio quàm dul ce sit ulcisci inimicos, præsertim eos, quibus iuste iraſca ris, sed hoc quoq; scio præclarum & laudabile esse, illum impetum cohibere ac refrenare. Scio decere Regem sæ ueritatem, sed idem non ignoro, quàm non deceat eun dem sæua, & inexorabilis ira, mihi uero horum tacita pietas supplicat. Grauiter illi in me deliquerũt, comme ruerunt pœnam, esto, sed Rex debet se talem præbere ci

uibus,

uibus, qualem sibi Deum uelit: ego autem quàm sæpe, et quàm multo grauius contra Deum pecco? cui si quoties causa est puniendi, toties & uoluntas esset, quæ illi fulmina, quæ tormenta inferorum in meas unius pœnas sufficerent? Nam quod conditiones pacis quasdã durius atq; inclementius interpretari audio, quanto honestius est nos audire uocem nostratũ legum, quæ odia restringere, fauorem uero ampliare iubent? Quanto æquius conditiones pacis flectere ad laudem, nõ ad fraudem? quantoq; Principe dignius, magis ad clementiã quàm sequitiam ingeniosum esse? Cum his atq; alijs hoc genus sermonibus eos refutasset, qui illius crudelis sententiæ authores fuerant, iubet mulieribus nunciari, bonum animum haberent, nec à se quidquam triste metuerent, daturum se operam, ut præmium pietatis apud se positum sentirent: imperat deinde ad se acciri uictos, & ut res etiam suas saluas retinerent, pronunciat, Deq; fœdere ac pace cum eis æquissimis conditionibus egit. Et cepit ubertimum fructum illius clementæ suæ, nemi nem enim deinde fideliorem aut amantiorem sui in imperio habuit Chunradus, q; Guelfum, & qui cum eo capti, uitam ac res suas beneficio Imperatoris retinuerant. Et dignus erat, quem omnes mortales benignissimi ac mitissimi parentis loco amarent, omniq; genere obseruantiæ ac pietatis colerent, qui iram & ius suum in uictos remisit, condonauitq; uirtuti ac pietati, quem non offensæ priores, non præsens dolor & ira, quæ clementiæ, æquitati, moderatis consilijs inimicissima est, eaq; neutiquam iniusta, non ipsa uictoria, quæ natura insolens & superba esse solet, non multipliciter circumsonantes auribus crudeles instigantium uoces perpellere

potuerunt, non speciosus ille conditionum prætextus inuitare, ut sequitur, retinuit eum, non ut Achillem, apud Homerum Pallas, sed pietas, ad eius conspectum statim ira conquieuit cessitq; subijt in locum illius mitis ac placida animi affectio, induitq; eum ipsum habitum, quẽ in uictis perspexerat: tanta uis est uirtutis, ut etiam in hoste habeat ingentes stimulos admirationis & amoris. Præstitit igitur animum plane paternum erga hostes, iudicauit pro peccato magno paululũ supplicij satis esse, ostendit iram & sæueritatem in abdito, clementiam uero in promptu se habere, ad uindictam non nisi coactũ, ad clementiam sponte currere, Et declarauit re ipsa uerũ esse, quod dicitur ἐσθλῶν φρένες ἐναγέσατ. Nam hoc certissimum argumentum est bonæ mentis non esse, μνησικακόν, non tenacem offensarum, hæc proprie diuina uirtus est, & qua homines quàm proxime ad similitudinem Dei accedunt. In magnis igitur & heroicis animis ea præcipue lucet, sicut contra pusilli animi & indomitæ irę laxare frenos, eaq; pro duce, non pro milite uti, & uindictæ nimis cupidi esse, muliebre, neutiquam uirile, multo minus heroicum est. Pallas apud Sophoclem ostendit Vlyssi Aiacem inimicum, in media strage pecudum, quas pro Principibus Græcię per furorem mactauerat, discursantem, & duos è grege grandiores arietes, cui alterum Vlyssem, alterum Agamemnonem putaret flagris cędentem, & interrogat ipsum, ecquam uoluptatem capiat, cum inimicum suum ita in furorem actum, miserumq; ac calamitosum uideat. Cui Vlysses respondet, sibi neutiquam lætum, sed triste magis id spectaculum uideri: Primum, quod cum commiseratione spectet huius uiri, & si inimicus sit, tamen tanta uirtute prædiți,

diti, miserandam sortem: deinde quod suæ quoq; conditionis hoc exemplo admoneatur, & uideat, quanta sit humanarum rerum fragilitas, & quàm homines, qui uiuant, nihil aliud sint, quàm uelut inania sumulachra, & leuis fumus. Laudat hunc sermonem Minerua: Et tu si hoc, inquit, animo fueris, superis charus eris, & uitam fœliciter exiges tuam. Nam Deus insolentes & uindictæ cupidos odit, mites uero, & moderate agentes, diligit. His uocibus Vlyssi clementiam modestiamq; Minerua commendat, quæ uirtus non ab re tantopere prædicatur, quàm enim diuina ac præclarissima est, tã rara, & id quod dicitur reuera heroica uirtus est, utpote quæ paucis, & non nisi heroibus contingit. Magna enim uis est iræ, imperiosa cupiditas uindictæ, præsertim si cum nocendi facultate coniuncta est. Has igitur pestes, hęc monstra in nobis ipsis graſſantia uincere, nonne id Herculeũ est opus? Quàm impotenter ira sua utitur Sylla, qui tot inermium ac deditorum ciuium millia crudeliter post uictoriam occidit, tantum sanguinis in urbe fudit, luctu ac terrore omnia compleuit? Is cum in uicino ad ædem Bellonę sedens, senatum haberet, & miserabilis clamor ac comploratio, tot millium sub gladio gementium exauditus consternasset Senatum, hoc agamus, inquit, P.C. pauculi seditiosi foris meo iussu interficiuntur. Addit crudelitati mendacium, nisi forte pauci uisi sunt Tyranno, cui quenquã bonũ adhuc uiuere dolebat. Theodosius Imperator, ob unius equitis, nec omnino iniuste interfecti necem, septem hominũ millia in urbe Thessalonica contrucidari iussit. Quem cum ob id factum diuus Ambrosius excommunicasset, tandem ad corpus Ecclesiæ iterum recepto, hanc pœnam imposuit, ut

quotiescunq; se iratum sentiret, nullum uerbum prius q̃ alphabetum Græcum ordine recensuisset, proloqueretur, futurum ratus, ut hac mora interposita, prima rabio si affectus uiolentia nonnihil deferuescceret, & memoria admissi per iram crudelis facinoris, per iram patrati delicti, animo subiens, ad saniorem mentem eum, & placabilitatem reuocaret. Hoc remedio usus est diuus Ambrosius ad sanandum morbũ Theodosij. At Chunrado Sueuo nihil talibus ad iram frenandam remedijs opus fuit, quem naturæ suæ bonitas, & conspecta in hoste uirtus statim placauit: uicit non minus fortiter se ipsum q̃ antea hostem uicerat, & ex illa, q̃ ex hac victoria, multo nobiliorem ac glorioſiorem triumphum reportauit Philippus Macedo, pater Alexandri Magni, cum Olynthum, quam diu magno conatu & periculo obsederat, tandem expugnasset. Potitus difficili victoria, dicitur ludos festi ac læticię causa fecisse, quorum lu dorum die cum sacrificasset, & conuiuio amicos suos ac Duces accepisset, in uinum & hilaritatẽ effusus, iussit unumquenq; conuiuarũ aliquid à se petere, quod cuiq; commodum, & dignum esset à Rege peti. Alijs igitur aliud petentibus ac impetrantibus, prout cuiq; usus erat, solus iam restabat Satyrus Comœdus, qui propter artẽ & ingenij dexteritatem præcipua apud Regem gratia erat. Eum cum nihil adhuc petiuisset, inuitant cæteri primum, deinde ipse Philippus, ut quemadmodum alij fecissent, ipse quoq; aliquid peteret, nec donum aut beneuolentiam Regis adspernaretur. At ille: Quando à te iubeor, inquit, Rex, petam id, quod & mihi petere, & tibi largiri maxime honestum iudico. Fuit mihi uetus amicitia & hospitium cum Apollophane Pydnensi, qui cũ ex insidijs

ex insidijs interijsset, metuentes cognati iram Regiam, filias eius paruas adhuc Olynthum, ut ibi tutior uita illis esset, transmiserunt: Hæ nunc capta urbe captiuæ tenentur, nubiles iam, atq; ea ætate existentes, quæ præcipue est opportuna iniurię. Has igitur à te Rex peto, ut eas mea pecunia elocem, ne quid turpe aut indignum nobis atq; illo parente suo per fortunę iniquitatem patiantur. Alij quod sibi lucro arbitrati sunt fore, id à te optarunt, & optatum abstulerunt: ego si impetrauero dotem, insuper de meo addidero, hanc fidę memoriæ extincti amici, & relictis ab eo filiabus, debere me existimans. Ad hunc sermonem à toto conuiuio plausus cum approbatione excitatus est, Victusq; Philippus iussit puellas Satyro adduci, atq; in manus tradi, admiratus hominis fidem & in colenda amicitia constantiam, & insuper dotem Rege dignam adiecit. Etsi Apollophani ac toti familiæ ipsius non immerito irascebatur, is enim ex coniuratis unus fuerat, à quibus Alexander Philippi frater per insidias interfectus fuerat, condonauit tamen iram, ac ius suum in captas pietati Satyri, atque eum deinde magis charum habuit. Digni laude uterq;, ille, quod fidem amicitię propria utilitate potiorem duxit, maluitq; cum periculo amicis, q̄ tuto sibi consulere: hic quod digna tali Principe placabilitatem, atq; clementiam erga inimici filias præstitit, nec iram apud se plus ualere, q̄ uirtutis admirationem passus est. Sed non paulo maiorem laudem meruerunt Germanicæ matronæ q̄ Satyrus: Hic enim aliquid commodi amici causa proiecit, uenit in periculum ne excideret beneuolentia Regis: illę in humeris maritos liberosq; per medios hostes extulerunt, in quibus indolem longe maiorem illo sexu, ac ue-

terum heroinarũ similem fuisse adparet, quas non tot armatæ manus, tot gladij, ac circumstantia tela retinuerunt, quin unà cum suis, si quid periculi esset, subirent, & potius semel unaq; perirent, q; solæ in orbitate ac luctu, quod reliquum esset uitę, exigerent. Laudantur in histo rijs Romanis priscæ Sabinę, quod precibus & intercursu suo prælium inter maritos ac parentes diremerũt. At quanto iustius laudantur nostrę, quæ longe pulchriore facinore pacem confecerunt? Illustri & ad omnem posteritatis memoriam celebri facto pietatem suam erga coniuges declararunt Minyarum uxores, cum enim uiri ex ea familia omnes, numero circiter xxx. propter affectati suspicionem regni à Spartanis publicæ custodiæ inclusi, & supplicio capitali iam destinati essent, quod cũ uetere instituto Lacedæmoniorum nocturno tempore passuri essent, coniuges eorum ex nobilissimis familijs natæ, cum uelut postremum allocuturæ perituros uiros à custodibus aditum impetrassent, carcerem ingressæ, commutataq; cum maritis ueste, per simulationem doloris uelatis capitibus eos abire passæ sunt, sua corpora pro illorum salute, supplicio & præsenti periculo offerentes, digne quidem, quę in eam familiam Principum nuberẽt, quæ uetustate, nobilitate, & uirtutis fama olim clarissima fuit. Nec minus periculoso, ac non paulo generosiore consilio suos maritos Guelfi & Germanorũ coniuges liberarunt. Hæ enim non nocturno dolo fallentes, sed aperta & plane Germanica uirtute, media luce palam, inspectante toto exercitu, tantum facinus tantoq; cum periculo ausæ sunt. Varias occasiones declaran dę uirtutis ac pietatis sæpe casus & fortuna, sępius huius miseræ uitæ multiplex uicissitudo ac necessitas offert.

Quædam

Quædam suos parentes, ne fame perirent, cum alia uitæ subsidia deessent, suis uberibus lactasse dicuntur. Quem admodum de Cimone quodã memorant, qui uir iam magnus natu, cum capitis damnatus, atq; in custodiam ut ibi fame necaretur, traditus esset, filia, impetrato à custodibus aditu, quotidie patrem inuisere solebat, sed nõ nisi prius excussa, ne quid ei quod esui esset, afferret. At illi tandem admirati senem tam diu absq; cibo uitam sustentare, cũ mulierculam curiosius obseruarent, animad uerterunt eam exerta mamilla patrem lacte suo alere, perculsiq; tam mirabilis spectaculi nouitate, rem iudicibus ac Magistratibus indicant, qui tantæ pietati eum honorem habuerunt, ut patrem filię condonarent. Quem non commoueat ista omnem laudem ac prædicationẽ exuperans ἀντιπελάργωσις? At nostræ, quę maritos & liberos per media hostium arma extulerunt, si quod tale tempus incidisset, haud dubie nullum, quod ab humana mente cogitari potuit, amoris aut pietatis officiũ pro redimenda suorum salute recusassent. Nam si quis ipsam pietatem pingere uellet, quam aliam eius imaginem apud animum concipere posset aptiorem, q̃ si matronam, liberos & coniugem per media hostium arma ex capta urbe efferentem pingeret? Ita Aeneam suum Virgilius confectum senio parentem ex incensa urbe in humeris exportantem fingit, cũ hunc haud dubie summum pietatis gradum ei tribuere uellet. Prędicat etiam Tacitus uirtutem ac constantiam fœminarum Germanicarum, atq; ex hoc facto satis apparet, quæ fuerit grauitas, pietas, uitæq; ac morũ sanctitas in hoc sexu, apud maiores nostros. Cæterum omnem laudem exuperat incredibilis, ac plus q̃ heroica placabilitas & clementia

Chunradi

Chunradi, quem cum consiliarij, commemoratis haud quaquam uulgaribus offensis, ad sæuiendũ inuitarent, respondit, non sibi placere odio, & ira, sed potius pietate ac benignitate cum hostibus certare, quemadmodũ apud Sophoclem Antigone humanissime ait, ὁ πρὸς τὸ συνέχθειν ἀλλὰ πρὸς τὸ συμφιλεῖν se natũ esse, Ita Chunradus proposuerat sibi inimicitias mortales, amicitias uero immortales esse debere. Merito prædicatur moderatio Thrasibuli in uictoria, qui urbem Athenarum à triginta tyrannis liberauit, quod multum de iure suo, quo sine reprehensione ut uictor uti potuisset, multum de iustissimo dolore remiserit. Sed magis etiam laudatur, & præclaram illam ἀμνησίαν sanxerit, qua concussum ac labentem ciuitatis statum in pristinum habitũ nonnihil restituit. Sed multo stabiliorem ἀμνησίαν sanxit Imperator Chunradus clementia sua, & parcendo ignoscendoq; arctius sibi animos hominum deuinxit, q; ullis legibus, uiribus, aut ulla seueritate potuisset. Hoc fuit primissimum atq; immortale fœdus, quod ortum à pietate & à clementia firmauit iusticia, ad probauit ipse Deus. Sed hæc quoq; laus non dissimulanda est, plane digna Germano Principe, & nõ passus est illa callida conditionũ interpretatione, & specioso iuris prætextu sibi imponi. Ex quo facile adparet, quãto pere nostri maiores ueteres Germani delectati sint simplicitate et probitate, quamq; longe abfuerint ab huius calamitosi, & tragici seculi uersuta & perplexa sapientia: placebat illis nuda & Germana ueritas, callida, insidiosa, fucataq; omnia peius oderant q; mortem & infernum. Et cũ uera uirtute niterentur, hoc studio habebant, ut non ui, sed clementia, non metu, sed fide, amore, ac beneuolentia ciuium stabiliret imperium,

imperium, sapientia illis erat omnia in meliorem partẽ interpretari, non calumnioſe & uafre inuertere. At hæc unica hoc tẽpore ingenij laus eſt, ſi quis quod ſimpliciter ac recte factũ dictum´ue eſt, arte contorquere, & malitioſe uerſuteq; interpretando deprauare nouit, idq; eo indignius eſt fieri, ac propeiam pro uirtute haberi, in ea gente, quæ ſemper candoris, probitatis, ac ſimplicis ueritatis amica fuerit, eamq; laudem præ omnibus totius orbis nationibus, inde uſq; ab antiquis temporibus obtinuerit, unde et hoc nomen ſortiti putantur Germani, q; natura ſimplices, aperti, candoris, ac libertatis amantes eſſent, nunc uero ueneno peregrinarum ac peſſimarum gentium, noſtrorũ hominũ ingenia inficiuntur, & Deũ immortalem, q; longe degenerant à maiorum uirtute? Quos ſi ueteres illi Germanici Heroes, Caroli, Henrici, Othones, Friderici, atq; hic ipſe, de quo nobis in præſentia ſermo eſt, Chunradus, ita moribus & ingenijs mutatos corruptosq; uideãt, q; eos miſeraturos putemus Germaniæ ſuæ ſtatum, quam illi omni genere ornamentorũ belli ac pacis decoratam munitamq; reliquerunt? Non tuti fuerunt olim Turci ab eorũ armis in intimis Aſiæ ac Syriæ angulis, quos nunc in ueſtibulo Germaniæ omni genere immanitatis impune graſſari uidemus: ſed deſino cõmemorare publica mala horum temporum. De laudibus Chunradi Sueui et ueterum Germanorũ mihi inſtituta eſt oratio, quorum ſi nos integritatem ac uirtutem imitaremur, nec eam peregrinorũ morũ colluuione miſceri corrũpiq; pateremur, haud dubie ſucceſſum quoq; fœliciorem omnibus in rebus eſſemus habituri, & Remp. nõ minus florentẽ poſteris noſtris tradituri, q; à maioribus accepimus. Pſylli gens Lybica ſoli ex omni

bus mortalibus dicuntur, à natura uim insitam cõtra ue nena habere, ita ut impune in medijs serpẽtibus & atro cissimis uenenis habitare possint, eam uim in sanguine retinent, ac inter se propagant, nec cũ alijs hominibus miscent aut communicant, sedulo tamen conferunt ad salutem hominum, ut Lucanus ait:

Nec tantum gens illa sua contenta salute,
Excubat hospitibus, cõtraq; nocentia monstra
Psyllus adest populis.

Cumq; puer apud illos in lucẽ æditus est, statim eum abreptum à matre in medio aspidum collocant. Ita τὸ γνήσιον generis & sanguinis explorantes, à quo uenena fugere uident, eum agnoscunt et amplectuntur pro suo. Quemadmodum & aquilæ marinæ suos fœtus contra aduersos solis radios sistere dicuntur, quiq; per diem eos recto obtutu ferunt, pro suis fouent ac nutriunt, quos uero ad lumen solis cõniuere uident, ut adulterinos & nothos in mare abijciunt. Ita Germani nostrum natiuum candorem, naturam apertam ueri rectiq; ac lucis amantem, uelut sanguini nostro genericq; tueri ac conseruare debebamus, & si quẽ inter nos ingenio recto, obscuro, perplexo, ambagum ac tenebrarum amanti esse uidere mus, eum ut degenerẽ ac nothum odisse atq; detestari.

Ita in hoc exemplo quod recensui, trium præclarissimarum uirtutum imaginem expressam uidemus, nempe, pietatis, clementiæ, & candoris. Quibus cũ hic mundus nihil pulchrius aut præstantius habeat, nec homine dignius, nos quoq; eas amplecti & colere decet, præsertim cum à maioribus nostris ueteribus Germanis tam sancte cultas uideamus.

Dixi.

De Im-

DE IMPERATORE FRIDERICO Barbarossa Declamatio.



Tsi studium atq; consilium eorũ magnopere probo, qui huc clarorum uirorũ, qui floruerunt apud Græcos aut Latinos, historias afferunt, plurimum enim refert nos q̃ maxime instructos esse cognitione historiarum, tamen ut mihi quidem uidetur, aliquanto utilius est sumere operam in illustrandis ac recitandis domesticis ac patrijs rebus, quàm peregrinis. Primũ enim efficacius mouent animos domestica exempla, quia turpissimum est, degeneres uideri. Deinde pleraq; negocia præsentia magis ex maiorum nostrorum rebus gestis iudicanda sunt, quàm ex historijs illorum, qui in alia Repub. in alia forma imperij floruerunt. Quare cũ in hac forma Reipub. in rebus gerendis multa à patrijs historijs sumenda sint, conuenit nos non tantum in peregrinis rebus curiosos esse, &, ut dicitur, foris sapere, sed res nostræ inquirendę atq; cognoscendę sunt, & sciendum, ut monet Homericus uersiculus:

ὅστι μὰν ἐν μεγάροις ἀγαθόντε κακόντε τέτυπται.

Quid quod etiam pietas quædam est, sumere operã in ornandis atq; illustrandis patrię rebus, ut Poeta inquit:

Et pius est patriæ facta referre labor.

Postremo ad hanc styli exercitationem plus cõducunt hæ materię, quia peregrinæ res extant ab eloquentissimis scriptoribus tractatæ, à quibus facile est nõ solũ causas, sed etiam ornamenta mutuari. Sed Germanicæ res literarum lumine carent, & cum undiq; ex uarijs autori-

bus res colligendę sunt, tum nos ipsos addere ornamen
ta oportet, quorum utrunq; & iudicium in inueniendo
ac distribuendo, & ingenij uim in eloquendo uarie exer
cet. Atq; eo cæteros etiam studiosos optarim in Germa
nicis rebus ornandis elaborare, quia uideo Principes no
stros laudatissimis Regibus atq; Imperatoribus, Græcis
& Romanis, omni uirtutum genere pares esse. Quare
institui orationem de Friderico Aenobarbo, cuius & si
res gestas commemorare omnes non possum, tamen
quædã eligemus, ex quibus eius magnitudo animi atq;
consilij, fides, constantia, pietas existimari poterunt, ut
intelligatis nullam ei uirtutem dignam uiro magno &
bono Principe defuisse. Peto autem à uobis ut ęquo ani
mo hanc meam declamationem audiatis, qua in re uos
quoq; pietatis laudem auferetis, si eorum studium, qui
sumunt operam in patria ornanda, probare uos signifi-
cabitis. Etsi autem solet initio multis encomijs de gene
ris nobilitate dici, quia semina uirtutis propagari à bo-
nis parentibus in posteros existimantur, tamen ego hic
breuior ero, quia nõ potest esse obscura nobilitas eius ui
ri, qui in familia Imperatoria natus est: Conradus enim
patruus Friderici fuit Imperator. Illa uero maior laus
est, q̃ non solum non degenerauit à maioribus, sed etiã
ingenio & uirtute eos longe superauit. Est & illud indi
cium præclaræ & generosę indolis, quod cum imperiũ
multi potentissimi Principes ambirent, tamẽ Electores
hunc iuuenem omnibus prætulerunt, quod nõ accidis-
set, nisi eluxisset in eo singularis indoles, quæ spem facie
bat futurum patrem maximis rebus gubernandis & ge-
rendis. Neq; uero fefellit hanc spem Electorum, statim
enim initio Imperij moderatione ac uirtute perfecit, ne

quenquam

quenquam huius iudicij pœniteret. Nam cũ accepisset imperium, nihil prius habuit, quàm ut domi pacem sine publico motu & consilio potius quàm armis constitueret: Dissentiebant enim inter se Bauarus & Austriacus, potentissimi, ut nunc quoq; Germanię Principes. Erat autẽ cõtentio de finibus, & bellum parabat uterq;. Quod si non esset oppressum diligentia Friderici Imperatoris, exitiale fuisset uniuersæ Germanię. Etsi autem Fridericus utriq; cognatus erat, tamen Austriacum proprius attingebat. Itaq; hic specimen egregium moderationis atq; æquitatis suæ præbuit. Non enim hunc prætulit Bauaro, non magis cognati partes tuendas sibi putauit, quàm in commune paci consulendum. Imò cum propter cognationem plus ualeret apud Austriacum, persuasit ei, ut de suo iure potius concedere ac regredi, quàm progredi uellet, daret hoc publicæ paci Germanię, daret auspicijs sui imperij. Et ut hanc iacturam facilius ferret, auxit honore familiam Austriacã. Cum enim antea Marchiones essent, tunc ab Imperatore Ducali titulo ornati sunt. Ita & Bauaro æquitate Imperatoris amplificati sunt fines, & causa ingentis belli sublata est. Quantum autem laudis hæc moderatio in principe meretur non est obscurum. Nulla enim uirtus gratior est in Principibus, & Reipub. magis necessaria, quàm priuatis affectibus & commodis publicam salutem suæ patriæ anteferre. Nulla est uictoria glorioſior, quàm cohibere animum, & de proprio iure aliquid propter communem tranquillitatem remittere. Quàm multas legimus ciuitates euersas esse Principum ambitione, & pertinacia, qui maluerũt omnia potius miscere, ac in casum dare, & uideri uel tantillum alijs ciuibus cessisse. Hæc

una fuit causa ciuilium tumultuum Romę Marij, Syllæ, Pompei. Sed nihil opus est uetera recitare: tota uita exemplorum huius generis plena est. Iure igitur Friderici consilium laudandum est, qui cum ipse moderatione summa usus est, tũ uero cognato Principi autor fuit, ut pacis publicæ causa nonnihil de iure suo concederet. Exteri homines ac nimium φίλαυτοι nostros Imperatores appellant barbaros, & impetu magis animi q̃ ratione gessisse omnia iudicant. Sed cum alia infinita uostrorum Principum sapienter moderateq; facta, testantur eis iniuste barbariem obijci, tum uero hæc Friderici pacificatio declarat ei nec prudentiam in conciliandis uoluntatibus Principum, nec grauitatem defuisse, dum publicam tranquillitatem priuatis affectibus prætulit. Hæc auspicia imperij ipsius, & ipsi autoritatem beneuolentiamq; conciliarunt, & spem omnibus gentibus iusti & moderati imperij præbuerunt, quo neq; optabilius quidquam accidere prudentibus, neq; pulchrior res & admirabilior existere ulla potest. Etsi autem æquitatem animi ne armatus quidem deposuit, tamen magis lucet eius uirtus in his rebus quas bello gessit, quàm in toga. Cumq; uarię sint ingeniorum in Imperatoribus species, in alijs cunctatio laudatur, in Alexandro, in Iulio celeritas, hic noster Imperator, Alexandri aliquanto similior fuit dimicandi cupidus, nusquam detrectauit pugnam etiam locis iniquis, obsidiones uix unquam soluit, neq; tamẽ otiosus assedit in castris, sed continuo oppugnans urbes, instabat hostibus, ut cum interualla ad quiescendum nõ satis commoda haberent, tolerare obsidionẽ diu non possent, ipse in acie inter antesignanos pugnare, in oppugnationibus primus ascẽdere muros, denique præstan-

præstantissimi Ducis & fortissimi militis opera omnia obire solebat. Itaq; semper maxima celeritate ingentia bella confecit. Primum bellum cum Danis gessit, cuius gentis olim quoq; summam fortitudinem fuisse, historiæ Cimbrorum testantur, qui quàm formidabiles fuerint urbi Romę, quoties trucidauerint Romanos exercitus, non ignoratis. Hodie etiam tanta Danicæ gentis fortitudo, tantus usus militiæ est, ut nihil degenerasse à Cimbris illis ueteribus uideantur. Occupauerunt Dani Lubecam, & exercitus toto illo littore habebant firmissimos. Sed Fridericus cum iudicaret utilissimum esse, primum rursus eripere hostibus belli, arcem ac receptam Lubecam obsidione cinxit, sperans fore, ut hostes liberaturi urbem periculo, pugnandi copiam facerent. Nec fefellit Fridericum hoc consilium. Itaq; cum aliquot præliis, quæ interea dum urbem obsidet commissa erant, superior fuisset, recepta Lubeca, cũ nollet implicari diuturno bello, præsertim in illis locis, & gentem fortissimam sibi conciliare, & adiungere certis conditionibus mallet, facile obtinuit autoritate sua, ut Rex Danicus ad se in castra ueniret, de pace collocuturus. Ibi exponit Imperator se bellum suscepisse, non ut aliena appeteret, sed ut fines suos tueretur: Idem si Dani facerẽt, ac suo regno contenti essent, se non solum pacem cum eis facturum esse, sed eorum amicitiam etiam expetere, quia inuitus bellum gereret cum ea natione, quam iudicaret cognatam Germanicæ. Dani non tam fracti armis (&si Imperator non solum prudentia & fortitudine singulari, sed etiam magna fœlicitate bellum illud gesserat) quàm capti iusticia & humanitate Imperatoris, pacis conditiones accipiunt. Ita bellum ingens & periculosum non

solum

solum armis, sed etiam æquitatis opinione confecit, & Regem uicinum sibi deuinxit. Hęc Regum societas atq; amicitia diuturnam & certam pacem illis locis peperit. Postea ingressus Italiam, Romę de more coronatus est. In eo itinere Mediolanenses nō tam armis q̄ autoritate compescuit, qui cupiditate dominationis uicinas quasdam ciuitates iniuste occupauerant. Sed hæc lenitas postea occasio fuit ingentis belli: Postquam Imperator in Germaniam redijt, Mediolanenses Imperatoris lenitatem interpretantur esse metum aut animi mollitiem. Quare iam despondent sibi imperium Longobardiæ, sollicitant ad bellum potentissimas quasq; Italiæ ciuitates. Queruntur sibi ius quarundam ciuitatum ademptū esse. Hortantur ut communibus copijs Italię libertas defendatur. Hæc fuerunt asperrimi & diuturni belli initia. Cum autem Fridericus intelligeret Italiam totam in armis esse, summa celeritate exercitum in Italiam ducit. Historia est longior, q̄ ut in declamatione recenseri tota possit. Sed excerpam quædam facta, quæ ostendunt & quanta animi magnitudine fuerit ipse Fridericus, & quantos motus quanta celeritate oppresserit. Itali exercitum in ulteriore ripa Abduę habebant, Germanus in citeriore. Cumq; arbitrarentur Itali se tutos esse propter flumen, ferociter prouocant Germanos: In ipsum etiam Imperatorem conuitia superbissime dicunt. Etsi flumen intumuerat, ut traijci exercitus sine periculo non posset, tamen Fridericus impatiens contumelię, traducere exercitum asseruit, & flumini se primus committit. Exemplum Imperatoris sequuntur primum equites, deinde & legiones: Non munierunt Itali castra, non instruxerunt aciem, quia loco se tutos fore putauerant. Ita in impa-

in imparatos subito facit impetum Fridericus, & totum Italicum exercitum fudit & fugat. Hæc una victoria pro pemodum totius Italię possessionem Imperatori restituit: Nam hostibus repressis, multas deinde ciuitates occupauit, socios confirmauit, & præsidia certis oppidis imposuit. Erat iam debellatum, nisi Ecclesiasticum schisma rursus inflammasset hoc bellum. Romæ duo Pontifices creati erant, quorũ alter Alexander, Imperatorem anathemate execratur, propterea quod Imperator uideretur alteri magis fauere. Incendit Alexander uniuersam Italiam, ac præcipue Venetos, aduersus Fridericum. Semper ambitio pontificum & ordinum Ecclesiasticorum ingentes tumultus peperit. Non leuiter autẽ initio perturbatus est Fridericus mentione anathematis, scribit ad collegium Cardinalium, ut res dijudicentur. Sed Alexander uetat cognitionem, propterea quod haberet in partibus maiorẽ Italiæ partem, & Gallos: Et ne quid à Cæsare periculi esset, recepit se in Galliam. Mouit hæc contumelia animum hominis Sueui, quare iratus, bellum acerrime gerit, multos hostium exercitus delet. Et quia Mediolanensium præcipuæ fuerant in ea coniuratione partes, Mediolanum ui captum diripit, diruit, ac solo æquat: Reliqua Longobardia recepta, in Germaniam reducit exercitum, quia Italia pacata, cæteras iniurias persequi noluit. Sed belli autor Pontifex Alexander è Gallijs redit in Italiam, cum iam tranquillam esse uideret. Inflammat Venetos, ut bellum instaurent. Deficiunt ad eos multæ aliæ ciuitates. Hæc coniuratio reuocauit Imperatorem in Italiam, ubi rursus recuperata Italia, cum Pontifex uideret se Romę non satis tutũ esse, habitu nautico fugit, ac se Venetias contulit. Ad extre-

mum cum alter Imperatoris filius in acie cecidiſſet ad Bononiam, alter natu minimus à Veneta claſſe interceptus eſſet, oblitus iniuriarũ, de cõmuni pace agi paſſus eſt, quod ut faceret, mouerunt eum præcipue cauſę publicę. Tanti enim tunc erant in Aſia Saladini fœliciſſimi Principis ſucceſſus, ut niſi Imperator ei occurreret, uiderentur breui non in Syria tantum, ſed in tota Aſia regnaturi Mahometiſtæ: Et Italia feſſa ubiq; pacem petebat. Credibile eſt autem præter has publicas cauſas multũ ualuiſſe etiam paternum dolorem. Nam cum domeſtica uita Friderici plena fuerit humanitatis ac pietatis, haud dubie etiam ualde fuit φιλόσοφος, ut nunc quoq; in Germanis uehementiorem uidemus eſſe liberorum amorem, q̃ in cęterarum nationum hominibus. Mouit igitur Fridericum, extincto altero filio, capto altero, paternus dolor, ut animum ad pacem conſtituendam adiiceret, præſertim cum ipſe ſemper à bello abhorruiſſet, & coactus ſcelere Pontificis ſumpſiſſet arma. Itaq; tandem conuenit ita, ut Fridericus Venetias ueniret, & ibi ſe ad pedes Pontificis abiiceret, & abſolutionẽ peteret: Deinde conſtituta pace in Italia, duceret exercitum in Aſiam. Has conditiones Fridericus, & ſi armis adhuc fuerat ſuperior, accepit, tamen Venetijs abiecit ſe ad Pontificis pedes, petiuit ueniam. Nec fuit contentus Pontifex hac Imperatoris modeſtia, qui erat factus ſupplex, ſed addidit contumelias inſignes: Pedem collo Imperatoris impoſuit, & iuſſit acclamari: Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis. O inauditam ſuperbiam & tyrannidem. Ethnici Reges ac Duces reuerentia regĩ nominis etiam ui captos Reges ſępe honorifice tractarunt. Certe ſimili ſuperbia aduerſus Regem in pacificatione nemo

unquam

unquam usus est. Itaque generosus animus in hoc ipso spectaculo ostendit se indignitate rei moueri. Fridericus enim palam interpellauit Pontificē: Non tibi, inquiēs, sed Petro. Significabat enim se factū esse supplicem nō huic Tyranno, sed Apostolicæ autoritati. Reclamat Papa tyrannicè: Et mihi & Petro. Sic impetrata absolutione, Fridericus priusquā traijcit exercitum in Asiam, sumpsit sibi aliquantulum temporis ad pacem legibus muniendam, Mediolanum instaurari curat, & fert leges, quas uocant de pace constantię, quarum beneficio hodie quoq; melius reguntur Respublicę: Extant enim in iure, & earum autoritas in primis ualet. Multa sunt in hac historia memoratu digna exempla: Monet enim, quanta sit pestis Rerumpub. ambitio in Principibus Ecclesiasticis: quanta sit uirtus, obliuiſci iniurias, & condonare eas Reipub. prętera qualibus exemplis Pontificia tyrannis creuerit: Sed nolo hæc omnia persequi. Illud mireturaliquis, quomodo ita frangi ingens animus Fridericiotuerit, ut & supplex fieret in causa meliore, & insuper supplicem se affici tanta contumelia sineret. Certe non abiecit animum metu aut desperatione uictorię. Vicerat enim hactenus, & præcipuam Italiæ partem tenebat. Nec tantæ Venetorum opes tunc erant, ut sunt hodie: At ne nunc quidem pares sunt nostris Imperatoribus. Præterea Fridericus & si uno atq; altero prelio eius legati uicti erant, tamen ipse cum esset Imperator usu peritus & fœlix, & dimicandi cupidus, non propterea de summa rerum desperauit. Meo iudicio cū publicę causę hortarentur eum ad pacem, & uellet concordiam in Europa firmam constitui, reuerentia loci Apostolici & religione motus est, ut non recusauerit fieri supplex. Audie-

tat & Theodosium antea ab Ambrosio ueniam errati petiisse. Magna autem uis est religionis, cum in omnibus bonis uiris ubiq;, tum præcipue in Germanis, quos multa exempla testantur, magna constantia religionē non solum uitæ ac fortunis, sed etiam dignitati anteponere solere. Cessit igitur de suo iure non metu, non imbecillitate animi fractus, sed quadā religionis opinione, quæ in animis bene institutis ualere plurimū debet, adductus. Et cessit utilitatis publicę causa, ut constituta firma concordia in Europa, latrocinium Mahometicū in Asia reprimi posset. Quod si Ennianum illud iure laudatur, quod dē Fabio dictum est:

Non ponebat enim rumores ante salutem.

dignus etiam laude Fridericus erit, qui dignitatis iacturam æquo animo tulit propter communem salutē. Præterea arbitror eum, etiamsi petendę absolutionis causa, non dubitauit se ad pedes Pontificis abiicere, tamen reliquas ei contumelias accidisse præter opinionem. Homo Germanus, minimeq; suspicax, nō præuidebat Pontificem tanta usurū esse superbia & crudelitate erga Regem supplicem, cuius consilia omnia spectabāt iam ad defensionem totius Christiani nominis, non arbitrabatur fore, ut insultaretur atq; illuderetur sibi uelut Iugurthę in triumpho. Illa immanitas credo homini Germano non uenit in mentem, unquam fore, ut sacerdos, qui debet modestię exemplum esse, ceruici Imperatoris pedes imponeret, & adderet acclamationes contumeliosissimas. Hæc si præuidisset, ut ego quidem ratiocinor, pertrahi in illud spectaculum non potuisset: aut si præuidit, haud dubie nulla res alia, nisi honesta de religione opinio, animum uere Achilleum inflexit. Sed quid

ego

ego Fridericum excuso? qui etiamsi uidetur dignitatem non satis uehementer defendisse, tamē culpa est potius Pontificis, ā quo orta est iniuria: Quare potius accusanda est Pontificis superbia & crudelitas. Quantum enim sit in hoc facto sceleris & turpitudinis, ex eo existimari potest, ꝙ nullum simile exemplum usq; in ulla historia ullius gentis, nedum Episcoporum, reperitur. Primum causa excommunicationis iniusta fuit: Sed finge fuisse probabilem, oportuit tamen Pontificē petenti ueniam dare: Deinde Pontifex non debuit afficere contumelia dominū. Sed omitto hanc subtilem de Christiana modestia disputationē, quæ iam olim Romæ explosa atq; exibilata est, nec putatur magis conuenire Principibus, q; illæ ridiculę Stoicorum sententiæ, in quibus dicitur, Solos sapientes esse formosos diuites. Cōmune ius gentium uideamus, quod omnes Reges, nisi malunt esse tyranni, seruare solent. Violari creditur ius gentium, si ueniens Rex ad pacem petendam, contumelia afficiatur: At Fridericus cum quidem esset uictor, uenit non ad pacem petendam, sed absolutionem, in qua maior etiam religio inest. Hic Pontifex uictorem uenientem in colloquium ac deliberationem de communi salute orbis terrarum, non aliter tractat, q; Vlysses Polyphemus in antro conclusum. Addit absolutioni contra diuina & humana iura Cyclopicam immanitatē. Sed his exemplis immoderatam potentiam ac tyrannidem suam confirmare Pontifices conati sunt, quę cū diu iam fuerit Ecclesię pernicies, optandum est, ut tandem aliquando Synodorum authoritas liberet iniusta & impia seruitute Ecclesiam. Reges decebat dignitatis suę causa impatienter hanc seruitutem ferre, & ulcisci iniurias Regibus factas.

Sed si hæc causa nihil mouet eos, debebant tamen consulere Ecclesiæ saluti, & cohercere immoderatam potentiam: Nulla enim res magis inimica atq; infesta est Ecclesiæ, q̃ tyrannis. Verum hanc disputationẽ reijciamus ad futuram Synodum, si quid tamen ibi loci erit ueris deliberationibus. Nunc ad Fridericũ redeo, qui post q̃ ea quæ ad pacem, se absente, retinendam in Germania & Italia necessaria erant, summo consilio prouidit atq; constituit, legibus etiam optimis latis, contraxit ingentes copias, easq; magna celeritate Bizantium duxit, ut in de in Asiam traijceret. Hanc expeditionem non ambitione aliqua aut superstitione susceptam putate: Nam Saladinus capta Hierosolyma, & occupata ferè tota Syria, iam Ciliciam & Armenias, quas ad id tempus tenuerant Imperatores Constantinopolitani, inuaserat, Emanuelem etiam Constantinopolitanum Imperatorem ceperat. Nullius Mahometici Ducis antea uirtus ac fœlicitas tanta fuerat, multos exercitus Christianos diuersis locis cõciderat. Quare nisi reprimeretur, facile tota Asia potiturus uidebatur. Hoc tantum periculum, & ut ego existimo, etiam quædam heroica indignatio excitauit ingentem animum Friderici. Intelligebat sui officij esse, ut tam crudele latrocinium à Christianorũ finibus ubicunq; posset, depelleret. Existimabat etiam sibi turpe fore bellatori tanto, si domi ocioſus spectaret grassantem uictorijs hostem Christiani nominis. Itaq; iustum et piũ bellum ingenti animo mouit. Perfecit etiam, ut Richardus Rex Angliæ duceret exercitum in Asiam, ad recuperanda maritima loca. Fridericus cum suis copijs in mediam Asiam ingressus est: Nec defuit Deus honestis consilijs. Tanta enim subito omnium rerũ mutatio in Asia

& Syria

& Syria facta est, ut Saladinus, qui antea deleuerat multos Christianorum exercitus, lateq; uagatus erat in bona parte Asiæ, nunc tueri ea quæ tenebat, non posset, Fridericus ei Cilitiam eripuit, fusis & deletis Saladini exercitibus: Alibi ad littus Rex Angliæ multas ei urbes ademit. Ita cum in ipso uictoriarum cursu Saladinus repressus esset, Asia seruitutis metu liberata est. Quantum autem uerę laudis mereatur hic Fridericus, non possum pro dignitate explicare. Primum uoluntas fuit optima, quod occurrendum esse Saladino censuit, ne in seruitutem uenirent Christiani, & ne Mahometistę auctis uiribus latius propagarent suam impietatem. Deinde quantum decus est magnitudo animi, q̃ ausus est procul in Asia quærere hostem, & sumere difficillimam belli partem, quod non deterruit eum fœlicitas Saladini. Quare Fridericum nõ existimabitis mediocrem aliquem Ducem fuisse. Excellens ipsius uirtus, & in armis fœlicitas, satis ostendunt, fuisse Achilleam naturam. Ita enim Saladini uirtutem & fœlicitatem conterruit Fridericus, ut non solum languescere statim Saladini animus cœperit, sed etiam postea diu res Christianorum in Syria fuerint superiores. Potuissentq; tum penitus deleri, aut certe ex Syria & Aegypto pelli Mahometistę ac Turci, quorum nomen tunc primum auditum est, si Fridericus diutius superstes fuisset. Sed fata, ut ego quidem interpretor, urgebant Asiam, & Deus pœnam differre aliquandiu, nõ prorsus remittere uoluit. Cum igitur recuperata Cilicia Fridericus progressus, Saladini exercitus ex Armenia minori expulisset, cum fortè defatigatus labore atq; æstu quem Germani non satis ferre norunt, descendit in flumen, lauandi studio. Ibi alij ferunt eum abreptũ uortice

in flumine

in flumine perijsse: Alij ferunt redeunti ex aqua epar male affectum esse, ut fit: Meministis enim in Cilicia lauantem in flumine, incidisse in letalem morbum. Dicitur itaq; Fridericus epatis morbo intra paucos dies extinctus esse. Hic fuit interitus Friderici imprimis lugendus Reipub. Quo in loco subit recordari fata multorũ præstantium bellatorum, qui cum uirtute summa præditi essent, tamen leuissimis casibus afflicti, perierunt. Achilles dum apparat nuptias, per insidias ab homine ignauo interficitur. Deniq; Aeandę cęteri, Aiax, Pyrrhus, postremo Alexander subita & indigna morte perierũt. Quid dicam Samsonem ipsum, & alios multos, quorũ exitus indigni tanta uirtute fuerunt. Quare propter genus mortis, nihil de laude uirtutis Friderici detrahendũ erit. Sed sit id quoq; exemplum, quod nos admoneat humanæ miserię, quod heroici & fortissimi uiri, sæpe leuibus momentis oppressi, indigna morte pereunt. Illa uero fœlicitati eius tribuamus, quod nõ ante extinctus est, quàm fractus esset Saladinus, & Asia liberata periculo. Domi etiam Respub. tranquilla fuit, designauerat enim successorem filium, ne quid electio tumultum pareret ipso amisso. Itaq; cum fuerit in Friderico fortitudo & scientia rei militaris eximia, & quanquam ipse uarijs iactatus est casibus, tamen cum in armis fœlix etiam fuerit, & profligatis bellis, diuturnę pacis & optimi status autor in Germania & Italia fuerit, deniq; cum repressérit Saladinum, iure bonis Imperatoribus, & heroica uirtute præstantibus Fridericum annumeremus. Postulabat hic locus, ut etiam de domestica eius uita & moribus diceremus, quos egregie prædicat Ligurinus. Et magnitudo rerum testatur eum non fuisse deditum luxui,

aut uo-

aut uoluptatibus: Fuisse in eo præcipuum studium religionis, ostendunt monumenta plurima. Multa enim collegia Regularium, ut uocant, condidit, ut in illis colerentur studia doctrinæ Christianę, quæ tunc uidebat negligi in illis ueteribus & opulentioribus collegijs & monasterijs. Tria memini collegia ab ipso condita, Adelburgense, Hagonense, & Gelhusanum, cætera non memini. Curam legum & disciplinæ publicę summam in eo fuisse & leges eius testantur, & quædam exempla. Palatinum principem, propterea quod se absente quędam occuparat in Vuormacensi Episcopatu, sæuere puniuit, & ueteri more coegit per totam Vuormatiam canem in humeris gestare, prioribus apprehensum pedibus. Literas Latinas sic satis calluit, ac amasse ac prouexisse eum testantur Otho Frisingensis & Ligurinus. Nam Otho Episcopus Frisingensis, cum quidem fuerit eius cognatus, ait eum à se petiuisse, ut historiam scriberet. Et Liguinus Poeta significat Fridericum non solum fouisse literas & ingenia, sed etiam curasse, ut filio probe traderentur literæ, Sic enim inquit:

O bene quod talem diuina potentia Regem
Instituit, qui sic studijs imbutus honestis,
Nouit ab insipido doctum secernere uulgo,
Iamq; diu mutas, solitasq; silere Camœnas
Excitat, ad ueterem digna mercede laborem.
Dixi.

HISTORIA DE HENRICO III. Imperatore, ac Rodolpho Duce Saxonię.



Vemadmodum in omnibus alijs artibus tradendis magna uis est exemplorum, ita præceptis recte uiuendi res gestæ, & exitus bene aut secus factorum, magnum lumen addunt: Et haud scio, an magis etiã quàm ipsa præcepta animos hominũ ad uirtutem colendam excitent. Nam & Euander cum filio domi tradere omnia de regijs officijs præcepta posset, maluit ei uiuũ exemplar proponere, in quod tota mente, totoq; animo intueretur, quodq; exprimere summis uiribus studeret. Sic enim commendat eum Aeneæ:

tua cernere facta
Adsuescat, primis & te miretur ab annis.

Itaq; prudenter facere iudicandi sunt, qui in hunc locũ memorabilia exempla afferunt, uel ut ipsi instructiores ad uitam recte agendam tractatione illorum euadant, intuemur enim propius quę ipsi scribimus, uel etiam ut aliorum utilitati consulant. Ego igitur non dubitaui historiam quandam huc afferre, non perinde omnibus notam, Sumpta est enim ex rebus gestis Germanicorũ Imperatorum, quę nullum, ut scitis, literarum lumen habet. Quanquam autẽ uidebam non esse mediocris artificis, eiusmodi res è tenebris erutas illustrare ac ornare, tamẽ in patria aliqua historia malui operam sumere, q̃ in peregrina. Turpe est enim nobis, cũ in aliarum gentium rebus gestis inquirendis tam curiosi simus, domesticas ignorare, nec maiorum nostrorum salutem,

omnes

ómnes uires, omneq; ſtudium contulerint, iure poteri-
mus ingratitudinis accuſari, ſi memoriam eorum qui de
nobis optime meriti ſunt, conſeruare nõ conemur. Qua
re tamẽſi ſentiebam me non poſſe pro dignitate hanc
cauſam quam ſuſcepi exponere, tamen arbitrabar uos
facile mihi ueniam daturos eſſe, quia pietate erga pa-
triam adductus in tali argumento uires ingenij experi-
ri non oſtentare uoluiſſem. Ac principio uobis hiſto-
riam recitabo q̃ potero breuiſſime, poſtea exponã quæ
inde utilitas excerpi poſſit. Qui enim ita legit hiſtorias,
ut nihil ad ſuum uſum inde transferat, non ſatis perſpi-
cit, quid conſilij habuerint ſapientiſſimi homines, qui
primi monumenta rerum geſtarum ad poſteros relin-
qui curauerunt. Ante annos ferè quingentos Romani
Pontifices diuturnum bellum & calamitoſiſſimum in-
credibili pertinacia cũ noſtris Imperatoribus geſſerunt,
dum ad ſe rapiunt ius Epiſcoporũ creandorum in Ger-
mania: Nam ante id tempus Principes ipſi Epiſcopos
ſuis prouincijs dederunt, nec paſſi ſunt ęquo animo ſibi
ius ſuũ extorqueri: Neq; enim utile putabant eſſe patriæ
infinitum Pontificis imperium. Econtra Pontifices ſum
ma ui decertabant, non ut religionem defenderent, ſed
ut imperium atq; opes amplificarent. Nec cum uno Im
peratore dimicauerunt, ſed aliquot ſeculis bellum per-
petuum fuit, non perinde celebratũ, ut Punica bella po
puli Romani, defuerunt enim & in Italia & in hac na-
tione ſcriptores, ſed non minus luctuoſum ac funeſtum
Germaniæ atq; Italiæ, atque Punica bella Romanis &
Carthaginenſibus fuere. Sed acerrima ea de re conten-
tio cum Henrico III. fuit. Incidit enim ille tanquam in
epithaſin fabulæ, in medium certamen. Mouerãt enim

Episcopi bellum aduersus patrem, & quosdam Germaniæ populos ad suas partes prætextu religionis pertraxerant. Cum autem Pontifex uirtutē Henrici sustinere diutius non posset, ac sentiret uictoriam inclinare ad Cæsarem, consilium cepit non minus impium q̄ callidum, intestinum in Germania bellum excitat, ut Cæsar domi occupatus, ab Italia retraheretur, simul ut cum suis ciuibus maiore cum periculo pugnaret. Nam cum haberet obnoxios Saxonum Episcopos, Pontifex egit per illos, ut Saxonię Ducem Imperatorem designarent. Accessit & Pontificis Romani autoritas, qui hunc de more Cæsarem salutauit. Nihil tale Princeps optimus ambierat, delatum etiam honorem fortiter recusabat suscipere: Nouum enim & inauditum ad id tempus in Germania exemplum erat, Cęsari redacto in ordinem successorem dari. Nec religione prorsus liber animus erat, quia alienum à boni ciuis officio uidebatur, Principis, cui fidem dedisset, maiestatem lædere. Sed ad extremum superstitione, qua nihil in Imperatorum animis potentius est, uictus atq; expugnatus est, ut Cæsaris titulum susciperet. Nam Episcopi persuadent fidem Henrico datam non esse seruandam, postq̄ is à Pontifice proscriptus esset, quia nulla ullius iuris aut officij societas cum excommunicatis esse debeat, docent contra religionem facturum esse, nisi obtemperet Romano Pontifici uocanti eū ad suę dignitatis ac libertatis defensionem. Magna erat autoritas Episcoporum propter opinionem uel doctrinæ uel pietatis. Itaq; Princeps Saxonię assentitur eorū orationi, quę in speciem plena pietatis erat. Bellum summa ui molitur, quod uaria fortuna plus annis octo gestū est. Quàm grauiter afflixerit Germaniam tam longū bellū,

quantum

quantum ciuium absumpserit, pro uestra prudentia existimare facile potestis. Sæpenumero iusta acie dimicatũ est, sed ad extremum ad Picam flumen in agro Lipsensi opinor summis uiribus prælium cõmissum est, in quo Saxonum exercitus cæsus & fugatus est, & Imperatori Saxonum cum fortissime pugnasset, manus pręcisa est. Princeps Saxonum æger ex uulnere in oppidum Mersburg illatus est, ubi cum decumbenti manus quam amiserat, allata atq; ostensa esset, cœpit, ut fit in rebus aduersis, ex euentu consilium æstimare: Et quia manus præcisa erat, interpretatur fatalem fuisse casum, & manum ei datę fidei pœnas dare. Conuersus igitur ad Episcopos, quorum autoritatem atq; consilium secutus erat, inquit: Videte Domini, hæc est manus, qua fidem dedi Domino meo Henrico Imperatori: Nunc cogitate, an iustam causam defectionis habuerimus. Nec post eam uocem diu superstes fuit, sed ex uulnere mortuus est. Quid autem querela illa acerbius cogitari potest? Est aliquid, magnis crimen abesse malis, ut ille inquit, et plenissima consolatio est in rebus aduersis, mens sibi bene conscia. At iste deplorans hoc modo suum fatũ, profecto significauit se sentire, suo scelere, suaq; culpa contractã esse calamitatẽ. Nullum autẽ supplicium, nulli cruciatus, q̃uis horribiles, ad huius doloris acerbitatem, quẽ turpitudinis conscientia facit, conferendi sunt. Exposui uobis historiam nõ ut debebã, sed ut potui. Nam tanta causa, tamq; uaria, in qua tot controuersię insunt, de religionibus, de colẽdis Magistratibus: prętera tã uaria cõsilia, & exitus mirabiles, non potest mediocri aliqua facultate ingenij explicari. Nos uero etiã breuiores iusto fuimus, propter angustias tẽporis, quod nobis ad dicendũ prescriptũ est.

Nunc uenio ad alteram orationis meę partem: promisi enim me posteaq; recitassem historiam, dicturum esse, quid iudicē eam ad nostros mores utilitatis afferre posse. Etenim si res tanta diuino consilio accidit, quem admodum sentire Christianos decet, profecto statuere debemus, ad nos id exemplum pertinere. Quemadmodum enim fabulę, quæ in theatris aguntur, non propter eas personas quę repræsentantur, sed spectatorum causa suscipi solent, ut quid in uita deceat, admoneantur, Ita nobis ostendit Deus uaria exempla maximarum rerū, ut officij nostri nos commonefaciat. Nec putate ea tantum exempla diuinitus nobis monstrata esse, quę in sacris literis perscripta sunt, totus hic mundus uelut proscenium quoddam est Dei, in quo omnium officiorū exempla quotidie exhibet. Proinde diligenter consideranda est historia quam recitaui, ut quid admoneat nos intelligamus. Sed ut alios locos multos quos complectitur, omittamus, uox illa extrema miserabilis indicat, quid in exitu talis uiri nobis spectandum sit: Significauit enim Principem superstitione adductum esse ad bellum mouendum aduersus Imperatorem. Nihil superstitione pestilentius est, sed hæc tum maxime nocet, quando armat homines aduersus legitimos Magistratus. Nulla ferè gens est, quæ non olim humanas hostias mactauerit, atque alij sęuierunt in liberos, alij suis dentibus senes parentes per sacrificij speciem laniauerunt, huiusmodi portenta superstitio parit, sed hæc paucorum cæde contenta est, in bellis sæuit atrocius, ubi multa hominum millia simul trucidantur, ubi parentes in liberos, filij in parentes, cognati in cognatos ferrum aliquando stringunt. Nulla propemodū ætas ab hac peste fuit immunis.

munis. Sed ut ueteta exempla omittamus, ab hinc trien nio quàm horribilis motus, quantum incendium subi to exarserat, cum uulgus arma aduersus Magistratus ce pit, cuius tumultus q̃ fuerit luctuosus exitus, non igno ratis: Sic enim accepimus, cæsa esse supra centum millia hominũ. Quę res aũt alia simplices homines initio de cepit? quæ res alia inducat arma imperitę multitudini, nisi superstitio, seu quædam peruersa de religione per suasio? Scitis enim sparsos fuisse libellos, quibus tanq̃ ad pileum uocabantur, in quibus de publicandis syluis, fluminibus, de donatione creditorũ, & hoc genus alia multa scripta erant, & male detortis scripturis, nebulæ erant offusæ oculis multitudinis: Hi libelli seditionis classicum maximæ parti fuerunt. Cum igitur tam pesti lens res sit superstitio, diligenter aduersus eam animos nostros munire debemus, cum sacrarum literarũ scien tia, tum etiam historiarum cognitione, in quibus est ui dere, q̃ uarie occupet animos hominũ. Neq; enim sem per eadem facies est, eademq; forma superstitionis. Nul lus Protheus tam uarius est, q̃ uarias formas illa solet in duere. Videtis q̃ callide obrepserit isti Principi, de quo hęc oratio instituta est. Magna erat in Germania differ sio Ecclesiarum: Nam Ecclesię Saxonum iudicabant re liquos Germanos, qui in fide Cęsaris manserant, nullas ceremonias recte posse tractare, propter Pontificium in terdictum. Diripiebantur eorum templa uelut propha na loca, ad ipsas aras trucidabantur miseri sacerdotes. Quis autem non moueretur tantorum malorũ contem platione? Quis nõ cuperet has tantas calamitates sana re, si quid opis afferre posset? Sic affecto Principi insi nuat se superstitio, ac persuadet id fore remedium publi

corum

corum malorum, si oppresso Imperatore dissensiones Ecclesiasticas tollat. Sed uide quantum in isto consilio turpitudinis fuerit. Primum diuina ac humana iura uiolat, cum aduersus suum magistratum, quem & doctrina religionis, & omnium gentium leges bona fide coli præcipiunt, arma capit. Et cum talia fuerint auspicia noui imperij, nihil est quod miremur exitium tragicum esse. Quid enim accidit inito regno? Num restituit pacem? Num sustulit Ecclesiarũ dissensiones? Nequaquam. sed morbum intempestiue medicando multo magis exacerbauit: Nam suscepto bello, nihil usquã tranquillum erat. Hic primum mutuis accensa odijs, utraq; pars crudelius sæuire cœpit, q̃ antea unq̃. Postremo præterq̃ quod exitus Principis fuit miserrimus, tota etiam ditio amisso Principe uictoribus prędę fuit. Hunc exitum superstitiosi consilij diligenter considerate, & sæpe uobis manum illam Principis præcisam ob oculos ponite, ne ipsi unquam superstitione adducti, Magistratuum autoritatem lædatis. Illa manus admoneat, neminem quantumuis magnis uiribus munitum, contemptum Magistratum impune ferre. Pinguntur in quibusdam urbibus brachia in foro, quę significent, capitale esse, ferrum aduersus alterum stringere. Ita uos manũ illam Principis pingite uobis in animo, ut intueri eam, quoties opus est, possitis, ac meminisse, qualis sit exitus eorum, qui Magistratus contumelia afficiunt.

Dixi.

Præfatio

PRAEFATIO IN HOMERVM
Viti Vuinſemij.



Vm interpretationem Homerici poematis paucos poſt dies auſpicaturus eſſem, uiſum eſt hoc in loco eam prælectionem, atq; hæc ipſa ſtudia, adoleſcentibus, ut poſſem, oratione commendare: idq; ego tam commode me facere poſſe optarim, quàm, ut res cõmendatione digniſſima eſt, ita hoc præſertim tempore, atque in tam corruptis hominũ iudicijs ea uehementer opus habet. Cum enim hæc admiranda dona Dei literarum uidelicet & humanitatis ſtudia animo conſidero, quibus poſt Chriſti Euangelium hic orbis nihil præclarius habet, nec diuinius, & contra quanta cæcitate, qua prodigioſis, & pluſquam Cimmerijs tenebris inuolutę ſint hominum mentes, quæ hæc uera & maxima bona adſpernantur, atq; ingenti contentione non modo deteriora, ſed etiam pernicioſa & exitialia ſibi ipſis, cupiditatum ſuarum & uoluptatum inſtrumenta ſectantur: Hęc, inquam, cum apud animũ expendo, uehementer commoueor, uenit enim mihi in mentem, quàm denſa caligine, ac uelut atra nocte circumfuſa ſint hominum corda. Nec amplius miror, ſi in rebus diuinis & ſupra captum humanum poſitis cæcutiunt homines, cum hæc ſua & quidem propria bona, ad quæ diuinitus conditi ſunt, quæ agnoſcere & amplecti poterant, ita pedibus proculcare uideo. Proijcimus hæc ſtudia humanitatis, proq; nugis ea ducimus, quibus illa pars noſtri, quę ſola hominis adpellationẽ meretur, quę ad imaginem Dei ad immortalitatis & uerę æternęq; fœlicitatis poſſeſſio-

nem condita est, excoli atq; excitari debebat, proq; ijs, nescio quas præstigias obiectas à Satana & inanes umbras insano cęcoq; impetu consectamur, & hunc solem adhuc intueri non reueremur. Abducit ille perennis humani generis hostis animos nostros quibuscunq; potest dolis, ab admiratione & amore ueri boni, speciecq; falsa prestringit oculos, atq; ita occæcat, ut quiduis potius uideamus & amplectamur, quàm quę pręcipue uidere & amplecti debebamus.

Accidit q; Musis & his studijs hoc tempore in mundo, quod Strabo cuidã Cytharœdo olim apud Iassum accidisse memorat. Qui cum in theatro eius loci erudite ac suauiter caneret, audirentq; eum Iassij, statim ut increpuit tintinabulum, quod signum illis erat uenum expositorum piscium, illico omnes cytharœdo relicto, ad pisces emendos dilapsi sunt, præter unum surdastrum, qui cum sonum tintinabuli auditu non percepisset, solus remanserat. Ad eum igitur conuersus cytharœdus: O Homo, inquit, gratias tibi ingentes habeo, cum propter Musicæ studium, tum propter honorem erga me, quod non sicut cęteri statim ad crepitum tintinabuli foras proiecisti te, ut pisces emeres. At ille: Quid ais? num iam tintinabulum sonuit? Qui cum affirmaret: At tibi bene sit, inquit. ac surgens protinus ipse quoq; foras ad emptionem piscium procurrit, estq; cytharœdus solus destitutus, nec in tanta urbe repertus est quisquam, qui pluris Musicam, quàm putridos pisces faceret.

Ita his temporibus hæc studia quoq; & literæ negliguntur. Prorsus se quisq; ad sordidas & quæstuosas artes, diris cupiditatibus & uentri seruiunt, præter illum nullum Deum norunt. Vt ingenium, ut partem meliorem ac

tem ac diuiniorem sui excolant ornent´ue, perpauci curant. Vtq; in turbulento & ebrioso conuiuio, homines nugantur, trident, uociferantur, perstrepunt, ludente aliquo insigni Musico, nec aduertũt, nec auribus animis´ue accipiunt illam suauitatem Musices, aut perfruuntur ea, ita hoc seculum suis cupiditatibus uelut ebriũ & amens nõ exaudit uoces Musarum, nec attendit animum. Qui uero sua autoritate & opibus præcipue hæc studia prouehere atq; ornare debebant, hi cum pleriq; ipsi Barbati sint & inculti, impendio magis ea oppressa & deleta cupiunt. Vtq; Herodes Rex Iudaicę gentis cum ex humili & obscuro loco ad Regios honores euectus esset, iussit omnes libros, in quibus genealogię continebantur, incendi atq; aboleri, ut ita discrimine nobilitatis & ignobilitatis sublato, sui quoque generis obscuritas minus infamis esset: Ita homines ineruditi literas & oderunt, & abolitas cupiunt, sperantes hoc modo suam quoque inscitiam facilius posse latere. Sic fit, ut ab alijs infestentur, ab alijs destituantur literę: alios aliò abripit cæca cupiditas, & quiduis potius quàm uera bona admiramur, imò ea ne agnoscimus quidem. Ita Satanas mentes humanas suis compedibus constrictas tenet, & quoquò ipse uult, transuersas abripit, ac reuera nunc minima de malis inscitię turpitudo ducitur, qua nisi uecordes, & uelut mente capti essemus, nihil tristius, aut magis fugiendum iudicaremus. Interim alij honores, alij fœdissimas uoluptates, pleriq; opes & pecuniam sectantur. Hęc sola bona ingenti mercede licentur, uitam atq; animã, ut ille ait, lucro uendentes. His fœlicitatem metiuntur miseri, qui non expendunt, q; sæpe leui momento infœlix illa fœlicitas nõ interpellari modo, uerũ & prorsum

euerti soleat: Docuit hoc multos experientia stultorum magistra. Sed quid nos interim dicere oportet? uidemus hoc cõmuniter accidere rebus optimis, ut eædem sint contemptissimę, & cõtra pessimis, ut maximi fiant. Ergo si idem literis & huic doctrinæ humanitatis accidit, nõ nouum aut mirum nimis id nobis uideri debet, neq; nos corruptissimo uulgi iudicio & errore ab his studijs amandis colendisq; abduci decet. Hæc ut præfaret cum de Homero & his nostris studijs dicturus essem, res ipsa & indignitas me mouit. Quis enim non commoueatur, qui hunc tam insignem contemptum rerum optimarum uideat? Vos pro uestra humanitate hanc nostram querelam, quam mihi expressit dolor meus & indignitas rei, boni consuletis.

Atq; ut ad id, de quo in præsentia instituta est, se referat oratio, Homeri poema, ut dixi, Dijs bene fauentibus, interpretari decreui: De eo in præsentia breuiter præfari constitui. Atq; utinam ego illud tam possem adolescentibus oratione commendare, ac dignis laudibus ornare, quàm nunquam satis potest pro dignitate celebrari, exuperatq; Homeri splendor omnem orationem. Sed tamen ut magna numina nonnunquam farre & sale coli solent, ita nos si quid pro nostra tenuitate poterimus, ad tanti scriptoris præconium conferemus. Nec uero hic de natalibus, patria, & uita Homeri nobis oratio erit, hæc enim ab alijs satis accurate & fuse explicata, qui uolent requirere poterunt: de Poemate ipso, & utilitate, quam studiosi inde capere possint, breuiter, atque ut patietur hæc temporis angustia, agemus. Nam qui ita euoluunt Homerum, ut nihil hinc nisi uoluptatem uenentur, & sententiolas quasdam ceu flosculos hinc in-

de col-

decollectas, hi perinde faciunt, ut si quis fertilissimum agrum tantum animi causa colat, ut floribus in eo natis aliquando se coronet, fructuum, quos inde uberrimos percipere poterat, curam planè negligat, hunc aliquis recte, opinor, œconomum parum prudentem dixerit. Et si enim uoluptatẽ ex lectione Homeri tantã, quantam uix ullo alio ex autore, capere licet, quod natura ferè ita comparatum est, ut cum summa utilitate, summa ac uera uoluptas coniuncta sit, non tamen ea præcipua cura esse debet, sed est alia maior & potior, nempe, ut quemadmodũ in sua re familiari cauti patresfamilias solent, ita initio statim nobiscum rationem ineamus, ecquod operæprecium facturi simus euoluendo hoc uel illo scriptore. Quod idem si in Homero discendo faciemus, tũ nobis statim se offeret infinitus utilitatum cumulus, & uelut μυχμηκία ἀγαθῶν, quæ affatim, & pleno, quod aiunt, sinu ex hoc scripto petere possimus. Quæ si quis singula oratione cõprehendere aut enumerare conetur,

Lybici uelit æquoris idem (ut Virgilius ait)
Dicere, quàm multæ Zephyro turbentur arenæ,
Aut ubi nauigijs uiolentior incidit Eurus,
Nosse, quot Ionij ueniant ad littora fluctus.

Ego igitur, ut uerum fatear, & si nõ ita oblitus sum mei, ut hoc mihi sumere ausim, me illas ingentes & innumerabiles Homerici poematis diuitias omnes cernere aut cognoscere posse, cum haud dubie uix minima pars earum nota est, tamen hoc planè mihi accidere sentio, ut, quemadmodum ille ait, inopem me copia faciat. Multiplicia enim me hoc scriptum intuentem ab omni parte uelut diuina miracula occurrentia, attonitum, suspensumq; tenent, ut difficile sit, unde exordiar, aut in quo

desinam, statuere. Vererot enim, ne mihi accidat, quod ijs, qui re multum ac diu deliberata ex ingenti rerũ preciosarum aceruo certa quędam κεφάλια eligere debent, hi præ nimia cura & dubitatione nonnunquam deertantes, optimis relictis, minus precioſa ſecernũt. Ita ego quoque uereor, ne melioribus, & quæ alij fortaſſe magis admirentur, præteritis, deteriora legam: uerum utut hoc animaduerſum erit, non equidem in magno pono diſcrimine. Non enim me fugit, ut radijs ſolaribus oculorum acies ſenſusq; uincitur, ita fulgore Homerici carminis ingeniorum aciem præſtringi ſolere. Nos tamen uelut mare anguſtis fiſtulis includentes, pauca quędam de re infinita colligemus, & quæ nobis præcipue admiranda in hoc poemate uiſa ſunt, ſtrictim ac breuiter recenſebimus.

Ac primum quidem ſic ſtatuo, nullum unquam ſcriptum, inde uſq; à primum condito orbe, ulla in lingua aut natione, ab ullo humano ingenio æditum eſſe, ſacra ubiq; excipio, in quo uel doctrinę tantum ſit, uel elegantiæ & ſuauitatis. Audacem hunc eſſe ſermonem, plenumq; inuidię non ignoro: Sed idem non dubito, quin liberaliter inſtituta ingenia, & quibus modo leuiter, ac primoribus, quod aiunt, labijs eſt deguſtatus Homerus, uehementer in hoc mihi aſſentiãtur. Nam ut nunc non dicam de ea doctrina, quæ rerum naturam continet, quæ cœleſtium orbium ſyderumq; uices, ortus & obitus tradit, quæ temperaturæ humani corporis harmoniam, membrorum συμμετρίαν, uariasq; affectiones oſtendit, non dicam de reconditis illis literis, quibus ubiq; plenum & confertum eſt Homericum poema, nõ enim hæc tẽporis breuitas ſingula nos recenſere patitur,

Ad hæc

Ad hæc noſtra & notiora ueniamus. Quod enim dabitis mihi præceptum ad mores, ad uitam bene ac fœliciter inſtituendam, unquam à uiris ſapientibus proditũ, cuius non ſit in Homero aliquod ſpecioſum & illuſtre exemplum? Quod in uita officium, aut quod omnino negocium, cuius nõ in eodẽ expreſſa ſit imago? Suntq; de omnibus rebus & negocijs cogitationes, quæ quidem ab ulla humana mente concipi poſſunt, humaniſſimę, dulciſſimę, & ſimul ſapientiſſimę. Quid enim ſuauius, aut magis ἀθικὸν cogitari, quid grauius moneri poteſt, quàm quod ipſe aliquot locis in ſuo poemate, ijs, qui nec iniuſta de cauſa iraſcũtur, decantat, ἀμείνω δ' ἄισυ μα πάντα. hoc eſt, moderatione, placabilitate, & clementia omnibus in rebus nihil melius eſſe? Quid iuſtius aut humanius illa uoce Diomedis in 9. Iliados, In concilio illam primam legem ſanciri, ut ſit libertas dicendi, & patientia audiendi? Non uidemus q̃ hoc ſeculum nulla re magis laborat, quàm quod potentiorũ aures nõ modo linguam liberam, ſed ne cogitationem quidem libertatis memorẽ ferre poſſunt? Quid magis heroicum, quàm quod Hector ait:

εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνασθαι περὶ πάτρης.

unum auſpicium fœliciſſimum, fortiter depugnare, & honeſte cadere pro patria? Quam ſententiam ſi oculos & in animis ſcriptam hoc tempore Principes haberent, nõ uidiſſemus Turcas toties iam Germanię & Chriſtiano orbi ita impune inſultantes, nec eorum aduentũ adeo perhorreſceremus. Quid diuinius, q̃ quod præmatura morte, & inter primos cadere eum ſcribit, qui nutricationis gratiam parentibus non perſoluerat? Item:

ὃς κέν τοι κακὰ ἔργα νεχάνει δὴ καὶ βροτοὶς ὀκύμ-

id eſt,

id est, non peruenire ad frugem, nec fœlicem successum sortiri malefacta, & uirum improbum, quantumuis celerem, & ad fallendum instructum, deprehendi tamen & quidem à claudo. Neq; dubium est, quin hoc genus sententiæ primum à sanctis patribus proditæ, & ad posteros propagatæ sint: deinde ab alijs ad alios successu temporum, uelut per manus traditę, ad tales tandem uiros permanauerint, à quibus his monumentis insertæ sunt, ut uelut in illustri & perspicuo positæ loco, ad omnem posteritatis memoriam retineri, & cum admiratione spectari possent. Plenum est poema Homeri talibus sententijs, quæ uelut pondus & autoritatem legum habent, quæq; merito ut oracula aut diuina responsa singulari cum religione obseruari, memoriæq; mandari, et semper ob oculos haberi debebant. Quodq; de Euripide Cicero dixit, Se singulos eius uersus, singula testimonia putare, id multo uerius de Homero dici posse uidetur, cum Euripides, reliquiq; Poetæ, uelut riuuli ex Homero, ceu perenni fonte scaturiant.

Traduntur in unaqualibet arte principia quædam, & & communes noticiæ, ad quas, qui in ijs uersantur artibus, uelut ad Lesbiam regulam cogitationes suas dirigunt. Meministis, Adolescentes, maximas in Dialectica uocari à Boetio, id genus communes προλήψεις: Talibus, inquam, maximis constat totum poema Homeri, hoc est, communibus & utilissimis regulis ac præceptis morum, uitæq;, & ciuilium officiorum, quarũ in omni uita & actionibus usus latissime patet, multa docet, multa sapienter monet, instillat tenerę ætati honestissimas & suauissimas noticias, modestiæ, uerecundiæ, ac reliquarum uirtutum: Suauitatis & humanitatis morum nullus

nullus eo melior Magister: præstat ac efficit quandam quasi experientiam rerũ in iuuenibus, quæ laus alioqui ut summa est, ita soli senectuti tribuitur. Nota enim est sententia Latini Poetæ:

non omnia tardior ætas
Quæ fugiamus habet, seris uenit usus ab annis.

Hoc uero diuinum beneficium præstat lectio Homeri, nempe, quod ingenium iuuenile, senili prudentia imbuit, ea enim, quæ senes per longi temporis usum deprehendere solent, quæ illos docet numerosa series annorum, & uarij rerum ac uitę humanę casus, ex hoc poemate per compendium tanquam è thesauro aut fonte petere atq; haurire licet. Non paulo enim fœlicius hic traditur doctrina recte & beate uiuendi, quàm in ullis Philosophorum monumentis, ut uere de Homero dixerit Horatius, Quod ille,

Quid sit turpe, quid pulchrũ, quid utile, quid non
Plenius et melius Chrisippo et Crantore docuerit.

Inuoluit uero hæc grauissima ac sanctissima dogmata dulcissimis & iucundissimis iconibus Poeticis, ut ingenia liberalia & συζητικὰ, cum quadam, ut ait Plutarchus, ἐυμουσίᾳ erudirentur.

Neq; τὸ ἠθικὸν, hoc est, uenustas & suauitas morum, ingenijq; moderatio ac humanitas ullo in scripto ita expressa est, ut in Homeri poemate. Quapropter, si uerum est quod dici solet, studia abire in mores, ita ut uerũ est, fieri non potest, quin humanissimi & dulcissimi Poetæ tractatione, ingenia quoq; miteſcãt, fiantq; humaniora & magis placida. Hoc credo uiri magni & præstantibus ingenijs præditi animaduertentes, alij poema Homeri humanitatis officinam, alij fontem omnis suauitatis &

uenustatis adpellarunt. Plinius primum liberalioris doctrinę & antiquitatis parentem Homerum uocat, Plato optimum uitę magistrum. Atq; ut intelligamus istos magnificos titulos uere Homero tribui, intueamur poema eius, totum nobis corpus proponamus, ne ut in disiecta statua ex mutilatis partibus & membris, facienda sit coniectura.

Duplex est poematis Homerici argumentum: Alterum Ilias, alterum Odyssea inscribitur. In Iliade Plutarchus robur corporis, in Odyssea uires ingenij celebrari ab Homero existimat. Describitur autem in Iliade bellum, ut fama nobilissimũ, ita honestum ac pium, quod Græci contra Barbaros pro defensione pudicitiæ coniugalis, ut ulciscerentur adulterium, & uiolatam hospitij fidem gesserunt. Odyssea continet errores Vlyssis, sub cuius imagine Poeta uirum sapientem ac politicum, uarijsq; fortunæ procellis iactatum, & qui fortunam consilio regere ac moderari sciret, describere uoluit.

De qua parte, cum eam prius interpretari decreuerimus, pauca in præsentia mihi dicenda esse duxi. Ac primum hoc non est dubium, quin in Iliade militię belliq; artes, in Odyssea togę & pacis describere, atq; ita in toto poemate utroq; genere artiũ tale ingenium, quod Rem pub. aliquando gubernare deberet, informare, erudire, ac pręparare uoluerit. Pingit igitur in Vlysse imaginem quandam ciuilis & togatę uitę, in Iliade uero militaria exẽpla proponit: His enim artibus Reſpublicę ac regna parantur, tenẽtur, regũturq;, & his artibus instructũ esse oportet, quicunq; Remp. est aliquando tractaturus. Notus est enim eiusmodi Homeri uersus, quo Alexandrũ Magnũ ita delectatũ ferũt, ut eũ semper in ore habuerit:

ἀμφότερον

ἀμφότερον βασιλεύς τ' ἀγαθὸς κρατερός τ' αἰχμητής.

Sed age uideamus, quid illi uiro tribuat, quem politicũ, quem Principem in Repub. quem ijs ingenij dotibus, ijsq; artibus ac uirtutibus præditum fingit, quibus ciuitates in pace florere ac gubernari solent, id enim argumentum nostro instituto propius esse uidetur. Primum tribuit ei ingentem amorẽ erga patriam, eum enim post Deum primum gradum pietatis, primum iusticiæ esse scimus. Et Solon apud Crœsum, ut Herodotus refert, primum fœlicitatis gradum adsignat illi, qui pro patria mortem oppetijsset: proximum ei, qui pietatem parentibus præstitisset. Vt igitur ille amor patriæ, in hoc uiro effunderet sese, & illustrior fieret, fingit Poeta multiplices occasiones, & uaria impedimenta, quibus eius in patriam reditus interpellatur, cũ quibus omnibus ille consilio, ratione, uiribus animi pugnat, & ex omnibus his tandem eluctatur. At qualem ille patriam tanti facit? nempe sterilem, angustamq; insulam, & ut Cicero ait, in asperrimis saxis tanquam nidulum affixam. Eius ille tanto desiderio & amore tenetur, ut fumũ inde exeuntem, immortalitati præferre non dubitet. Et uidemus hunc affectum in omnibus magnis ac præstantibus uiris fuisse singularem. Demosthenes cũ in Calauria exularet, scribit se quotidie ad culmen eius sacelli ad quod confugerat, adscendere, atq; inde diu eam regionem, quam uersus Athenę sitę erant, ingenti desiderio & dolore, oculis metiri ac spectare solitum, cui patria & si ingrata & impia erga ipsum, uita tamen ipsa & anima charior fuit. Porro proximus gradus, ut ad institutum reuertamur, est pietas erga parentes, coniugem, liberos, & in Principe præcipue erga ciues ac subditos, quam

Homerus ſummam Vlyſſi tribuit. Quàm ſancte enim ille parentes colit ac ueneratur? quanto amore natum, quanto coniugem amplectitur, à quo nec conſuetudine Dearum immortalium auelli ſe patitur? quanta uero cura & ſollicitudine uitam ſociorum, quanquã male merentium, tuetur? quàm pro illis uigilat, et nullum genus moleſtię uel laboris recuſat, dum illorũ ſaluti conſulat?

Quia uero eum facit uirum prudentiſſimum & conſtantiſſimum, uarias fingit occaſiones, quibus illę uirtutes ſpectantur, uarijs caſibus & periculis obijcit ipſum, in quibus & fortitudo eius oſtenditur, & uis conſilij exprompta eluceſcit. Scimus enim aduerſam fortunam uelut campum & Gymnaſium eſſe, in quo uis ingenij atq; eximia uirtus exerceri ac ſpectari ſolet. Memorabile & hoc eſt, quod eundem & prudentiſſimum facit et eloquentiſſimum, tribuitq; ei orationem ſimiliter fluminibus hibernis niuibus auctis fluentem, & opponit ac confert inter ſe duo perfectiſſima genera dicendi, in Menelao & Vlyſſe. Fingit item eum regi & cuſtodiri à Minerua, ut oſtendat magnos uiros Deo curę eſſe, eiusq; auxilio ſubnixos, res tantas efficere. Porro cum Cyclope & cum procis eum depugnantem facit, hoc eſt, cum tyrannis, & cum ſeditioſis prauisq; hominibus, aliorum toro & fortunis inſidiantibus, cum his enim duobus generibus hominum ſemper heroicis & præſtantibus uiris lucta ac certamen fuit. Et quod in primis eſt obſeruandũ, patientiſſimũ eum ac pertinacem propoſiti fingit, quiq; dum curſum ſuum teneat, atq; id quod uelit conſequatur, nullis moleſtijs ac laboribus, nullisq; contumelijs uinci frangi ue ſe patiatur, perfert ille, cum iam perfunctus periculis ac malis uideretur, adhuc domi ſuę multa intole-

intolerabilia, sustinet esse lacer, mendicus, ludibrio haberi, uapulare, osse peti à procis, irrideri à sua familia, omnia hęc ad tempus dissimulat, expectans occasionẽ, qua domum recuperare, rebus suis potiri, illosq; ulcisci posset. Est ea uirtus singularis in præstantibus uiris, non tantum magnas & memorabiles res ad salutem patriæ ac multorum hominum, cum uitæ & capitis periculo efficere, sed iniurias, ignominiam, contumelias, infamiam etiam perferre posse ac pati, atq; interim institutũ cursum urgere, idq; unum quod honestũ & salutare sit, spectare ac sequi. Notã est sententia Ennij de Fabio:

Non ponebat enim rumores ante salutem.

Ea planè est Vlyssea sapientia, qua res afflictæ & profligatæ plerumq; fulciri ac sustentari solent. Desino de Vlysse, quem Philostratus ἄθυρμα Homeri uocat: nam si singula persequi uelim, dies me hic dicentem citius, cẽ dicendi materia deficiat. Innumerabilia enim sunt in Homero uelut diuinitus meditata atq; inuenta, quę nõ temere ab Horatio miranda sunt dicta, eaq; ubiq; omnia incredibili elegantia & suauitate condita, uarijs affectibus, ἤθεσι tamen præcipue, multis mirabilibus & iucundis casibus uariata, tali uero rerum ordine atq; οἰκονομίᾳ digesta, ut omni humanitatis sensu carere eum, pecudẽ esse, non hominem existimem, qui non Homeri lectione permulceatur. Vt enim in hoc scripto est quædam perfecta & absoluta imago sapientię humanę, quanta cunq; ea omnino esse aut cogitari potest, ita in omni genere doctrinæ nihil dulcius eo est, nihil luculentius, nihil in quod maior eloquentię splendor eluceat, ut recte dictũ sit à Fabio: Quemadmodũ ab oceano omnes amnium & fontium cursus initia capiant, ita Homerũ

omnibus eloquentię partibus exemplum & ortum dedisse. Non enim pluuias ille aquas, ut ait Pindarus, colligit, sed uiuo flumine exundat, dono quodam prouidentiæ diuinæ ad hoc genitus, ut in eo totas uires suas eloquentia experiretur

Etsi igitur post eius ætatem efflоruit satis fœlix Poetarum prouentus, ipse tamen semper suum, hoc est, summum ac principem locũ tenuit, & unus omnibus quos ulla tulit ætas, Poetis palmam præripuit, longissimisq; interuallis cunctos post se reliquit, idq; effecit, ut magnum & magni ingenij habitum sit, eius uirtutes non quidem æmulatione, quod impossibile est, sed saltem intellectu sequi. Canit de eo ut magnifice, ita non minus uere Manilius:

cuiusq; ex ore profuso (inquit)
Omnis posteritas latices in carmina duxit,
Amnemq; in tenues ausa est deducere riuos,
Vnius fœcunda bonis.

Et Theocritus ait, Musarum aues, hoc est, reliquos Poetas, si cum Homero certare ausint, frustra laborare, & uelut coccysmum ędere ad dulcissimos luscinię cantus. Testatur item Philostratus Homerum nõ sicut Euphranorem statuarium, qui quibusdam in sua arte uirtutibus cæteris præstitit, sed in omnibus, quæ quidem in unoquoq; maxime laudata sint, eminentissimum esse. Et refert ille festiuam de Homero fabulam, quam non alienum duxi breuiter hoc in loco commemorare.

Achillem ait, cũ adolescens esset, mirо studio & amore Musicę ac Poeticę flagrasse, ita ut quotidie à Musis contenderet precibus, ut earum auxilio in excellentem Musicum posset euadere. Cumq; nullum orandi finem faceret,

ceret, tandem ex Musis Calliopen illi apparuisse, ac monuisse, ne cum fatis pugnaret, aliter enim superis visum esse, non uatem eum, sed præstantem bellatorē futurū, & qui tales res gereret, unde Poetę materiam scribendi sumpturi essent. Post centū uero annos exorituū quendam uatem, nomine Homerum, qui eius res gestas & fortia facta immortali carmine celebraturus esset. Hæc de Homero Philostratus. Per hoc haud dubie significans, diuinitus excitatum fuisse Homerū, & diuina uirtute afflatum hæc ceciniſſe. Id quod multis in locis uidere licet, eum uelut ex adyto uel cortina altius quiddam & diuinius, quàm pro humano captu sonuisse. Indicant hoc nonnulla, quæ in eius poemate sparsa sunt, uaticinia, quæ nō absque afflatu numinis ab humana mente concipi potuerunt: Quale hoc est de posteritate Aeneę, & æternitate futuri Romani imperij, quod à Vergilio hoc uersu redditum est:

Et nati natorum, & qui nascentur ab ipsis.

Quare nō ab re Democritus dixit, Homerum sortitum fuisse diuinantem animam. Sed ista persequi, non sunt huius loci aut temporis. Ad nostra igitur, atque ad ea quæ nostris studijs & moribus propiora sunt, reuertamur. Etsi uero mihi in præsentia non uacat colligere τὰ φιλοσοφούμενα illa recondita, de principijs rerum, de motu corporum cœlestium & astrorum, de elementis, de mundo, & eo duplici, de constitutione hominis, de anima & eius partibus, de sede potentiarum animæ, de singulis potentijs, de affectibus, ijsq; laudatis & uitiosis, de ratione porro atque intellectu, seu fuq; & adpetitu cum eo perenni dimicatione depugnante, de illa diuiniore & item bruta parte hominis.

Hæc

Hęc,inquam,cum iam mihi recenſere non liceat,tamen ſciant ſtudioſi,omnium harũ rerum ſemina,& ceu fontes in Homero eſſe. Neq; ullus melior aut præſtantior pictor illius nobilioris ac diuinioris partis noſtri extitit, quàm Homerus.

Quapropter Scipio apud Silium ingenti & non falſa laude uehit Homeri umbram apud inferos conſpectam,& magnæ fœlicitatis loco ſuis temporibus talem uatem optat, quem locum propter adoleſcentes non piget hic ſubijcere,ſic enim ait:

Atq; hic Elyſio tendentem limite cernens
Effigiem iuuenis,caſte,cui uitta ligabat
Purpurea effuſos per colla nitentia crinis,
Dic,ait,hic quinam uirgo,nam luce refulget
Præcipua,frons ſacra uiro,multæq; ſequuntur
Mirantes animæ,& læto clamore frequentant.
Qui uultus,quem ſi Stygia non eſſet in umbra,
Dixiſſem facile eſſe Deum. Non falleris,inquit,
Docta comes triuiæ,meruit Deus eſſe uideri.
Et fuit in tanto non paruum pectorenumen,
Carmine cõplexus terram, mare, ſydera, manes,
Et cantu Muſas,& Phœbum æquauit honore,
Atq; hęc cuncta prius q̃ cerneret, ordine terris
Prodidit,ac ueſtram tulit uſq; ad ſydera Troiam.
Scipio perluſtrans oculis latentibus umbram,
Si nunc fata darent,ut Romula facta per orbem
Hic caneret uates, quanto maiora futuros
Facta eadem intrarent hoc,inquit,teſte nepotes.
Fœlix Aeacide, cui tali contigit ore
Gentibus oſtendi, creuit tua carmine uirtus.

Hæc de Homeri laudibus Africanus apud Silium.

Sed oc-

Sed occurritur nobis & quidem à summo uiro ac doctissimo Platone, qui Homerum uelut iudicio capitis damnatum, sua Repub. excludit, in exilium exigit, ac relegat. Quo in loco dicere possum, id quod Chrysostomus de eadem Platonis contra Homerum accusatione respondit, Difficile esse inter tantos homines disceptare, ut si duo uiri, ambo boni, ambo graues et honesti, ambo amici, de re quapiam seria & graui sententijs discrepent, difficile sit pronunciare, ne alterius sententiam uidearis tua oratione damnare. Sed uideamus tamē quid Platonem mouerit, ut Homerum ciuitate à se constituta ejiceret: non enim temere id fecisse putandus est, præsertim quem ipse ἄριστον καὶ θειότατον τῶν ποιητῶν, optimum & diuinissimum Poetarum uocet. Quid igitur tantum commeruit hęc innocentissima luscinia, ut eam pis Platonicis pelleretur? Objcitur quod de Dijs immortalibus ac religione ridicula quædā & absurda prodiderit. Audio, magnum & capitale crimen. Sed dicat mihi uel Plato, uel alius quispiam huius sententię propugnator, quæ nam alia de Dijs, aut de religione, ut tū fuit in Græcia, Homerus potuerit tradere, & utrum Plato ipse multo meliora nouerit uel prodiderit. Homerus de religione, de Dijs immortalibus, ea quæ tum usitata fuerunt, ipse quoq; secutus est, nec illis quidem temporibus & apud illas gentes alia fuit religionis forma, q̄ qualem Homerus describit. Vtrum ea uera an falsa, nō hic disputo. In hoc nempe Homero cū Platone & præstantissimis quibusq; uiris cōuenit, quod sit Deus, quod res humanas curet: tot igitur Deorum consilia cogit, ut ostendat res hominum non temere nec casu fluere, sed à Dijs immortalibus dispensari, ac gubernari. Facit

Deum φιλάνθρωπον, unde Iuppiter ab ipso introducitur, conquerens affici se humanis casibus, & dolere sibi hominum mala atque miserias: statuit item bonos defendi, cumulari bonis, diuinitus malos puniri. Prædicat Minerua in primo Odysseę, Vlyssem primum propter uirtutem ac honestatem, deinde & propter studium pietatis & religionis, seu cultum Deorum. Quid humana natura, si suis uiribus nitatur de uoluntate Dei melius aut sublimius cogitare potest, quàm quod pios & bonos amet, foueat, iuuet, impios & sceleratos oderit, pœnisq; afficiat, res hominũ curet, gubernet? Quod uero præter hęc allegorica quædam admiscuit, facile intelligi potest, aliud ipsum egisse, allusisse ad mores hominum, ad naturam rerum, inuoluisse his Poeticis icombus seria & grauia dogmata, ut mos fuit illorum temporum. Quid quod & Plato nonnunquam ad hunc modum ludit de Dijs immortalibus, cum aliud quiddam significet, qui si tam seuerus iudex in alios esse uult, eodem & ipse crimine damnari potest. Deinde responderi & hoc potest, quod Chrysostomus ait, Homerum τὰ μὲν κατὰ δόξαν, τὰ δὲ κατ' ἀλήθειαν posuisse. Atq; hæc mihi de prima causa dixisse satis sit. Obijcitur autem secundo loco, quod magnis ac heroicis uiris lachrymas attribuerit: id cur reprehensionem mereatur, non uideo, imò uero præcipue laudandum hoc mihi uidetur esse, quod non stultam illam & imaginariam Stoicorũ ἀπάθειαν somniauit, sed tales rerum atq; hominũ imagines proposuit, quales essent in rerum natura & uita, non finxit prodigiosas, & à communi humano sensu abhorrentes opiniones, sed ea suo carmine expressit, quę quàm maxime essent usitata in uita, & consentanea communi

communi sensui. Voluit autem significare magnos uiros cum grauissimis & tristissimis casibus conflictari, magnoq; animorum motu percelli, ut de suo Aenea Romanus Poeta:

Spem uultu simulat, premit alto corde dolorem.

Et alio loco: Ingenti irarum fluctuat æstu.

Descripserunt enim Poetę tales heroas, quales fuerunt, nempe qui & humanis casibus obnoxij essent, et ijs mouerentur. Proposuerunt nobis consiliorum, affectuum, actionum, & negociorum in uita, hominum etiam usitatas imagines, non sunt secuti illa ἀτοπώτατα πλάσματα, quibus ex Philosophis nonnulli impendio sunt delectati. Porro quod inferos finxerit, id tertium, opinor, crimen Homero obijcitur à Platone, putatur enim metum mortis incutere hominibus, cum terribilia, & qualia ipse pingit apud inferos, sibi post hanc uitam proponant, atq; ita lectione Homerici poematis animi robur eneruari uidetur. Sed nos ad hoc breuiter respondebimus, Homerum uoluisse celebrare illam sententiam de immortalitate animarum, quam omnium seculorum cordatiores & honestiores uiri tenuerunt: Voluisse significare locũ ac sedem aliquam esse post hanc uitam, ubi bonorum & malorum animæ uiuerent, bonis honor quidam haberetur, mali plecterentur. Deniq; secutus est illam usitatam, quæ tum fuit de inferis, hominũ opinionem. Non noua, aut inaudita, aut à communi iudicio illius seculi abhorrentia, quod Philosophi fecerunt, commentus est. Atq; hæc sunt illa capitalia crimina, propter quæ à Platone Homerus exilio mulctatur, relegatur ab urbe Platonica in nescio quas solas terras, ad Scythas credo aut Garamantes, neq; id temere, nam

Chrysostomus testis est, etiam Barbaros & Græcarum disciplinarũ rudes, permulctos Homerici carminis dulcedine, cœpisse hanc unam ob causam Græcas literas degustare, ut hoc poema perdiscere possent, & apud Indos id etiam decantari solitum. Ad quamcunq; igitur gentem è Græcia sua relegauerit Homerum Plato, eam uelut Dei alicuius aduentu statim cultiorem humaniorem q; usu ipsius & consuetudine fecerit. Sed opponere nos etiam possumus, Platonis hac in re autoritati, consensum omnium optimorum & sapientissimorum hominum, qui omnibus seculis post Homeri ætatem, ingenij, doctrinę, uirtutis, aut sapientiæ laude floruerũt. Ex his enim nemo fuit, qui non pleno ore Homeri poema laudaret, non amplecteretur, & uelut diuinum numen adoraret. Archesilaus optimus & sapientissimus Spartanorum Rex, nunquam cubitum ire, nunquam cum è lecto surrexisset, prodire, aut aliquid agere solebat, quin prius quasi solenniter aliquid ex Homero lectitaret, & quoties à negocijs uacuum tempus dabatur, statim ad Homerũ properabat, ad amasium pullum q; suum ire se dictitans. Nec; ignotum est, quantopere Alexander Macedo delectatus sit Homeri poemate. Cui siue seria, seu iocos tractaret, etiam cum armaretur in hostem, carmina Homeri decantari solebant: cui cum ex spolijs Babylonicis ingentis precij scrinium ex auro & gemmis esset oblatum, & cæteri alius alij usui ad res pretiosas adseruandas id destinarent, respondit Alexander, Nulli rei magis idoneam esse eam arculam, q; Homerico poemati asseruando: nobilissimo enim thesauro nõ minus nobile uasculum, in quo reponeretur, conuenire. At nos adolescentes, quibus aurea & gemmata

uasa

nasa non sunt, quod poterimus tamẽ Alexandrum Magnum imitantes, interim in non paulo nobiliore, nempe pectorum nostrorum scriniolo, hunc tam preciosum thesaurum condamus, & illam partem præstantiorem ac diuiniorem nostri eo pariter ornemus atq; ditemus.

Quos tu mihi thesauros, quas diuitias narras? dicet hic aliquis, nempe uidemus & Homerum egentissimũ fuisse, cum uiueret, & ex discipulis suis adhuc neminem ditasse. Verum hoc esse, & his nostris temporibus nimis uerum scimus. Sed meminerimus hoc quoque certum atque euidens argumentum esse publicarum calamitatum, cum ista studia ita contemni uidemus. Nos uero nihil istæ illiberales cogitationes, & isti sordidissimi sermones moueant. Non digni sunt, qui his Musarum sacris initientur, aut in hoc humanitatis & uirtutis sacellum admittantur, qui sordidi quæstus gratia hæc longe præstantiora bona adspernantur. Non distendit crumenam auro & argento Homerus, nõ uentrem pinguedine, non cingit digitos gemmatis annulis: At certe mentem, quæ præstantior, quæ immortalis pars nostri est, ingentibus, ac longe nobilioribus, æternisq; diuitijs cumulat, ornat, ditatq;. Non nos absterreat, quod egens, quod contemptus fuit Homerus cum uiueret, quod egentes sunt, qui hoc genus studiorum colunt. Communis hæc est conditio rerum optimarum, ut sint contemptæ in hac misera & plena errorum ac cæcitatis uita. Concionatores uerbi diuini, ministri æternæ salutis, qui liberationem à morte, à peccato, ab æternis inferorum cruciatibus, ab omnibus malis annunciant, quo illi modo ab impio & ingratissimo mundo semper accepti tractatiq; fuerunt, quo modo hodie tractantur?

Non nobis mirum ualde aut nouum uideri debet, si res bonæ negliguntur, deteriores contra magni fiant, uetus hoc est in mundo, & consuetudine praua iam penè usitatum esse cœpit. Nos contra sic cogitemus, Non seruit quæstui Homerus, eo melior: dedignatur enim uirtus, dedignantur Musæ prostare, & in quæstu, ut ille ait, pro meretricibus sedere. Meminerint uero illi, qui ad utilitatem suam omnia referunt, qui possessione bonorum fortunæ fœlicitatem metiuntur amplecti se fragilia & inconstantissima bona, atque ipsi etiam possessori sæpe exitialia, uniusq; horulæ momento uniuersam illam fœlicitatem, seq; adeo ipsos funditus euerti posse. Nam si propter inopiam & contemptum excluduntur hæc studia, excludatur eadem opera humanitas, excludatur uirtus & honestas, quæ sunt alumnæ Musarum, quarumq; parens ac nutricius Homerus est, excludatur quidquid uere bonum, sanctum, piumq; est in mundo, his omnibus enim uere hoc ἐπίγραμμα inscribi potest, quod quidam ædiculis suis præfixit:

δῖκος δόμ' ἢν μικρὸς τόδε γὰρ συμβῆν ἄριστον
τῆς πενίας μικρότης, τῆς δ' ἀρετῆς πενία.

Nõ est magna domus, quid tũ? sub paupere tecto
Sæpe etiam uirtus ingeniosa latet.

Dixi.

Oratio

ORATIO IACOBI MILICHII DE Dialectica, habita in promotione Magistrorum, Anno 1528.



Vm scholę consuetudo uobis nota sit, non arbitrabar mihi opus esse longa defensione, cur huc ad dicendum accesserim. Imponit mihi dicendi necessitatem mos publicus, cui si nolim obsequi, non satis intelligere uidear, quid ad boni uiri officium pertineat. Atq; utinam quoniam non suscepi hoc officium priuato consilio, sed legibus & institutis sapientissimorum hominum, qui nobis per manus hunc morem tradiderunt, coactus, plus autoritatis ad uos oratio mea habeat, quo facilius id quod uolo, persuadere uobis possim. Verum est illud ueteris Poetæ, Eadem oratio ab obscuro & nobili dicta, non idem ualet. Vos autem iudicabitis hanc non tam meam, quàm totius senatus Academiæ, imò legum uocem esse.

Est enim mihi dicendum de ratione ac uia discendi, ac pernicioſus quorundam error castigandus, qui ordinem in discendo peruertunt, qua in re profecto & omnium præceptorum ueſtrorum, & multorum doctorum hominum sententia, uel querela potius, mea tanquam pręconis uoce uobis exponenda est. Scitis gradus quos uocant, à ueteribus institutos esse, ut præceptores de studijs iuuentutis certis temporibus periculum facerent, & ut iudicio præceptorum hi, quorum profectus probabatur, in alias classes traducerẽtur. Nos itaq; dum hoc tempore horum adolescentium, quibus Magisterij titulum

conce-

concedemus, studia cognoscimus, animaduertimus magnam iuuentutis partem, sine ratione atq; ordine in literis uersari. Vetus hæc multorum bonorum uirorum querela est, sed quoniam hoc tempore uelut in re præsenti uidi, quàm inutiliter discant quidam, uehementer dolui uicem uestrã, quare duxi hoc in loco uos esse uel admonendos, uel etiam obiurgandos. Nam monuerunt uos hac de re antea sæpe præceptores uestri, sed nescio quo malo fato fiat, ut neq; autoritate illorũ, neq; uestræ utilitatis respectu moueamini. Quam enim utilitatem aut uos ipsi, aut Respub. ex hoc genere doctrinæ capiet, quod sequi soletis, in quo nulla solida ac firma eruditio inest, & ut de priuata utilitate non dicam, est enim liberalis ingenij, studia sua ad publicam utilitatem conferre, quid expectare uel cõsilij, uel opis, Respub. ab istis potest, qui cum sine perfecta doctrina titulum doctrinæ tamen habeant, quid aliud quàm purpuratæ simię dici queant? De maximis rebus, de iure, de religione prouocatur ad iudicium eorum, qui docti uocantur. Quid autem iudicabit de obscurissimis controuersijs is, qui non penitus introspexit bonas artes, sed obiter degustauit eas fugiens, uelut canes è Nilo bibunt? Est igitur discendi ratio talis instituenda, per quam earũ artium ad quas contulimus studium, perfectã scientiam consequamur: Id ita fiet, si ordinem quendam in discendo seruabitis. Præclare dixit Xenophon in Oeconomico, nihil ordine neq; honestius, neque utilius esse. Cuius sententiæ uim cum in omnibus alijs rebus experimur, tum maxime in studijs literarum. Vide enim quantum præpostera discendi ratio habeat incommodi: Prius Theologiam aut Ius ciuile discunt quidã, quàm teneant Dialecticen, &c alia

& alia Philosophiæ elementa: Hic planè, ut Cicero inquit, claudi more pilam tenent. Tractare eas artes, in quibus uersantur, nullo modo possunt, nusquã artium fontes peruidere, non quæ cohæreant, quæ dissentiant inter se, cernunt. Hi cum prodeunt in publicum, & doctrinæ opinionem magnificam secum adferunt, hic primum deprehenduntur, hic insciti am produnt, si quid est definiendum, non uident ubi sit, si quid est partiendum, omnia unus puluis, si quod nectendum argumentum, quàm monstrosa forma syllogismi sit: si quod argumentũ dissoluendum est, ibi uero, nisi sola se impudentia tueantur, abiecto clypeo fugiunt. Hic primum pœnitet eos neglectæ Dialectices, quę cum sit ars, ut Plato ait, tradendi & accipiendi sermones, unà tradit uiam & recte discendi & perspicue docendi, nulla sine hoc instrumento ars penitus cognosci aut percipi potest. Nihil igitur isti, nisi histriones meri sunt, qui artem ullam profiteri, nisi Dialecticen teneant, audent. Plato in Repub. spurios Philosophos adpellat eos, qui sine Dialectica, satisfacere se alijs artibus existimabant, quare sicut spurijs non licet hęreditatem petere, ita procul ab omnium literarum tractatione prætorio aliquo edicto submoueri debebant illi, qui ante irrumpunt in alias disciplinas, quàm hanc artem perceperint. Quidam perlectis præceptis artis, statim se artem tenere putant, qui longissime falluntur. Vsus quidam adhibendus est in quo præcepta experiantur, ut discant quomodo arte utendum sit. Sicut non statim pictor est qui Durerum pingentem uidit, nec cytharœdus, qui uidit Adolphum eruditissime tangentem fides: ita non putet se Dialecticen callere is, qui nihil scripsit, non disputauit, denique qui artem

non exercuit. Quæ noua est hæc ingenij fiducia, arroga re sibi scientiam artis, cuius nullum habent usum? Porro cum in omni genere artium consuetudo dominatur, sic enim ait Poeta:

Solus & artifices qui facit usus erit.

tum maximam in Dialectica uim habet. Librorũ mihi similes isti uidentur, qui præceptis quę cõtinent, uti nequeunt, nam cũ causam aliquã acceperunt explicandã, nihilo magis ad illam adhibere præcepta, quàm mutę chartæ possunt. Proinde si quis utiliter uersari in alijs disciplinis uolet, is patiatur se prius in his primis artibus exerceri, & ad alias disciplinas præparari, & tantisper commoretur in hoc genere studiorum, donec ante radices egerint earum artium præcepta, quas tradimus, donec earum sibi ἕξιν fecerit, ut quoties usus poscit sint ad manum, ac uelut in numerato. Hæc est compendiaria & recta ad ueram eruditionem uia. Si quis captus splendore aliarum artium has præteruolat, ut quæ non magnopere ostentari queant, huic planè hoc accidit, quod cani Aesopico, qui dum umbram carnium, quod ea maior ad pareat, captat, ueras amisit carnes: quia nisi attulerit ad alias artes hoc quod dixi instrumentũ, fortassis aliquam doctrinæ umbram, solidam uero doctrinam non consequetur.

Dixi hactenus de Dialectica, quia omnium maxime necessariam esse iudico. Porro quid reliqua elementa Philosophiæ habeant utilitatis, ex eo facile intelligi potest, cum Medicina & Iurisconsultorum literæ sint quædam uelut absolutio & exædificatio Philosophię, quod gradus ad illas artes per hęc prima elementa faciendus sit. Hippocrates scribit alicubi, Medicum qui sit Philosophus,

sophus, planè diuinum uirum esse. Idem profecto de scientia iuris etiam dici potest, quia fontes illarum artium atq; ortus, & causę ita demum cerni possunt, si accesserit Philosophiæ scientia: adeo summis illis artibus addit Philosophia non modo lumen, sed etiam dignitatem.

Quanquam autem sacræ literæ non sumant res à Philosophia, tamen quia sermonem à publica consuetudine mutuantur sine Dialectica & cognatis artibus, compositio sermonis cognosci non potest. Adhęc cum neminem neque plura, neque meliora scire oporteat, quàm Theologum, non conuenit eum aliarum artium rudem esse: ab hoc consilium de maximis rebus petitur: hic censuram non modo de priuatis moribus, sed etiam de publicis legibus agit, quas ad res mihi quidem uberior quædam & locupletior doctrina requiri uidetur, quàm uulgo putant: de qua ut in præsentia non dicam, neque enim est instituti nostri omnia persequi, tantum hæc ad commonendos adolescentes dico: Quoties de hominis natura ac partibus Theologo dicendum est? At eam rem clarius explicari poterit is, cui notæ sunt nostræ de rerum natura disputationes.

Quantum lucis adferet sacris literis, qui Philosopho rum doctrinam de moribus cum illis conferet? & ostendet, quæ consentiant, quæ non consentiant. Ego uero etiam necessarium esse iudico, ostendere utrunq; doctrinæ genus, & interualla certa regione describere, & fines eorum regere, ut Iureconsulti loquuntur, ne possit iterum in Christianæ doctrinę possessionem Philosophia irrumpere. Quod si feciſſent ueteres, non usque adeo

contaminata esset ante hæc tempora doctrina Ecclesiastica. Quid quod etiam historiæ cognitione opus est Theologo, in qua ut tempora consentiant, iudicium ex motibus syderum, & ex eclypsibus sumitur, quam ad rem quis non intelligit, quarum artium scientia adhibenda sit? Proinde quid aliud est quàm ὄνος ἄγων μυσήρια, qui cum sacrarum literarum interpres perhiberi uelit, reliquas omnes disciplinas aspernatur? Quare ut finiam, adhortor uos adolescentes, ut iustam operam collocetis in hæc primæ ætatis studia, ut ad reliquas disciplinas instructiores accedatis. Quod si dimidium facti qui bene cœpit habet, profecto & uos in superioribus disciplinis plus promouebitis, si recte cœperitis, hoc est, si earum literarum, de quibus dico, scientiam ad eas attuleritis. Hæc quanquam sedulo præceptores uestri monent, tamen & ego, quia ita ferebat tempus, iudicaui uobis in memoriam esse redigenda.

Dixi.

Oratio

ORATIO DE DIGNITATE ASTROlogiæ, dicta in promotione Magistrorum, à Iacobo Milichio, Anno 1535.

OPtime institutum est, ut in his spectaculis de dignitate artium, & de uirtutum laude dicatur, quod ea oratio cum ad formanda iudicia iuuentutis, tum ad accendendos animos ad amorem bonarum rerum, magnam uim habet. Etsi autem præcipue solet ad iuuentutis utilitatem hoc loco accommodari oratio, tamen ne cæteris quidem ullam acroáma est iucundius, quàm artium & uirtutum encomia, quas ut quisq; intelligit, ita uehementissime admiratur. Quare & si oratio nostra aptior futura erat iuuentuti, tamẽ ne uobis quidem ingratam fore confido, quorum quo maior est eruditio & prudentia, eo magis delectari uos cogitatione ipsa artium arbitror. Dicam autem de ea parte Astrologiæ, quæ de syderum effectibus in natura inferiore disputat. Idq; argumentum eo sumpsi libentius, quia mihi non in turba imperitorum, sed apud homines doctos, & Philosophiæ deditos, dicendum esse intelligebam. Vt autem Græci Rhetores summa prudentia in definitione artis dixerunt artem non solum oportere ueram noticiam esse, sed addiderunt etiam oportere utilem ad uitam esse: Ita ego utrunq; disputabo, & ueram esse doctrinam de cœlestibus effectibus, & magnas ad uitam utilitates afferre. Atq; hic principio à uobis peto, quod æquissimum est, ne conferatis in artem errata artificum, qua de re longius mihi dicendum esset, nisi apud eruditissimos

tissimos homines haberetur oratio. Sed aliud est crimen, quod etiã apud doctos detrahit fidem arti, quod uidelicet in hac infinita casuum humanorum uarietate, ars ipsa non præuidet omnia. Negant igitur homines acuti artem, hoc est, uniuersalem & perpetuam doctrinam existere posse ex particularibus paucorum euentuum obseruationibus, quasi uero aut Medicina morbos curet omnes, aut politica sapientia omnes Rerumpub. tempestates prospicere, mederi omnibus incommodis possit. Et tamen concedendũ est, multa utriusq; artis uera & firma præcepta esse, & ad uitam utilia. Ita sunt huius diuinatricis ueræ quædam & perpetuæ significationes, pauciores fortasse, nihil enim dissimulo, q̃ Medicorum, nam hæc ars uersatur in rebus procul positis à nostro conspectu: Et cũ hominum temperamenta moresq; dijudicet, & uaticinetur de futuris maximarum in uita rerum mutationibus, diuinitas quædam esse uidetur. Quare etiamsi non tam multæ sunt huius artis demonstrationes, q̃ cæterarum leuiorum artium, artis hoc magnitudini tribuatur. Et quidem eo maiore cura quantulumcunq; est huius artis, quod superi monstrarunt hominibus, conseruari debet, eo maiore studio intendenda mens est in has significationes, quæ compertæ sunt, nam harum quoq; maxima uis est, & multiplex in uita utilitas. Non solum inepti, sed etiam improbi sunt, qui falsis persuasionibus ornare aut amplificare artes conantur. Ego ingenue profiteor, non omnium euentuum significationes cõpertas esse, sed idem affirmo multas esse certas minimeq; fallaces significationes, quas si quis animaduerterit, magnum ad regendam naturam, & plerosq; fortunæ impetus gubernandos, ad-

miniculum

miniculum habet. Extenuat hanc artem & Fauorinus apud Gellium, & dicit pauca quædam prænideri παχυμερέστερον, non solum non repugno, sed etiam plausum do, quod ait παχυμερέστερον, amplissimo præconio ornauit artem, siquidem quædam in natura aut moribus præcipua animaduerti posse inquit: At ex his homines sagaces plurima postea iudicant. Videtis in moribus q̄p multa conijciantur ex uno aliquo gestu aut cachinno. Ita cum certæ notæ quarundam præcipuarum rerum sint impressę naturę, multę ex his postea coniecturę sumuntur. Fortassis autem non esset ars ducenda Astrologia, si tantum constaret coniecturis: Nam ars est eorum quæ non fallunt. Verum & hæc ipsa ars, ut Medicina & politica, primum certis obseruationibus constat, postea ex his multæ oriuntur coniecturæ. Vidit Astrologus in genesi Catilinę diros positus atq; aspectus Planetarum, qui significabant animi crudelitatem, audaciam, præposteros mores, inquieta & infœlicia consilia. Fac non potuisse certo prædicere, Catilinam Cicerone Consule motutum esse seditionem, deinde futurũ, ut in acie in Apennini radicibus interficeretur: At animaduersis illis infaustis significationibus, quæ quidem sunt certæ, conijcere potuit, futurum ciuem turbulentum, seditiosum, & uitæ futurum exitum tragicum. Ita insignia quædam in temperamentis ac moribus παχυμερέστερον iudicari possunt, quæ non fallunt. Non igitur eo aspernanda est hæc ars, quia non omnia prænidet. Quàm pauca certa sunt in cæteris optimis artibus, & ut iam non de Medicina aut de politica dicamus, Num ideo tota doctrina de Meteoris uituperanda est, quia paucas habet demonstrationes, postea plurima conficit coniecturis? In ipsa

agricultura

agricultura quàm sæpe fallimur, num ideo non sunt colendi agri? Quin potius utamur artium beneficijs, & consideremus quousq; humana mens progredi possit. Me quidem non solum utilitas in his artibus delectat, quam in medendo, & in alijs rebus animaduerto, sed multo magis hoc, quod cum hunc mirificum consensum corporum cœlestium & inferiorum contemplor, ipse me ordo & harmonia admonet, mundum non casu ferri, sed regi diuinitus. Hæc respondere uolui ad uulgare conuitium, priusquam de arte dicerem. Est autem initio ueluti definitio quædam constituenda Astrologiæ, ut eam à superstitiosis diuinationibus, quas Ptolemæus ἀναιτιολογήτους uocat, separemus. Astrologia pars est Physices, quæ docet, quos effectus astrorum lumen in elementis & mixtis corporibus habeat, qualia temperamenta, quas alterationes, quas inclinationes pariat. Et quia inclinationibus sæpe mores, studia, consilia, casus respondent, ut ille inquit:

Naturæ sequitur semina quisq; suę.

Ideo horum quoque significationes aliquas monstrat. Quod si constabit sydera habere aliquos effectus, planè concedendum erit, hanc artem esse Physices partem, perinde ut prædictiones Medicorum. Nec ego nunc de hac parte prolixè disputabo, sed unum Galeni oraculum in hac causa recitabo, qui non solum reprehendit, sed etiam grauiter obiurgat illos, qui negant inferiora corpora affici à lumine cœlesti, & inquit, Sophisticum esse, negare manifestam experientiam. Ergo & fatetur se experientia uictum, tribuere magnam uim lumini in inferioribus corporibus, & eos qui dissentiunt, sæuerissime taxat. An dubiũ est uices æstatis atq; hyemis

effici

effici Solis acceſſu & diſceſſu, Solis lumen calefacere & deſiccare, Lunam humectare. Hæc ſi manifeſta & perpetua ſunt in his duobus clariſſimis ſyderibus, cur cætera putemus fruſtra condita eſſe? Iam perpetua experientia teſtatur, inſignes coniunctiones habere inſignes effectus, idq; in tempeſtatibus palam apparet. Vidiſtis concurſum Planetarum in humido ſigno, anno uiceſimo quarto, intumuerunt ubiq; omnes aquæ, humidę tempeſtates totius biennij fuerunt. Hac æſtate pluuias crebriores omnium opinione & inſalubres tempeſtatum uariationes attulerũt, Iuppiter in Piſcibus, Mars in Tauro. Poſſem alia multa exempla recitare, ſi temporis anguſtia non prohiberet. Nec uero dubium eſt, ut Solis & Lunæ, ita cæterorum Planetarum lumen uariare tẽpeſtates, & aerem, & corpora noſtra afficere. Res ipſa loquitur in herbis, in metallis, deniq; in contemptiſſimis rebus maximam uim eſſe, & iure laudatur illud ueteris Poetæ:

ὅτι δ' ἐν μαλάχῃ καὶ ἀσφοδέλῳ μέγα ὄνειαρ.

Quod cum ita ſit, cur putemus fruſtra condita eſſe illa pulcherrima lumina, cum quidem nulla ſit natura præſtantior aut efficacior lumine? Quin ipſe leges motuũ nonne ſignificant temperari lumen Solis & Lunæ, cæterorum Planetarum aſpectu? Mercurius & Venus nunquam procul à Sole diſcedunt. Superiores Planetæ ita diſcedunt, ut tamen in epicyclis ad medium apogeon cum Sole ſemper congruant. Poſtremo & Hippocrates teſtatur tempeſtates excitari & uariari ui ſyderum. Et diſſimilitudinem non ſolum regionum, ſed etiam ingeniorum ac morum in diuerſis regionibus docet oriri à cœleſtibus cauſis. Hæc cũ ſint certa, conſtat artis initium

uerum ac certum esse, uidelicet, quod lumen cœleste magnam uim habeat in elementis & mixtis temperandis & alterandis. Deinde & hoc manifesta temperantia testatur, lumen Planetarum dissimile esse: Saturni melancholicum, Iouis temperatum, Martis cholericum, Solis uiuificum, Mercurij siccius, Veneris & Lunę humidius. Et hæc uarie posita miras mixturas efficiunt, ut cũ in medicamentis uariæ herbę miscentur, in cantu uoces. Hæc dixi breuius, non solum quod habenda fuit ratio temporis, sed etiam quod uobis doctissimis hominibus satis probata esse arbitrabar. Venio igitur ad alteram partem, uidelicet, ut de utilitate dicam. Nec uero existimo quenquam adeo superstitiosum esse, ut neget in medendo conducere obseruationem syderum. Cumq; de hac re & præcepta extent, & nota sit experientia, non ero longior. Quanto est autem illa maior utilitas, non solum in ægrotis corporibus, sed multo magis in Rebus pub. considerare mutationum maximarum seu causas seu significationes, ut accommodare ad eas nostra consilia possimus, & arte mitigare incommoda. Vere enim inquit Plato, Syderum circuitus efficere uarias uices, nõ solum animantium corporibus, sed etiam uniuersę naturæ rerum, uitę hominum, imperijs, & Rebusp̃licis. Vt autem agricolis præcipitur, ut tempestatum signa obseruent, ita magni uiri in Repub. mutationum signa intelligere & considerare debent. Et quidem in scriptis politicis colliguntur signa sumpta à moribus & uoluntatibus, sicut Medici morbos ex intemperantia, aut corruptione humorum prædicunt. Sed magno & sapienti uiro magnopere prodest, etiam hæc cœlestia signa animaduertere, ut regere aliquo modo fortunam, &

cauere

cauere ſeuas tempeſtates, uel certe mitigare poſſit. Recte enim dictum eſt:

Qui ſapit, ille animum fortunę præparat omni,
Præuiſumq; poteſt arte leuare malum.

Etenim ſi ſignificationes illæ non ſunt conſiderandę, cur diuinitus in cœlo ſcriptæ & pictę ſunt? Cum autem Deus has notas impreſſerit cœlo, ut Reipub. denunciaret ingentes caſus, impietas eſt, animos ab hac obſeruatione prorſus auertere. Eclypſes, coniunctiones, prodigia, traiectiones, cometæ, quid ſunt niſi Dei oracula, qui minitatur uitæ hominum ingentes calamitates ac mutationes? Hæc ſi quis contemnit, Dei monitus aſpernatur. Quatenus autem hæc metui debeant, quantum omnino tribuendum ſit cœleſtibus ſignis, diſcet idem ille uir magnus ex ſacris literis, ne obrepat animo impia uel confidentia, uel deſperatio. Vt in agricultura, in nauigando, non eſt irreligioſum obſeruare prognoſtica tempeſtatum, ita in adminiſtratione rerum conſiderare naturales ſignificationes, quas Deus propoſuit, ut nos uigilantiores reddat, & curam in nobis acuat, pium & utile eſt. Sed uideamus priuatos mores. Si quis naturæ ſuæ inclinationem intelligit, alere bona & confirmare, & uitare uitia diligentia ac ratione poteſt. Verum eſt enim quod ait Ptolemæus: Sapiens anima adiuuat cœleſtem operationem, quemadmodum optimus agricola arando expurgandoq; adiuuat naturam. Hoc late patet in cura ualetudinis, in deligendo genere uitæ, ſtudij, in ſuſcipiendis negocijs uel aptis uel abhorrentibus ab ingenio. Si Curionis aut Antonij parentes ſatis intellexiſſent naturam filiorum, flectere ſingulari arte fera & inquieta ingenia ad moderationem potuiſſent. Philip-

pum Macedonem accepimus Regem in primis callidum, cum animaduertisset in filio Alexandro non sanè prauam, sed tamen asperiorem & impatientem imperij naturam esse, uideretq; eum non pati domitorem asperum, cœpit consilium doctrina & Philosophia flectendi eum ad suauitatem & comitatem. Hac ratione adeo excoluit illam naturam, ut in ipso cursu uictoriarum uix quisquam fuerit unquam humanior ac moderatior. Ita prodest uidere, quo quenquam ducat natura, ut disciplina idonea ad uirtutem flectatur, & à uitijs abducatur. Possem & alias utilitates œconomicas colligere, sed has persequi longum fuerit. Vos igitur Candidati, quia iam Philosophię uos publice addicitis, ut reliquas partes pro uirili amplecti, excolere, & ornare debetis, ita memineritis, hanc quoque partem amandam esse. Non solum stulticia, sed peruersitas est, aucupari ingenij laudem ex insectatione bonarum artium. Nam uiros bonos decet, præclaras artes & utiles uitæ pro uirili ornare, ut ad earum studia quàm plurimi inuitentur.

Dixi.

In Arith-

IN ARITHMETICEN PRAEFATIO Georgij Ioachimi Rhetici.

DVxi uobis initio exponendam esse causam quare publice docere incipiam, ne quis existimet me meo cõsilio impudenter in hoc theatrum prodire. Ego enim cum & natura sim timidior, & has artes maxime colam, quæ amant latebras, nec merentur plausus in uulgo, deinde cum uideam, quanta sit non solum scientiæ copia, sed etiam dexteritate, & fœlicitate ingenij opus, præsertim in his subtilibus artibus tradendis, mihi uero conscius sim meæ imbecillitatis, non ambiui hunc locum, diuq; repugnaui præceptoribus nostris, hortantibus, ut elementa harum artium, in quibus me mediocriter exercui, publice traderem, præsertim hoc tempore, cum altera Mathematica lectio interitu uiri doctissimi Ioannis Volmarij conticuisset. Atque illi quidem petebant, ut hac in re non solum amicitię ipsorum rationem haberem, sed etiam utilitatis adolescentium, quia magnopere prodest hæc elementa in scholis assidue inculcari & exerceri. Vicit igitur cum autoritas præceptorum, tum uero etiam uoluntas eorum optima erga rem literariam. Videbam enim eos non aliquo priuato studio deferre mihi hoc munus, sed ut adolescentibus consulerent, & quantum possent, eos ad has artes, quę sunt uera Philosophiæ initia, inuitarent.

Quare cum meam operam deesse Reipub. & adolescentium utilitati nollem, perpulerunt tandem, ut pollicerer me periculum facturum esse. Quare peto à uobis,

ut me hac officij ratione, non arrogantia aut ingenij fiducia in publicum prodijsse existimetis. Minus autem pœnitebit me facilitatis meæ, si cognouero etiã frequentiam uestram & diligentiam respondere optimę uoluntati præceptorum, qui uestrę utilitatis causa mihi hanc personam imposuerunt. Qua in re, erit etiam prudentię atq; humanitatis uestræ, meam operam boni consulere. Nam quod ad præcepta ipsa tradenda attinet, spero me uobis satisfacturum esse. Si quid autem uel in oratione mea, uel in actione desiderabitis, ueniam mihi dari peto. Agnosco enim me impediri pudore ac metu, ac ne natura quidem ad scenicam actionem aptum esse. Sed propter hæc incommoda fastidire has artes, & studia earum abijcere, ingenij est plus satis delicati & morosi, si tamen professor est sui generis artifex. Ego uero & si mihi nihil arrogo, tamen ea fide & diligentia tradam hæc præcepta, ut sperem, posse percipi atque intelligi.

Exposui causam, quare in publicum prodierim, quæ me, ut spero, suspitione arrogantiæ apud bonos & studiosos liberabit. Nunc dicam de meo consilio, uel potius de sententia nostrorum præceptorum. Hi mihi iniunxerunt, ut tradam elementa Arithmetices & Geometriæ, & quod natura harum artium postulat, initium faciam ab Arithmetica. Vtinam autem & autoritate & eloquentia tantum ualerem, ut ad harum artium studia adolescentes etiam excitare & accendere possem. Quid enim optabilius esse docenti potest, quàm habere auditores incensos & flagrantes discendi cupiditate? Sed quia præceptores nostri quotidie scholasticos ad has artes discendas hortantur, & manifesta est earum utilitas,

spero

ſpero pleroſq; præditos liberalibus ingenijs ſatis ad hęc ſtudia colenda incitatos eſſe.

Græci narrant fabulam de Pallade, quę cum ei tibias recens inuentas Mercurius donaſſet, ambulans ad flumen, cœpit inflare tibiam. Etſi autē demulcebatur ſono, tamen cū in aquis uideret facię ridicule deformari, inflatis genis, ſtatim abiecit tibias. Has Satyri, qui capti noui tate ſoni accurrerant, abiectas ſtatim excipiunt: Ita tybię ſpretę à Pallade, cœperūt Satyris in delicijs eſſe. Ad hūc modum ſinamus ſanè ingenia illiberalia delectari alijs agreſtibus artibus, aut potius quædā fragmenta artium circūferre, ſeu quęſtus cauſa, ſeu ut popularem opinionē colligāt. Sed honeſti ingenij eſt, nihil amare ardentius q̄ ueritatē, & hac cupiditate incenſum, expetere ſolidā doctrinam de uniuerſa natura, de religionibus, de motibus & effectibus cœleſtibus, de cauſis mutationū, nō ſolū animantiū, ſed etiā ciuitatū & imperiorū, de fontibus honeſtorū officiorū, & hoc genus alijs. Si huius perfectę doctrinę admiratione atq; amore tenemur, profecto etiā cōplecti hęc elemēta debemus de numeris & menſuris, quę aditum patefaciunt ad cęteras Philoſophiæ partes, quanq; per ſe ꝙq; multū habēt & dignitatis et utilitatis.

Videte enim q̄ late pateat uſus Arithmetices in œconomia, & in Rep. Ariſtoteles ſcribit, Thraces quoſdam eſſe, qui numerādo nō poſſunt progredi ultra quatuor: Quæſo te, an talibus putes cōmendandam eſſe gubernationem, non dico magni mercatus, aut uenarum metallicarū, ſed alicuius mediocris œconomię? Exiſtimemus ne à talibus poſſe rationes paululum modo intricatas euolui & explicari? Nequaq;. Sed horum Thracū ſimiles ſunt in magnis rationibus & obſcuris omnes, qui

deſtituti

destituti sunt huius artis præsidio. Nec solũ in mercatu, in metallicis, in cudẽda moneta, sed in multis alijs publicis et priuatis rebus cõputandis, arte ipsa opus est. Qui uersantur in Repub. æratij rationes nosse debent. Sæpe in iudicijs quæstiones incidunt, quæ requirunt eruditam computationem. Ideo non satis est nosse numeros naturæ beneficio, sed ars addenda est, sine qua nullæ difficiles rationes explicari certo possunt. Quare Socrates apud Platonem in legibus etiam hanc tulit, ut ciues cogantur discere Arithmeticam. Sed quid attinet de re nota prolixius dicere? Nemo enim nõ uidet in omni uita maximum usum esse Arithmetices, nisi sit stolidior Thracensibus illis, qui nõ norũt numerare amplius quatuor. Atq; hæ uulgares utilitates inuitare pariter omnes adolescentes ad hanc artem discendam & exercendam debebant: Multi enim incidere casus possunt, ubi singulis magno usui Arithmetica esse potest. Proinde & Romanis magnæ curæ fuit, ut liberi eorum cum primis literis etiam Arichmeticen perciperent. Meministis enim uersus Horatij:

Romani pueri longis rationibus assem
Discunt in partes centum diducere, dicat
Filius Albini, si de quincunce remota est
Vncia, quid superat?

Multiplex etiam Geometriæ utilitas est, non solum in ædificatione, in metiendis uasis, sed etiam uiro politico in Cosmographia, in locorum interuallis intelligendis. Sed discedo ab his uulgaribus utilitatibus.

Hi qui in studijs uersantur, & perfectam doctrinam expetunt, illam sibi utilitatem proponant, quod ad doctrinã de rebus cœlestibus nullus aditus patet, nisi per Arithme-

Arithmeticam & Geometriam. Et quidem tanta uis est Arithmetices in doctrina de rebus cœlestibus, ut mediocri Arithmetico penè omnia in doctrina rerũ cœlestium sint peruia: Certe magnam partem eius doctrinæ sine ullo negocio assequi potest. Iam uide quàm exiguo labore quantum precium operæ possis facere. Nihil facilius est, q̃ has, ut uocant, species in arte numerandi discere. His mediocriter cognitis, propemodum tota Astronomia statim percipi sine ulla difficultate potest.

Plato in Phædro fingit duplices animas, quarum alteras ait alatas esse, alteris, inquit, decidisse alas. Porro alatas ait uolitare in cœlum, fruentes congressu colloquioq̃ Dei, & pulcherrimo spectaculo cursuum cœlestium, & considerare causas omnium mutationum in inferiore natura, in aere, in animantium corporibus, in hominum studijs & moribus, in uarijs imperiorum & ciuitatum casibus. Atq̃ hæ animæ toto uolitantes cœlo captæ pulchritudine diuinarum rerum, & illius admirandi ordinis & suauitate doctrinę & uirtutis, hac una uoluptate perpetuo frui cupiunt, nec onerant animos obscœnis uoluptatibus, quæ perturbant harmoniam uirtutis in animis, & obijciunt caliginem, ne cœlestia aspicere possint. At illæ animæ, quibus alæ deciderunt, humi uagantur, et quęrunt uoluptates impuras ex rebus terrenis, nec enim illam pulcherrimam lucem rerũ cœlestium aspiciunt. Etsi autem Plato alas intelligit heroicos impetus ingeniorum, tamen ne illi quidem impetus soli animos subuehunt, sed opus est etiam artibus, quibus illi ipsi impetus attollantur. Sunt igitur alę mentis humanę, Arithmetica & Geometria. Has si alligauerit sibi aliquis præditus ingenio non sordido, facilime

penetrabit in cœlum, ac libere in cœlestium cœtu uagabitur, & illa luce ac sapientia fruetur.

Quare illi qui sunt ingenijs non monstrosis præditi, & res optimas maximeq; admirandas, & cognitione dignas aspicere cupiunt, has alas sibi addant, uidelicet, Arithmeticen & Geometriam. Harũ ope sublati in cœlum, lustrare oculis uniuersam rerum naturam, cernere spacia metasq; maximorum corporum, uidere syderũ fatales congressus, deniq; causas rerum maximarũ, quæ in hac hominum uita accidunt, animaduertere poteritis. Existimo generosas mentes hac tanta utilitate capi, & incitari posse ad has artes discẽdas & amandas. Scio enim uobis quidem satis persuasum esse, magnã dignitatem & utilitatem esse doctrinæ de rebus cœlestibus, uosq;, ut decet, auribus atq; animis abhorrere ab Epicuri deliramentis, qui deridet Astronomiam, & somniat Solem esse uaporem, qui mane accẽdatur motu, postea aut deflagret, aut in aqua extinguatur: Ita & stellas esse nubeculas casu incensas. Hæc portenta pro ueris affirmare homine indignum est, nedum Philosopho. Nulla tam barbara gens fuit, quę non sentiret, stellas esse certa & durabilia Dei opera, & certis legibus ferri, magnæ alicuius utilitatis causa. Quare contumelia est aduersus Deum, fingere hanc confusionem rerum, Solem uaporem esse casu inflammatũ, & casu ferri, ut Lucretius ait:

Quo cibus uocat atq; inuitat euntem
Flammea per cœlum pascentem corpora passim.

Plus ualeat apud nos autoritas cum doctissimorũ hominum, qui hęc deliramenta grauissimis argumẽtis confutarunt, tũ uero etiã diuina oracula in sacris literis, à quibus dissentire impietas est. Hæ clare testantur, Solem,

Lunam,

Lunam, & reliqua sydera esse certa & durabilia Dei opera, & addunt sacræ literæ, cuius utilitatis causa, lumina cœlestia condita sint: Erunt signa, & discernent tempora & annos. Hæc descriptio, & si breuis est, tamen res magnas complectitur, & Astronomiæ studium approbat. Nam ut reliquas partes omittam, si Sol ideo conditus est, ut annum conficiat & gubernet, necessaria est obseruatio cursus Solis: Nam sine obseruatione motus, nulla sunt temporum atq; annorum discrimina. Quare non obscurum est & approbari à Deo, & præcipi obseruationem cœlestium motuum. Nec putemus esse leues causas, quare nos ad hanc doctrinam hortetur etiam diuina autoritas. Nam præterquam quod utilitates magnas affert, ad communem uitam, etiam monet nos hic pulcherrimus ordo motuum, hanc naturam non extitisse casu, sed ab æterna mente ortam esse & gubernari. Proinde ualde confirmat in animis honestas opiniones de Deo, & de prouidentia. Itaq; ex Philosophis soli Epicurei fuerunt ἄθεοι, quia hæc illustria de Deo testimonia, uidelicet, certissimas motuum leges, & mirabilem harmoniam aspicere noluerunt. Decet igitur bona ingenia hanc honestissimam doctrinam amare, & quantum fieri potest, aliquid operæ in tantarum rerũ inquisitionem collocare. Ac facile multa percipient hi, qui mediocriter in Arithmetica exercitati sunt.

Redeo igitur ad Arithmeticen, quoniam de ea præcipue dicere cœperam. Postquam autem utilitates commemoraui, quæ quidem minime sunt obscurę, breuiter aliquid adijciendum putaui de facilitate. Scio deterreri adolescentes ab his artibus opinione difficultatis. Sed quod attinet ad initia Arithmetices, quę in scholis tradi

solent,& quæ ad quotidianum usum conferuntur, uehementer errant,si hęc putant admodum difficilia esse. Ars oritur ex natura ipsa mentis humanæ, & habet certissimas demonstrationes. Quare initia nec obscura,nec difficilia esse possunt,imò priora præcepta adeo perspicua sunt,ut pueri etiam ea possint assequi, quia tota res à natura oritur. Deinde multiplicationis & diuisionis præcepta aliquanto plus requirunt diligentię, sed tamẽ causæ cito perspici possunt ab attentis. Exercitationem & usum requirit hæc ars,ut aliæ omnes. Est enim uerissimum,quod ait Anaxagoras, Manũ esse causam sapientię,significans sine exercitatione & experientia nõ posse artes recte percipi. Deinde sicubi est aliquid difficultatis, memineritis nullam esse artem, quæ nihil habeat difficultatis. Et erratis profecto,si styli exercitium putatis facilius esse, quàm hæc initia Arithmetices: Nec scholæ sunt eo conditę atq; constitutę,ut ignauis ocium ad perfruendas ineptas uoluptates concedatur, sed requirunt studia, curam & acrem animorum contentionem. Nec uero nego multa ab Arithmeticis quęsita & animaduersa esse,quæ procul recedunt à captu imperitorum: nam artes omnes agitatione crescunt. Sed ego loquor de his initijs,quæ & uobis tradi solent, & ad usum conferuntur. Quare adolescentes abijciant opinionem difficultatis,& magno animo & quadam cum spe ad hanc artem discendam accedant: quod si facient,deinde & rerum suauitas detinebit eos,& sentient ipsa rerum serie difficultatem minui. Exposui quæ utilitates præcipue petendæ sint ex Arithmetica, Dixi etiam de facultate. Reliquæ sunt aliæ utilitates,sed obscuriores, de quibus non multa dicam. Verissimum est,cęteras artes facilius percipi

percipi, cognita Arithmetica. Est enim Arithmetica inter primas artes, quę docet dijudicare ac distribuere unũ & multa: ostendit ordinem rerum, & monet confusa euoluenda & discernenda esse. Hæc sunt initia ratiocinationis in hominibus. Ideo prima est numerorum intelligentia, idq; sensisse opinor Pythagoram, cum definiuit, mentem esse numerum: significauit enim animam esse ratiocinatricem, quę discernit res, et ordinẽ animad uertit. Hæc sunt maxime propria menti, & sunt primæ mentis functiones. Quare apte definiuit, mentem esse numerum, uidelicet, numerantem. Hæc causa est, cur & ueteres Græci post Grammaticen mox tradiderint Arithmeticen, deinde tertio loco proponebant Dialecticen, quarto Geometriam. Videbant enim Dialecticen initia sumere ab Arithmetica, & exercitatio multiplicationis & diuisionis, optime pręparatingenia ad Syllogismos. Item uis demonstrationis melius intelligi potest, cognita Arithmetica: quia hęc habet maxime illustres demonstrationes. Præterea multi loci in autoribus occurrunt, qui sine hac arte non possunt intelligi. Pythagorici figurate usi sunt uocabulis Arithmeticis, eaq; transtulerunt ad Physicam, & ad moralem Philosophiam, Sic enim Pythagoras Deum definiuit: Deus est excessus maximi numerorum supra proximum numerum. Ita uoluit significare, Deum esse unum, & quidem summam naturam. Nam denarium intelligit maximum numerum, huic proximus est nouenarius. Excessus supra nouenarium est unitas: Hoc modo inuoluerũt numeris totam Philosophiam. Etsi autem melius est artes proprie tradere, & non inuoluere totas figuris & ænigmatibus, tamen interdum etiam alij Philosophi, qui perspicue Phi

losophiam tradere uoluerunt, adhibent exempla, Arithmetica, quę non intelligere turpe eſt. Plato cũ dicit, mutari Reſp. propter cœleſtes cauſas, quæ certas uiciſſitudines rerũ efficiũt in ciuitatibus & imperijs, inquit: Quem admodũ reſiſtit natura in uocibus, cum ſeſquitertius fundus iungitur quinario, id eſt, cũ διὰ τεσσάρων additur διὰ πέντε, hoc eſt, cũ cõpleta eſt harmonia διὰ πασῶν. Ita cum circumacta eſt imperiorum periodus, ruunt & mutantur Reſpub. Adiecit & cauſam hanc, quia cũ plani cubi complentur ad ſolidos uſq; nec enim natura ulterius progreditur, multi diſſimiles numeri procreantur: Ita degeneres ciues, qui tamen potiuntur Repub. ex præſtantioribus orti, euertunt Reſpub. paulatim uſq; ad periodum. Hic ne uocabula quidem intelliguntur ſine Arithmetica. Sed hę utilitates leuiores ſunt, illę ſunt magnæ, quas ſupra recenſui, Quod cum in multis alijs uitę negocijs hac arte opus ſit, tum uero ſine ea ad illam prę ſtantiſſimam Philoſophię partem de rebus cœleſtibus nullus pateat aditus. Hęc magna & grauis cauſa eſt, quę accendere generoſas naturas ad hanc artem debet, quia qui expetunt ſolidam doctrinã, & magnis uiris dignã, omnibus ingenij uiribus contendere debent, ut ad cæteras communes diſciplinas illam partem de motibus & effectibus cœleſtibus adiungant. Hunc uirum qui uniuerſam Philoſophiam animo complexus, arcanas cauſas plurimarum mutationum in natura, & hominum uita, & fontes uirtutis, & honeſtorum officiorum intelligit, recte beatum dixerimus, ſicut & Vergilius ſapientiſſime dixit:

Fœlix qui potuit rerum cognoſcere cauſas.

Dixi.

Oratio

ORATIO FVNEBRIS DICTA DIVO Maximiliano Cęsari Vuittenbergę, à Philippo Melanchtone, Anno 1519.

IORDANI HERCZHAIMERO Philippus Melanchthon S. D.

ILlustrissimus & pientissimus Princeps Saxoniæ Fridericus, Vuittenbergæ Maximiliano Cæsari iusta fecit 18. die mensis Februarij, pro more Christiano, quas inferias, ut scis, oratione extemporanea prosum dicaui, eam ad te mitto, non quod tam probari uelim tibi illam, quàm studium erga te meum, qui compertum habeam, eximiam Maximiliani uirtutem longe alijs celebrandam præconibus. Dignus enim Princeps fuit, excellentium ingeniorũ conatu, atq; ut Alexandrum nephas erat, nisi à Lysippo & Apelle fingi, ita in hoc non liceat nisi summis ingenijs periclitari. Quibus quæ mea est oratio, cum accenseri nequeam, nolo uideri Cęsarem laudasse, sed uestris tantum studijs, hoc quicquid est officij dedisse. Nam siue id fatis, siue literis debeo, in omni prope cursu uitæ meæ nihil prius excolendis amicis habeo. Quanquam quid ista nimium sollicitus? qui probare mea nisi candidis & alioqui amantibus mei, non admodum contendo. Vale. Vuittenbergę.

Si unquam

SI unquam Illustrissimi Principes, Magistri, Rectores, præstantissimi uiri, casus aliquis non modo uniuersæ Germaniæ, sed omnino toti Europæ acerbus accidisse uideri potest, hic certe multo maxime, optimi Principis diui Maximiliani interitus publicis omnium lacrhymis deflendus est. Nam ereptus est terris unus omnium, qui Germanis imperauerũt Principum, multo sapientissimus & fortissimus, ad hoc eo tempore, quo nondum aliud fuit uel commodius declarandę uirtuti Cæsarianę, uel magis necessarium, cuius ille ambiguos casus sapientia sua temperaret. Quod enim fuit seculum ab ipso Germanię regno dedicato, quo uel Ecclesię opes periculosiore loco fuerint, uel turbidi motus certius exitium uniuersæ Europæ, nedum Germaniæ portenderint? Horret animus dicere: Crudelissimus nominis Christiani hostis Turca imminet Italiæ. Roma in medijs fluctibus ἀλαόσκοπος, quę debebat uniuerso orbi, nobis autem maxime, ueluti quoddam domicilium, & arx trepidantibus salutari. Gallię quę in armis annos iam ferè quinquaginta à Carolo usq; octauo agit assidua, nunquam neq; maiores animi, nec spes impotentior, neq; occasio amplior, neque fortuna indulgentior fuit. Reguli Germanię passim patriæ, ueræq; Germanicæ uirtutis immemores, intestinis bellis sua labefactare cœperunt. Hoc illo tempore sublatus est ex oculis mediaq; luce Cæsar, orphanis pater, cuius prudenia & incredibili moderatione animi, ut fœliciſſimo profectu eoq; prope supra fidem, in hunc usq; diem Germaniæ laudes opesq; auctæ sunt: ita nisi illo ipso arbitro & seruatore, stare non temere poterũt. Iure igitur dolendum est amisso

est amisso Cæsare, & bono Principe, & bono uiro, quo uiuo ut pulcherrime floruerunt Germaniæ commoda, ita mortuo, non possunt non illa emarcescere. O miserabilem Reipub. mortem, ò acerba Germaniæ fata: quæ si quando unquam sensimus aduersa, nunc certe maxime sentimus. Atq; ut intelligatis merito lugendum esse & Cæsaris interitum, & grauem patriæ casum, obiter uitam illius uniuersam, & eximia decora percurram.

Diuus Maximilianus Cæsar natus est patre Friderico Austrio, Cæsare, Leonora Lusitana, utroq; parente insigni clementia & pietate: quæ quanquam sint Austrijs ceu gentiliciæ dotes, tamen adeo in patre, ut de Leonora interim taceam, excelluerunt, fulseruntq;: ut qui cum ipso hac laude superiorum ætatum principes comparaturus sit, uideatur inuidere seculo nostro singulare hoc specimen, cuius uix umbram aliquam habent maiores: tantũ abest, ut æquasse putentur. Patrijs uirtutibus adolescens imbutus, per omnia religionis, fidei, sancti, æqui bonique tenax fuit, sed aliquanto gloriæ militaris cupiditate patrem uicit, qua factum est, ut cum illum summum uirum artibus pacis prædicet Germania, hunc nõ possit & bellicis & ciuilibus decoris maximi facere. Tyrocinium egit maximis confectis rebus in Flamingis, Brabantinis, Hollandis, Sucãbris, idq; tale, ut in eo utramq; fortunæ uicem sit expertus: sic enim oportebat adolescentem summis natum rebus, summoq; imperio gerendo uelut in stadio, in cursu rerum humanarum erudiri. Etenim cum in priuatis ingenijs ad ciuilitatem erudiendamq; uitam pertinere arbitrentur utriusq; fortunæ periculũ, quod hæc atroces ferè, illa abiectos faciat animos, uicissitudo cautos & memores humanæ sortis, in Rege

imbuendo longe primum duci debet ambiguum fortunæ rudimentum, quod neminem tam referat res humanas omnes compertas, meditatasq; tenere, quàm Principem. In hoc Vlyssen sapiens Poeta Homerus πολύτροπον fecit, atque adeo unicum boni Principis exemplar. Atque ut uidemus luxuriantes primum segetes raro fruge maturare: ita quibus immodica primum sese fortuna indulsit, ferè optima uitæ parte solent frustrari. Et ni si me fallit opinio mea, nulla omnino res est adeo efficax ad muniendum tuendumq; in exordijs uitæ hominis animum, ut iniquæ & inconciliatæ fortunæ præludium, quum in primo scilicet uitæ uestibulo, imperita communium rerum adulescentia, male compos sui, impura & insolés eruditur, agitur, & ueluti putata in usum uitæ fingitur: statimq; humana odisse, libatis id genus aduersæ fortunæ primitijs, incipit: & hoc salutare carmen in imis conditum sedibus pectoris, sic in oculis, sic in ore semper, ut uniuersæ uitę transigendę scopum habet: Domino gloria, mihi autem confusio. Scythicos aiunt equos statim ut nati sunt, quia calceari ferro non solent, in salebras duci, & aspero silice fatigari, quo indurescant pullorum adhuc pedes: Ita conducit adulescentem hominem statim fortunæ ludibrio βασανίζεσθαι, uti discat, quatenus illa sit fidendum, quàm sint omnia in hoc rerum humanarum theatro incerta, uaria, & planè, ut paucis dicam, nihil. In hunc uidelicet modum adulescenti Maximiliano contigit fortuna, uictorijs aliquot interim læta, interim aduerso casu tristis. Etenim occupata Burgundiæ opulentissima ditio, cum aliquandiu ciuilibus flagraret odijs, iuuenem Principem fortè intercipit, captiuum in uincula conijcit: idq;

non

non modo preter dignitatem regiam, sed omnino contra naturæ sensum, contra fas hominum, cõtra gentium morem ausa: neque his contenta, addit Morionem, cui captiuus Regulus quotidie ludus esset. O quantum flagitium, ò inauditum nostris hominibus scelus, adolescentem Regem tot imperijs, tot regnis destinatum, tam turpiter haberi. Sed uoluntate superum haud multo post proceribus Germaniæ deposcentibus redditus, pœnam de sceleratissimis Flamingorum populis sumpsit: non quantum tale merebatur facinus, sed quæ improbos homines flagitij admoneret: nam & in gratiam postea recepit perfidos, & quæ belli impetu perculsa & conturbata iacebant, magnifice erexit, instauravit, auxitq;. Possem commemorare, quæ in eo bello gesta sunt pleraque incredibili moderatione, ut non tam quod Flamingos uicerit, quàm quod ipsum sese superarit, laudari debeat, ni satis eadem perspecta essent uobis, quibus eius belli Dux, fortis quidem uir, & minime barbarus, Princeps Saxoniæ Albertus non ignoratur. Iam in ipso Cæsare argumentum ingentis & inuicti animi perspicuũ erat, & immortale clementiæ exemplum, qui sibi à tam insolenti, inhumano, & crudeli hoste, adeo humaniter temperauit. Quod præconium ut cum paucis commune habet (quis est enim qui talem unquam sit perpessus hostem?) ita prædicari, omnibus bonorum uocibus, omnibus celebrari literis debet, ut aliqua saltem ex parte tantæ uirtuti præmium, gloria in posteris persoluat. Non est ut hoc loco dignemur Antoninos, Traianos, multis alioqui nominibus laudatos Principes, sed clementiæ laude cum Maximiliano non temere conferendos, quæ uel hoc ampliot est, q ipsa sit

omnium heroicarum uirtutũ ſumma, prora & puppis, ut dicunt. Etenim cũ ſacrę literę Deum Opt. Max. mortalibus potiſſimum prędconio clementię & φιλανθρωπίας cõmendant, nõ poteſt eſſe bonus Princeps, qui nõ pleno pectore ſacroſanctã illã cœleſtis philantropiæ ſpeciẽ cõplexus eſt. Nam hac una iubetur maxime referre ſuperum ac cœleſte numen in terris. Tandẽ uero ſedatis inteſtinis motibus, Burgundiam Gallus inuaſit, ubi ſæpe cũ hoſte congreſſus eſt noſter, ſigna ſępe retulit. In ſumma, Gallum Germania exturbauit, atq; hic quidem eſt aduleſcętię Cæſarianę curſus, cuius uos tantũ admonui, nam ut ſingula explicentur, neq; hoc patitur dicẽdi ſpacium, neq; ingenium meũ. Iam & reliqua percurremus, melioribus inde uſq; annis cũ bello tum pace geſta, quæ omnia ingentem & uere heroicũ Maximiliani animũ arguunt. Itaq; is indole tali, uſu terũ iam non mediocri, ſpem ſui tantam Germanię proceribus fecit, ut unum faſcibus Romanis, & corona Germanici regni dignũ crearent. Imperator deſignatus, apud Aquiſgranũ Regio honore auctus eſt, idq; parente uiuo, quæ raris fœlicitas contigit. Primum omnium Germanię ſtatũ confœderatione Sueuica ſancita, confirmauit, utili ſanè conſilio, quo Germaniæ opes uel potiſſimũ cõmunitæ ſunt: fuit enim ea confœderatio hactenus in rebus dubijs certiſſimum Germanię præſidium: Oſtriam deinde ab Hungaris aſſeruit. Sub idem tempus imperauit Turcis notæ ferocię Baiazita rex, qui in Helleſpontum graſſatus bello, Illyrios afflixit: Dalmatas, deinde quæ ſunt in uicinijs regiones, Carinthiam & Croatas inuaſit, deprædaturo ſimilis: peſſimi fuerat exempli res futura, niſi irrumpentem Maximilianus prohibuiſſet: aliquot Turcarum manipuli

nipuli in fuga cæsi sunt. Iam tum hoc duce, Germania Turcas uinci posse didicit, ex quibus nos paulo ante, semper aliàs quoq; inuictis, grauissimam cladem sub Sigismundo Cæsare accepimus: uerũ nihil fuerat periculi nostris rebus ex Turcis hoc uiuo, quem scilicet iam olim agnitum nõ temere in arma uocaturi erant: cętera Baiazita inuictus, huius uim non sustinuit. Regressus deinde in Sycambris bellũ gessit, quo essent accolę à latrocinijs tuti. Nam ut assiduo in armis fuit, ita nõ gessit cum alijs bella, nisi cũ ijs qui publicę saluti infesti erant. Priuatam iniuriam uidetur tulisse minus egre, q̃ soleant uulgo Regum ingenia. Sed quid non priuatim ferret is qui non sibi sciebat imperium geri, sed Christiano populo, imõ Christo: nec aliud esse Regẽ, q̃ bonũ patremfamiliàs: qui tum se demũ beatum putat, cum beatam uidet suã cura, suis consilijs, sua industria familiam. Ita Regis est, nõ libidine sua modum statuere imperijs, sed cõmodo publico. Quo minus bonos agunt Principes, qui sibi quiduis licere putant: peiores, quibus quiduis libet, ita uidelicet imbutis, ut nullo discrimine honesta ac turpia, phas nephas misceant: qui se regnare nõ putant, nisi per omnia libidinis, ac turpitudinis crudelissima exempla, ius, phas, bonũ, æquũ, pium, sanctum, fidem, religionẽ, deniq; omnia publica & priuata cõturbent. Nolo nunc meminisse Claudiorum, Neronum, Commodi, Heliogabali, Diocletiani, Maxentij, & similium. Ipsi nos in sinu nostro, Germani, qui assueuimus semper esse liberi, tales alimus Regulos: quos si cum maiorum sæuissimis & immanissimis flagitijs cõparemus, facile crediderim, posse illos hodie in numerum bonorũ Principum relatum iri. Quanto satius erat Principes huius ętatis è Maxi

miliani ingenio, sua temperare, ut quem à superis acceperant patrem, & seruatorem, eundem moribus referrent, uel hoc etiam, quo gratitudinem animi sui cœlestibus declararent, si illum sic essent complexi, ut eius q̃ maxime similes se uellent. In hoc cum semper publicæ salutis arserit cura, nihil nõ datum est studio pacis, publicę pietati & religioni. Ipse semper in armis fuit, ne unq̃ subito motu turbaretur Germania. Ipse semper bella gessit, ut ab omni metu bellorum tuta esset Germania: cum Geldris ideo dimicauit, ne uiciniam latrocinijs infestarent: cum Heluetijs, ut suos à ui affereret: cum Palatino item, ne in Rhenum plus æquo grassaretur. Quis est enim qui nescit occupatum in Geldris, ad suscipiendum cum Heluetijs bellum graui rerũ suarum periculo à Sueuis euocatum esse, qui iam ante bellum gerebant, q̃ illius signa & aquilas uidissent? & cũ Palatinis Principibus ante multa de iure acta sunt, q̃ arma moueren-tur, fortasse tum quoq; parsurus, nisi Palatinum conuerti ad uim sensisset. Ipse hoc scio, pars illorum malorum, cũ comitijs Augustę habitis multa utrinq; iactata essent, Palatinũ nihil respondisse, nisi ut sui cũ telo essent, uindicandã armis Bauariam. Videtis qua impulsus necessitate bella Germanica susceperit. Hoc aũt memorabile sapientię suę exemplũ dedit, q̃ ea bella sic gessit, ut sontes tantũ punirẽtur, reliquę nationes quietę essent, interim undiq; pręstãs, quod in Regibus uolebat Homerus:

ἀμφότερον βασιλεὺς τ' ἀγαθὸς κρατερός τ' αἰχμητής.

hoc est, & Rex consilio, & pugnando miles: Nam in utroq; bello multa prudenter, multa fortiter fecit. Heluetios, gentem alioqui ferocem, bello eo usq; fatigauit, ut pacem libenter agnosceret, & per Gallos impetraret.

Palatino

Palatino auxiliaris ex Boemis legio cæsa est, idq; dimicante Maximiliano ipso fortissime, tamẽ & ille receptus est in gratiam, quũ satis pœnarũ dedisset. Fallor, nisi singularis est sapientia, sic bella gerere, ut solis sontibus detrimẽto sint. Et incredibilis est magnitudo animi in eo, qui modum statuit pœnę, non quem culpa meretur, sed quem facit uictoris mansuetudo. Ea tum erat Germaniæ fœlicitas, ut cum omnino esset aliquid Marti dandum, ita enim est gentis nostrę ingenium, tamen id fieret citra publica incommoda. Quando enim unq; fuit Germania pacatior, q; sub Maximiliano fuisse uidimus? Quoties sub Carolis uniuersa cõmota & labefactata est seditionibus intestinis? Dabimus aliquid Othonũ fœlicitati, & gentilitiæ laudi: semper enim Saxonia pacis amans fuit. Certe Francorũ Henricos tragica etiam mala afflixerunt, quum aliquandiu pars Germanorũ filio, pars patri studeret, ut reliqua prętream. Ab eo uero tempore quo imperauerunt Sueui, quęso quid fuit in Sigismundum usq; lęti in uniuersa Europa, nedũ Germania? Prudẽter Fridericus primus, qui belli molẽ in Italiam, ac deinde Asiam uertit: Qui hunc secuti sunt omnia infœliciter. Regnũ pariter uindicarunt Philippus Sueuus, Otho Saxo, deinde Adolphus Nassaensis, & Albertus Austrius: post hos Ludouicus Bauarus, & Fridericus Austrius. In hęc, nequid deesset mali, quot Pontificum urbis Romę diffidia, quot item Germanię deuotiones inciderunt, quibus semper aduersa fuit huius regni tranquillitas, ne sua in Italia tyrannis imminueretur: nam prętor id quod aliquoties uniuersa Germania diras Pontificias pertulit, non raro priuatim quoq; urbes ac ditiones aliquę desecratę sunt. Ita nunquam bellorum semina non

na non miniſtrabant Pontifices Germanis, quę hoc imperante nulla fuerunt: nunquam Germania uniuerſa commota eſt, nunquam labefectata, hoc imperante, religio: quę niſi admirabilis quædam ſapientia, & planè cœleſtis, integra & ſalua conſeruare nō potuit: & hunc Principem ereptum tertis non doleat Germania: Dederat Iulius Pontifex materiem inteſtini quoq; belli, ſed quæ fuit Maximiliani prudentia, cauit ne Italia

Εξις, πολέμοιο τέρας μετὰ χερσὶν ἔχουσα

egrederetur: Nam ultimum operum mortalium geſſit bellum Italicum, cuius euentus paulo iniquior fuit, reliqua enim fœliciter contigerunt, perfidia gentis in cauſa eſt. Eamq; fortunam cōmunem habet cū Carolis, Othonibus, Fridericis, Ludouico Bauaro, et Sigiſmūdo: adeo ſemper gentis dubia fides, & Pontificum odia, mala conciliarunt noſtris Principibus. Id quod Rodolphus Habſpurgus, qui primus è famila Auſtriorum Romanis faſcibus auctus eſt, bello & pace clarus, intelligens, rogatus quur Italiam petere nollet, per apologum Aeſopi

Olim quod uulpes ægroto cauta leoni
Reſpondit, referam, quia me ueſtigia terrent
Omnia in aduerſum ſpectantia, nulla retrorſum.

Bellua multorum eſt capitum Roma: Videlicet ſignificaturus nemini ex Germanis Principibus proſpere aduentum in Italiam ceſſiſſe. Cętera fœlix Maximilianus, hunc caſum fatis debet, quem tamen communem cum omnibus alijs habuit. Atq; hęc ferè ſunt, quorū uos obiter tantum admonui, quę ille memorabilia bella geſſit, ſonge his præſtant decora pacis, quibus, ut nondum ullo tempore tam floruit Germania, ita cū eo nemo ſuperiorum Principū conferendus eſt. Liberalitas in eo ſumma, cultus

ma, cultus pietatis præcipuus, plurimarum artium & linguarum cognitio, omnium ciuilium rerum tantus amor, quantum hodie illo ipso autore ciuilis cultus in Germania uidemus, quem omnes eo esse loco scitis, ut cum nostris nulla possit comparari extera natio. Literas fouit, decretis in studia stipendijs Viennę, ubi primum Mathematica & Poetica reflоruerũt: cuius exemplo cũ alij Principes ad literas animũ adiecerunt, tum maxime optimus Saxoniæ Princeps Interrex Fridericus, cuius cura restituitur fontibus suis Theologia, hic tanto fœlicior, quanto omnibus alijs disciplinis sacrę præstant. Digna est omnino Principe uiro cura rei literarię, & quod illa renata sapere incipiat Germania, & quod sine literis nemo imperare recte sciat. Id quod dixisse fertur Sigismundus Cęsar ad Ludouicum Comitem Palatinum Rheni, auum eius qui hodie ditionem gubernat, senemq; permouisse, ut iam canus Latinas literas disceret, non aliter q̃ Cato Græcas. Mechanica uero quædam à Maximiliano inuenta sunt, quędam aucta: Nam ad illa eum miro ingenio fuisse, dignis fide testibus didici. Sed quid ego singula commemoro? ante oculos ponite Reipub. Germanicæ statũ, ut illius auspicijs erexerit caput nuper, hoc emortuo, ò fata, & ò necessitas modo tursum demittat. Videor mihi uidere ante oculos communem parentem omniũ nostrum Germaniam pullatã ac sordidatam, miserabili gemitu, reuocare Seruatorem suum: stantes, hac proceres militiæ nostræ, illac effusum gregem eorum, qui studijs pacis hoc Principe stipendia fecerunt. O nos miseros, quibus hunc tam clarum solem inuiderunt superi. O infœlicẽ patriam amisso parente ipso tuo. O infœlicem pacis alumnam fidem, amisso assertore tuo.

O infœlicem rerum publicarum custodem cõcordiam, amisso eo qui per omnem uitam concordiæ iura religiosissime tutatus est. O infœlices Musas, amisso unico penè præsidio uestro. Quæso uos uiri, erigite animos, & Germaniam ipsam lapsantem, oculis contemplamini: Me enim plura dicere non sinit nunc dolor. Omnes interim tanti Principis memoriam contemplatione uirtutum sanctam ducamus, quo nondũ alius in regno Germaniæ, neq; priuatim, neq; publice maioribus ornamentis illustrauit Europam. Doleamus casum nostrum, quibus alienissimo tempore, atq; adeo eo, cum sapientissimo nobis Principe opus esset, Maximiliano carendum est. Vides autem Illustrissime Princeps Friderice, ut in te iam res uniuersę Imperij Romani inclinatę recumbãt. Tu pacis studia, ius, fidemq; publicam, quæ in humeros iam tuos inciderunt, sustinebis, seruabis, ac tueberis. Magnum uirtutis tuæ documentum hactenus orbi dedisti: Iam nunc tibi connitendum est, ut cum salute nostra sapientiam & uirtutem tuam coniunxisse uideatis. Hoc superest, ut sacris uotis pijsq; inferijs Maximiliani animam prosequamur, quod illi, uel ut parenti, Principi, uel ut fratri, homini debetis. Tu quoq; per bonitatem tuam Christe Iesu Opt. Max. te quæso, da preces te nostrę supplices placẽt, da ut sentiant Maximiliani manes, profuisse sibi apud te pias Ecclesiæ preces, cui tu eum gubernatorem ac Principem fecisti. Per bonitatem tuam Christe Iesu Opt. Max. te quæso, interim plebem tuam

assere, serua, protege, quæ sanguine tuo imbuta, non aliunde quàm ex te sibi salutem sperat.

Dixi.

Oratio

ORATIO DICTA IN FVNERE Friderici Saxoniæ Ducis.

EGo in hoc publico luctu, acerbissimoq; omnium dolore, cum erat uel interitus Sapientissimi Principis deplorandus, uel iactura Reipub. quam illo amisso fecimus maximam, deflenda, uel oratione leuandæ mentes procerum, aut etiam populariũ, non modo non satis præsentem animum ad dicendum adferre me sentio, Sed hæc uox etiam testis officij pietatisq; nostræ, mœrore lachrymisq; impeditur. Et cum præclaræ uirtutes huius Principis hunc honorem, quo semper optime constitutæ ciuitates summis uiris parentarunt, in primis mereantur, grauiter crucior, quod pulcherrima eius merita, præsertim in recenti luctu, à nobis ornari nequeunt. Nam cum Reipub. orbitate, quę in hoc motu, & his tenebris sapientiam huius hoc tempore tanq; lumen requirebat, uehementer perturbor, tum auget dolorem priuatus luctus. Etenim cum uiuum non modo propter beneficia quæ extant erga me ab illo profecta innumera, coluerim, sed etiam propter insignem uirtutem unice admiratus sim & amarim, non potuit fieri, quin tanti uiri interitu ualde consternarer. Nos igitur & ingenij inopia, & dolore impediti, non instituimus encomium laudum illius, tantum hac misera uoce, & his lachrymis gratitudinem animi nostri declaramus, ut intelligi possit iucundam nobis illius uirtutem, grata officia fuisse.

Sed ut intelligat rectius hæc turba, quantam gratiam

manibus huius Principis debeat, attingam obiter quasdam eius laudes, & tanquã procul ostendam. Et quamuis non sumo mihi tantum, ut oratione mea leuari mœrorem illorum posse sperem, qui iacturæ magnitudinẽ intelligunt, quam hoc casu Respub. fecit, tamen spero fore, ut illa ipsa memoria uirtutũ, illius leniat acerbitatem luctus. Cum diuinę literę doceant diuinitus præfici Magistratus Rebuspub. & fato Principes dari, plurimũ profecto superis hæc debet natio, postquam talis contigit Princeps, qui cum esset primũ natura factus ad omnes artes pacis, & ad humanitatem & mansuetudinem, nihil antiquius, aut prius populi salute habuit. Prædicent alij maiorum imagines & uetera stemmata, qua laude quanquam abundent Saxoniæ Principes, tamen erant alia in Friderico maiora, scientia gerendi imperij, & animi magnitudo summa. Fallitur autem, siquis putat armis tantum & ui teneri Respub. plus ad eam rem momenti adferunt pacis artes, iusticia, moderatio animi, constantia, tangi cura publicæ salutis, diligentia in dicendo iure, in dirimendis ciuium dissensionibus, tolerantia in perpetiendis uulgi erratis, sæueritas in coherendis improbis, clementia in seruandis his qui corrigi possunt. Ad uulgus in maiore admiratione sunt, clariusq; cernuntur bellicæ uirtutes, & pluris fit miles aliquis athletico robore, quàm moderatus & placidus ciuis. Togatæ uirtutes & urbanę, ut aliæ res bonæ latent, nec satis notę sunt imperitis. Itaq; leuiter laudati eos putant, quibus pacis studia artesq; tribuuntur. Ego uero ita sentio longe præstare, siue quis utilitatem spectet, siue hominis naturam, castrensi usui pacis studia, nec patiar prępponi Augusto Principi quietis ocijq; amãti, Antoniũ Impera-

Imperatorem magnũ illum quidem, ſed pernicioſum Reipub. Nec Græcis plus contulit Alcibiades, quàm Solon: Quorũ alter bellum ex bello ſerens euertit patriam, alter legibus latis & ciuitate iure conſtituta non ſemel tantum ſeruauit. Finxerat itaq; Deus ad has utiliores & meliores uirtutes Fridericum. Quapropter primum turbulentis Germaniæ temporibus, tamen ſemper cauit, ne quo bello ſuę gentes uexarentur.

Quam mihi uictoriam audet aliquis ad hæc conferre, cum tam uarij motus annis iam plus triginta in tota Germania fuerint, cum toties uis pararetur, multi, ut fit in regno, inuiderent ei ocium, multi inſtigarent ad mouenda arma. Crede mihi, non mediocris illa tum prudentia erat, tum fortitudo, animũ atq; iracundiam uincere, parcere populi uitę, & pecunijs, ratione, conſilioq; uim hoſtilem diſcutere. Periclem ferunt animam iam penè agentem, cum circumſtantes amici prædicarent eius trophęa & uictorias, dixiſſe illam laudem non tam ſuam eſſe, quàm militum aut fortunę: hanc eſſe proprie ſuam, quod nemo ciuis ſua cauſa unquam nigram ueſtem induiſſet. uolebat enim docere, priuatę dignitatis tuendę cauſa neminem unquam ciuem interfectum à ſe eſſe. At hic noſter non modo priuatas iniurias nunquã cum periculo ultus eſt, ſed bella etiam & uim publicam ratione, ſine ciuium cæde oppreſſit. Verius hic de ſe prędicare poſſit: Cedant arma togę. quàm Cicero, qui motum in Repub. ciuilem armis crudelius etiam quàm res poſcebat, uindicauit. Porrò quemadmodum periculoſis tempeſtatibus ſine ſumma uigilantia, ſummoq; labore nauem ſeruare incolumem gubernator non poteſt, ita tam duro tempore pacatam tenere prouinciam tot

annos, non est uulgaris ingenij opus. Et si uictoriæ sanguine partæ trophæis ac triumphis ornantur, quàm grata nobis esse debet harum uictoriarum memoria, ubi solius Principis consilio diligentiaq; bella profligata sunt. Quod si intelligeret uulgus, quantam perniciem ac uastitatem fœliciſſimum etiam bellum adferat, & uideret propius pacis commoda, profecto statueret nihil à Deo melius, nihil utilius, nihil diuinius his regionibus dari potuisse, quàm talem Principem tam pertinaciter fugitantem bella. Porrò non caruerunt honore hæ uirtutes eius, dum enim uident publicis commodis tanta fide eum seruire populares, tanquam patrem ferè amarunt, nulla crudelitatis aut iniuriæ suspitio hæsit in ullius animo. Eratq; id consecutus quod scribit Xenophon, Esse difficillimum, & planè diuinum, ut uolentibus imperaret. Neq; uero Principi quidquam contingere potest honorificentius, quàm ut prudentiæ & iustitiæ laudem illi ultro concedant subditi, ut salutem suam tuto illi commissam putent. Sic ille æquitate diligentiaq; domi forisq; Rempub. pacatam annos plus triginta tenuit, legibus, moribus, ædificijs, ditionem undiq; exornauit. Id magis putauit regium esse, excolere, ornareq; bono publico prouinciam, quam maiores tradidissent, q̃ cum multorũ iniuria fines regni proferre amplificareq;. Et ut Græci prouerbio monuerunt, Spartam nacto ornandã eã esse. Ita hic summa ui animi incubuit in hoc, ut tanq̃ domũ paterfamiliàs, redderet ditionẽ omnibus bonis rebus florentiorem. Possem hic etiam cõmemorare, q̃ periculosa dissidia exterorum Principum, q̃ multa bella autoritate sua diremerit: Sed neq; tempus longiorem orationem, neq; uires meq; ferunt, & pleraſq; res gestas

notas

notas esse uobis arbitror, quas si animo reputabitis, intelligetis summa prudentia, summoq; consilio in Rep. uersatum esse, & uere salutarem Principem & patriæ & exteris fuisse. Ego profecto summã hanc ueriſſimamq; laudem eius esse duco, quod ita pacem tutatus est, ut tamen à bello prouocatus etiam, abstinuerit: Qua laude nihil excogitari Principe illustrius potest. Diuina enim præconia etiã meretur, nam cũ mundus imperij possessionem ui atq; armis defendi debere existimet, Christus cõtra, pronunciat beatos esse mites, & à sæuitia alienos, eisq; possessionem terræ pollicetur. Et paulo post, pacificos etiam filios Dei adpellat. Erant tamen in eo priuatæ etiam uirtutes magnæ, præcipuum religionis Christianæ studium: Nam sacra per omnem uitam religiose tractauit, & cum magna uarietas opinionum de religione his temporibus fuerit, tamen optima certissimaq; semper delegit. Et cum antehac Pontificum constitutiones, & quidam humani ritus pro religione soli docerentur in templis, præstitit ea quæ in moribus erant diligenter, id quod ego specimen bonæ mentis interpretor: & quia putabat illos ritus cõducere ad assuefaciendos animos uulgi, inuitandosq; ad studium cognoscẽdæ religionis, templa cõdidit, ceremonias inuexit, accersiuit undecũq; qui sacra docerent. Et tamen accipio tum quum animo requireret synceriorem tractationem Christianæ doctrinæ, sæpe cum doctis uiris confabulatum esse de ui naturaq; religionis. O altam generosamq; mentẽ, neq; enim plebeios animos incessit hæc cura contemplandæ, perueſtigandæq; religionis. Magnam quandã ingenij uim, & heroicam indolem animaduerto in eo fuisse, cũ tantopere arsisse studio perdiscendorum sacrorum uideo.

Est autem

Est autem profecto hæc cura inprimis digna Principe. Sæpe detestatum ferunt, siquis humanas rationes in causa religionis adferret, propterea inquit, quod nihil tam acute colligi posset, quin idem euerti etiam queat argutando. Dicebatq; optare se ut de sacris ex solo Dei uerbo iudicaretur. Hæc tum agitabat animus eius, cùm religio tota esset obruta Monachorum somnijs. Postea uero quàm perpurgari cœpit, & tanquam reuiuiscere Christiana doctrina, adplicuit animum ad eam penitus cognoscendam, ne quid temere aut probaret, aut damnaret. Vbi perspexit uim religionis, toto pectore amplexus est ea, quæ ad suam mentem conformandam facerent, & pietatem alerent, ociosis disputationibus, quæ ad ædificationem nihil conducunt, longum ualere dixit, et in ritibus publicis, quia uidebat prophanos quosdam homines contemptis publicis moribus, prætextu libertatis Euangelicæ propemodum in belluas mutari, diligentissime cauit, ne quid mutaret temere, ne suo exemplo imperiti peccarent. Et sentiebat, id quod res est, publicam morum mutationem periculosam esse. Cumq; de religione hoc modo, ut dixi, sentiret, & regionibus suis pure doceri sacra pateretur, quanta Deum immortalem constantia, quanto robore animi sustinuit inuidiam, qua in Pontificio regno flagrauit, uicit Pontificum fulmina, & minas summorum Regum, contempsit conuitia uulgi, sacrificulorum sacra in quæstu habentium. Qua in re satis declarauit se ex animo uereq; fauere Christo, cum illius notam sibi inuri pateretur, cum in corpore suo illius stemmata gestaret, hoc est, cum ad Christi exemplum, ipse etiam laceraretur. Quid enim nisi perpetua carnificina animi fuit ille hostiũ impetus?

Cuius

Cuius mihi Eremitæ ieiunia & uigilias, cum his afflictionibus audet quisquam conferre? Non profecto grauius oppugnatus est Ezechias, quanquam mœnia Solymorum cinxisset hostis. Vidit hic quoq; non semel expediri aduersus se arma, & propemodum iugulo gladium intentari. Sed quia religionis causam sciebat humanis uiribus sustineri aut defendi non posse, nihil ipse contra molitus, salutem suam & suarum gentium Deo committebat, Et quemadmodum uir fortissimus apud Poetam ait:

Quidquid erit superanda omnis fortuna ferendo est.

Ita patientia, moderationeq; animi inimicorum sæuitiam, quantum fieri potuit, mitigauit. Non uacat hanc laudem tractare pluribus. Prætereo iam quod schola constituta sensit, quantum adferat Rebusp. scientia literarum, quas uulgus Principũ odit cane peius & angue. Omitto qua diligentia fideq; amicos adiunxerit, coluerit, & quod in regno difficilimum est, retinuerit. Prætereo quæ in adeundis periculis contatio fuerit, quę constantia in perferendis fuerit. Non dico quanta suauitas in familiari congressu fuerit, quanta in sermone urbanitas, quanta ingenij argutia fuerit. Non commemoro scientiam rei familiaris gubernandæ, quę fuit in illo mira, & qua nuper annonam ingrauescentem laxauit. Hęc omnia animo repetẽda sunt uobis, & memoria omniũ illius uirtutum ac meritorum reuocanda, ut expendatis primũ, quantam Deo pro tali Principe gratiam, deinde quantã ipsius manibus debeamus, nulla ętas ex animis nostris memoriam tantæ uirtutis ac beneficiorũ delere debet. Amisit enim, miseros nos, patria non tantũ Principem utilem ac salutarem, & diuturnę pacis custodem,

sed patrem etiam à quo bonis omnibus rebus exornata est. Diuinos honores meruerunt alicubi, qui culturam agrorum ostenderunt: Hic agrorum culturam, educationem sobolis, atq; institutionem, negociationem constantissime tutatus est, pace per tot annos conseruata. Amiserunt & studia nostra Mœcenatem, nemo enim Principũ, ingenia aut norat melius aut aluit benignius. Amisit uniuersa Germania Senatus imperij Principem. In hoc plurimum bonis omnibus præsidij erat, ad hunc proxime in magno Germaniæ discrimine detulerant rerum summam omnes ordines, huius sapientiam & autoritatem iudicabant parem esse gerendo imperio, hũc tanquam oraculum aliquod in ambiguis rebus consulebant. Et amissus est hoc tempore, cum tota Germania ciuili bello ardet, & ut ille dixit:

Vicinæ ruptis inter se legibus urbes
Arma ferunt, sequit toto Mars impius orbe.

cumq; ad restituendam pacem, ad legum, religionisq; emendationem, huius autoritate, prudentia, & animi magnitudine maxime opus erat. Nolim patriæ male ominari, at metuo tamen, ne Deus iratus terris hunc eripuerit, ne quem haberemus idoneum publicę pacis autorem. Multis iam prodigijs iram suam significauit Deus, nata monstra, Soles complures uisi, noctu irides conspectæ, sonitus in aere tympanorum auditus, ut aut rerum omnium finis uideretur impendere, aut singularis Germaniæ clades. Accessit ad hęc Friderici mors, quem unum habuimus Principem, cuius consilio publica mala sanari poterant. Et mortem tuam Friderice non deflemus? non doleremus uicem nostram orbati, non Domino, sed patre, alienissimo tępore. Coniecit oculos

patria

patria in fratrem tuum, illius se fidei tuto quidem committi sentit, sed ipse etiam putat se sui aliquam partem perdidisse, te exincto, animi tui præsentiam & robur in asperis omnibus rebus desiderat. Hic Senatus etiam ditionis dolore mœstitiaq; exanimatus, caput publici consilij, tanquã in Imperatorem exercitus in dubia pugna requirit, tua signa, tuam uocem sequi adsuetus. Sed nimium indulgeo dolori, quin recreo me, & colligo, quæ luctum aliqua ex parte minuant. Sunt autem à sapientibus uiris de breuitate uitæ mortalium, deq; communi nascentiũ conditione disputata ad assuefaciendos animos, ut communia mala æquius ferrent. Quæ nos hoc tempore non attingemus, Nam ego Friderico ipsi, quam quam & ratio & multarum rerum usus addiderat magnum quoddam robur ad ferendas res duras, tamen aliam puto maiorem, efficaciorem q; causam, firmo animo adeundæ mortis. Norat enim ex Christiana doctrina, mortem esse generi hominum diuinitus impositã, nõ modo, ut pro peccato pœnam lueremus, quod erat sanè miserũ, sed, quod pijs esse pergratũ solet, ut morte deponatur peccatum, & ingrediamur immortalitatis iter. Porro & ante acta uita, & illa demum animi præsentia, cum iam penè animam ageret, argumento sunt sensisse suam Deo salutem curæ esse. Nam præterq; quod religiose munijt sese Eucharistia, & Christianis precibus, sic accipio respondisse sub ipsum uitæ finem, cum consolaretur quispiam: Deus dedit, Deus abstulit, sit nomen Domini benedictũ. O præclaram uocem, & testem bene sentientis animi de Deo. Nam mihi crede, quisquis ita adfectus est, ut sentiat huius lucis usurã diuinitus nobis cõcessam esse, deinde nos nõ temere occumbere, sed

Dei arbitrio exuere hoc corpus, præterea non tantum deponi uitam, sed Deo iam committi, postremo etiam Dei nomen in extremo discrimine prædicat. Is procul dubio animaduertit præsto adesse Deum portum & profugium periclitanti. Nam impia mens nescit se diuinitus accepisse uitam, temere existimat se occumbere, nihil in tanta calamitate præsidij habet. Postremo exe-cratur etiam diuina omnia cum deseri se sentit. Hic uero implorans opem à Deo ipso, & postulans, ut aliorum precibus iuuaretur, non semel professus est, quid spera-ret, ut se reiecisset totum in Christum, interim etiam ue-rissimo suauissimoq; pręconio ornans Deum. Etenim cum quidam admoneret fauere Deum afflictis, ipse sub iecit clara uoce, atque alacri: Id uero mihi constanter de Optimo Deo meo promitto. Multa insuper precatus, condonari sibi si quem læsisset: mentio etiam facta eo-rum, quibus uidebatur subiratus, ut sentirent depositum odium fuisse. Multa constituit de Repub. deq; pri-uatis rebus, eodem uigore animi, quo in optima ualetu dine fuerat, quædam ipse legit, multa dictauit, uerbis & sententijs ita collocatis, ut pristinã mentis acrimoniam agnoscere, postremo ex sententia constitutis omnibus, leniss imo genere mortis extinctus est, ut satis adpareret, & morbis corporis uires diu iam fractas fuisse, & animũ satis obsequentem, facilemq; ad hunc extremum actum fabulæ suæ accessisse. Magnus quidam uir inter Græcos scripsit, Philosophiam mortis commentationem esse, putatq; in eo summam esse sapientiam, si ad mortem obeundã bene cõparatus assuefactusq; fuerit. Sed eum puta recte assuefactum, qui ad Christi exemplum, Euan gelij causa multa tulerit. Hic uero noster quàm uarie

quassatus

quaſſatus ac uexatus eſt annos iam aliquot religionis cauſa? Quæ mortis & exitij ſimulachra interea animo obuerſata ſunt? ut ſperem ueniſſe ad extremam hanc pugnam paratiſſimum. Quod cum ita ſit, & cum ille commode hanc calamitoſam uitam depoſuerit, gratulemur ei potius talem uitæ exitum, in quo tam multa ſigna extant, ut immortalitatem adeptus, non amiſiſſe uitam, merito credi debeat. Et cum ipſe æquo animo diſceſſerit è uita, feramus ipſi etiam patienter uoluntatem Dei, atq; optemus potius, ut ſimili mortis genere, cum hinc euocabimur, defungamur. Fœlicem exiſtimemus Fridericum fuiſſe, in cuius uita tanta fuerit æquabilitas fortunæ, quiq; illam animi ſui lenitatem moderationemq; ad extremum uſq; ſpiritum retinuerit. Pacem dedere ſuperi per omnem uitam, mens contigit quæ & ingerenda Repub. quia tuta ſemper conſilia bello præferebat, nuſquam à fortuna deſtituta eſt, & in priuatis rebus ſiquid aduerſi fuit, ut ſunt humana, moderatione animi conſtantiaq; uicit. Hicilli uitæ curſus fuit ſecurus, & fœlix, qualem optare ſibi alij Principes merito debeant. Agamus itaque gratias Deo, qui illi autor tantæ fœlicitatis fuit, quiq; regionibus noſtris tam ſalutarem, tamq; fœlicem Principem donauit. Non debeo prohibere, ne iacturam publicam hoc amiſſo factam deplore tis: Verum interea poſtulo tamen in his querelis, ut offi cij etiam ueſtri recordemini, ac gratias referatis Deo pro illo cumulo beneficiorum, qui tali Principe uobis contigit, & memoriam uirtutum Principis animis ueſtris infigatis, cogitetisq; quid illius etiam manibus pro ſummo labore & magnis ærumnis, ueſtra cauſa ſuſceptis, debeatis.

Debetis autem hoc primum, ut salutem animæ illius piis precibus Deo commendetis, deinde ut religiose pa reatis optimis Principibus, qui huius uicem subeunt, & publicæ salutis tranquillitatisq; tuendæ, turbulentissi mo statu totius Europæ prouinciam suscipiunt. Hanc pro pulcherrimis meritis Friderici manes gratiam de bitam reposcunt, quam nisi large præstiteritis, suscipie tis non simplicem culpam. Non enim ingrati tantum aduersus benemerentem Fridericum eritis, sed impij etiam in Deum & autorem beneficiorum, quæ illius im perio accepistis, & auspicem noui imperij. Nec erit im pune ingratitudine Deum offendere. Precor autem Deum, ut Friderici animam pro sua misericordia seruet actueatur, deinde, ut nouum hoc imperium Fratris for tunet, & his miseris temporibus has regiones prote gat, & uobis mentem det, publicæ tranquillitatis aman tem, ut Principes uestros, quemdmodum diuinitus præceptum, summa fide religioneq; colatis.

Dixi.

ORATIO FVNEBRIS IN MORTEM Ioannis Ducis Saxoniæ, Phil. Mel.

POstquam Principi optime de uniuersa Repub. merito hoc postremum ac debitum officium persoluẽdum fuit, ut Reip. parentaremus, non hoc mihi sumo, ut summam mœsticiam procerum, & amplissimi ordinis oratione leuem, qui acerbissime lugẽt interitum Principis, & propter gratam memoriam uirtutis & bonitatis eius, & propter Reipub. pericula, quæ hoc extincto, qui semper pacis autor fuit, impendent plurima: Nulla enim oratio inueniri aut par magnitudini doloris istius potest, aut quę animos à tanta mœstitia uideatur reuocatura, qua quidem ego quoq; penè exanimor. Sed quoniam ad populum oratio habetur, commonefacienda nobis est multitudo, ut memoriam uirtutis ac beneficiorũ extincti Principis conseruet, eaq; in re pietatem & gratitudinem, quam Deus præcipue iubet reddere Principibus, præstet. Quæ enim ingratitudo, quæ impietas dici maior possit, quàm talis uiri interitu non adfici? cuius extant in uniuersam Remp. multa ingentia beneficia, quo amisso, quæ tempestates, quę mutationes rerum impendeant, horret animus dicere. Itaq; ut memoriam uirtutum ac meritorum eius conseruemus, quædã ex ipsius historia repetam breuiter, impedior enim dolore & lachrymis, quo minus possim multa dicere. Nihil hic de generis nobilitate dicã, qua Saxonię Duces abundant: nihil de adolescentię studijs, quanquam hæc in isto habent eximiam laudem modestiæ atq;

stiæ atq; continentiæ, nihil dicam de reliquo uitę cursu, tantum illud tempus attingam, quo rexit hunc Ducatũ, fratre Friderico Clarissimo Principe mortuo, Id enim multiplices habuit casus, in quibus perspici Ducis Ioannis pietas erga Deum, constantia, moderatio, studium pacis, & cæterę uirtutes dignæ bono Principe possunt. Ac primum illud, quæ trophæa, quas gratulationes meretur, quod turbulentissimo tempore præstitit, ut hæ regiones essent tranquillæ & pacatæ, cum quidem perpetuo molirentur non pauci bellum aduersum nos, horũ conatus profecto diuinitus repressi sunt. Sed tamen id quoq; Principis officium est, quem Deus propitius texit. Deinde multa in his ipsis rebus ualuerunt eius auctoritas, moderatio, diligentia, quæ extorserunt aliquoties arma de manibus quorundam cupidorum, nihil enim atrocius dicam. Et quàm late pateat hoc beneficium, facile iudicari potest, quia ea causa quam tuebatur, nõ ad unam aliquam gentem, sed ad uniuersam Germaniam pertinet. Si quod exarsisset bellum, haud dubie futurum erat, ut inflammaretur tota Germania. Itaque dum pacem domi retinuit, præstitit, ut plurimæ aliæ nationes tranquillæ essent. Ac uero non solum inimici eius auctoritate & moderatis consilijs repressi sunt, sed socij etiam ferociores, quos cõtinere & ad moderationem flectere quanti fuit negocij, non potest hoc loco dici. Vidimus arma sumpta, & uictoria erat in manu, ubi tamen æquitate Ducis Saxonię perfectum est, ut quamlibet irati cæteri abijcerent arma, & componi sine cæde paterentur: qua in re uel præcipue enituit in eo magnitudo uere heroica, cum parceret inimicis eo tempore, quo nocere facilime poterat, & quidẽ talibus, à quibus uarijs iniurijs affectus

affectus erat, & à quibus deinceps plurimum periculi esset. An non ostendit hac in re animum inuictum aduersus omnes priuatas cupiditates? Nam postquã spes ostensa est componendę rei, non expetiuit uictoriam, nõ gessit morem iracundiæ, sed his rebus omnibus prętulit tranquillitatem Reipub. Hæc est uirtus magno uiro ac sapienti præcipue digna, iracundiam uincere, & priuatis affectibus anteferre publicam utilitatem. Prædicentur in alijs res bello gestę, hostes in acie uicti, paratæ armis prouinciæ, illa enim sunt magna, & sæpe necessaria: sed non minora sunt hęc, ratione & animi moderatione excitatos motus sedare ac mitigare, consilio prohibere, ne res ad arma deducatur. Itaq; recte liceat usurpare illud:

Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ.

præsertim si quis etiam consideret, quantum hæc moderatio boni attulerit uniuersæ Ecclesiæ Christianæ. Quid enim futurum esset, qualis dissipatio Ecclesiarum ac religionum secutura, quæ sacerdotum in utraq; parte cædes, si bellum oriretur? & cum inter arma sileant leges, quanto magis disciplina Ecclesiastica, & religionis doctrina consilescceret, tum armis oppressa, tum fanaticis doctoribus, quibus licentia belli locum præbitura esset. Itaq; quidquis semper maluit Dux Saxonię, quàm has religionis controuersias armis dijudicari, quod eius iudicium quanti faciendum sit, uel ex eo existimari potest, quod in eadem uoluntate adhuc quidem uidetis fuisse optimum Principem Carolum Cæsarem Augustum, ut alia mitiora remedia potius tentaret, quàm bellum moueret. Cum igitur Principis nostri tum fœlicitas, tũ autoritas, tum etiam moderatio animi plurimum ua-

luerit hactenus ad retinendam pacem, quantum ei debeant omnes nationes, præcipue uero hæ regiones, nō est obscurum. Quid autem dicam de eius domestica administratione, quæ tota clementię atq; humanitatis plena est? Homerus ait, Vlyssem uelut patrem bonum rexisse Thracenses, & Xenophon, qui quidem absolutum exemplar boni Principis in Cyro proposuit, inquit, Bonum Principem simillimum esse patris boni. Quis autē unquam ullum durius dictum aut asperius nostri Principis notare potuit? Tantum abest, ut quicquam superbe aut crudeliter unquam fecerit. Ac mihi uere uisus est prorsus paternum animum erga ciues omnes habere. Animaduerti enim significationes suę humanitatis cum in sermone, tum in alijs multis officijs. Vidi ipse quàm uere induebat aliorum affectus, si quid suis deberet, & tamen hanc lenitatem iure temperabat: Cohercere improbos uolebat. Ac si fortassis in ea re uisus est hominibus imperitis cunctantior, laus est bonitatis, quæ certe eminere debet in Principe. Vita eius interior modestissima, nullus luxus, nullæ delicię uiro indignę, nullæ libidines erant, quicquid à negocijs uacui temporis habuit, id totum contulit in lectionem sacrarum literarum, propterea q; religionis Christianæ amantissimus erat. In hoc etiam postremo tempore multa legit, & ut ex certissimis testibus cognoui, sæpe certas preces interdiu repetiuit: quæ pericula quàm patienter propter studium Euangelij tulerit, nemo ignorat. Et fauit Deus his uirtutibus, tot annis defendit eum, & uaria pericula discussit, ac sæpe eum propemodum non secus atque Ezechiam obsidione cinctum liberauit. Nunc nostra adhuc tranquilla patria, eum ex hac uita euocauit bene præparatum ad

tum ad mortem, tum alijs casibus, tum etiam morbi sæ uitia. Iure igitur dolemus, orbati tali Principe, tot præ= dito uirtutibus, tanto pacis studio, tanta bonitate erga suos, ut nõ minus uere pater, quàm Princeps dici possit. Nunc quibus in periculis, in quanto discrimine uersa= mur, non dicam, ne male ominari uobis uidear. Illud precor Deum Opt. Max. ut fœliciter conquiescat Dux Ioannes, & ut familiam tueatur, & filio uere successu= ro in patriam administrationem faueat, eumq; tueatur, ac defendat, inter hæc pericula quæ impendent, & ut ipsi ac Reipub. pacem ac tranquillitatem donet, ad uti= litatem Ecclesiæ, & laudem nominis Christi: Id enim agnoscimus & prædicamus, non posse Respub. tueri, nisi Deo conseruante. Quare ab ipso opem implora= mus, ad ipsum confugimus, qui quidem testatur, se au= diturum esse preces afflictorum. Idem uos omnes adsi= due petere à Deo debetis, ut Principem, sub cuius tu= tela latemus, seruet, & ut pacem & doctri= nam Euangelij, & aliarum hone= statum artium studia retineat.

Dixi.

LAVDATIO FVNEBRIS DOCTORIS Sebaldi Munsteri, scripta à Vito Vuinsemio.

Abstulit atra dies nobis mortalia membra
Sebaldi, mergens funere sæua uirum.
Spiritus æterna sanctorum sede receptus,
Perfruitur lætus iam propiore Deo.
Ingenij decus, & uirtus non occidet unquam,
Iutis in hanc solam mors habet atra nihil.
Hic igitur studia & uitam mores q; pudicos
Dicemus simul & tristia fata uiri.



Optarim equidem, si ita Deo Opt. Max. uisum fuisset, ut uiuo potius Doctori Sebaldo Munsterer, optimo & doctissimo uiro, eam, quam pro ipsius uirtute, atq; ingentibus erga nos & hanc scholam meritis debebamus, obseruantiam & gratitudinem præstare posse mus, quàm mortuo hunc qualemcunq; honorem habere. Neq; enim paruam iacturam hæc schola fecit, uiri tanti interitu, nec mediocre uulnus omnes boni accepe runt, orbati hoc tam fideli consiliorum & laborum socio, & amico syncero ac iucundissimo.

Nos quidem hic acerbissimus casus tanto luctu ac mœrore adflixit, ut uix quidquam in uita tristius nobis acciderit. Sed cum Deo uisum sit, hoc tempore animam ipsius ex illius corpusculi sepulchro, & his mortalitatis tenebris euocare in lucem suam cœlestem, nos nostra quidem causa dolere possumus, quibus huius uiri dul-

cissima

ciſſima conſuetudo adempta eſt: Illius autem uicem ſi doleamus, parũ fortaſſe pie id facere uideamur, in eoq; diligendo magis noſtræ q̃ illius utilitati ſeruire: Nam ſacræ literæ nos prohibent queri de eo, quod Deus de uita aut rebus noſtris uel amicorum ſtatuit, cum conſtet eius uoluntatem ut immutabilem, ita clementem ac paternam erga nos eſſe. Et adeo præclare cum illis agitur, qui hoc præſertim tempore uitam cum pia morte permutant, ut qui illorum interitum grauius doleat, magis ſua, quàm illorum cauſa id facere, magisq; ſeipſum q̃ illos uehementius diligere uideri poſſit.

Sed cum in tam triſti caſu lachrymas tamen tenere non poſſimus, & illa commiſeratio à natura animis noſtris infixa ſit, ut dictum eſt à Poeta:

Sunt lachrymæ rerũ, & mentem mortalia tangũt.

ignoſcet id nobis Deus, quod ſubito hominum charorum interitu commouemur, & imbecillitati potius noſtræ illud quàm diffidentiæ adſcriber. Non enim id eò facimus, quod de benigniſſima diuini patris uoluntate erga illos uel nos dubitemus, aut quod male cum illis agi putemus, qui humanis rebus eximuntur, hoc eſt, infinitis ærumnis ac miſerijs liberati, in illam cœleſtem patriam transferuntur: Sed quia uel hunc affectum, ut dictum eſt, nobis à natura tributum, non facile exuere poſſumus, uel hoc officium amoris & beneuolentiæ illis præſtandum ducimus, quorum nobis memoria merito grata & iucunda eſt, uel eum honorem uirtuti illorum deberi cenſemus, quibus nullus honor tribui non debitus poteſt.

Etſi igitur inane hoc noſtrum uel ſtudium uel officiũ uideri poteſt, & ob eam cauſam in reprehenſionem for-

taſſe quorundam incurret, nos tamen nõ pigebit hanc qualemcunq; beneuolentię & gratitudinis ſignificationem prębuiſſe, in eorum ſaltem morte utcunq; decorandis, quibus nullam aliam gratiá referre iam poſſumus.

Olim adoleſcentes, ut ingeniorum aut induſtriæ ſpecimen aliquod exhiberent, propinquos in funere proſtris laudare ſolebant, multisq; id laudi fuit, & ille uelut primus aditus ad noticiam & famam hominũ atq; honorem habitus eſt. Ego uero mihi non aliquam ex hac re ingenij laudem capto, quõd intelligo, quàm in me uel nullum, uel perexiguum ſit, uerę eloquentiæ, quæ in id ætatis hominem ne quidem cadere poteſt, niſi quis, officij hanc laudem, aut obedientię eſſe putabit, quam equidem non repudio. Scio enim q̃ nullum ſit maius ornamentum adoleſcentiæ, quàm uerecundiæ & obedientiæ laudem. Sed quia mihi hæc uelut funebris oratio inſtituta eſt, omiſſa longiore præfatione, ad rem ipſam, ut potero, accingar.

Ac primum de moribus & uita Doctoris Sebaldi nihil attinere puto, ut pluribus dicam, cum ea maiori parti ueſtrum nota ſit. Scitis enim eum his lenioribus uirtutibus, modeſtia, temperantia, iuſtitia, uerecundia & innocentia ſumme ornatum fuiſſe, his ille ducibus uitam placidiſſime exegit, utq; uixit nulli mortaliũ moleſtus, ita & mortuus eſt. Ingenium illi fuit mite ac placidum, dixiſſes hominem ad humanitatem & manſuetudinẽ, quaſi diuinitus ſculptum & factum. Hanc ipſe naturę leuitatem ſtudio quoq; & meditatione tuebatur, ſumma diligentia cauens, ne quod duriter à ſe aut aſpere non modo fieret diceretur´ue, ſed ut & in aſpectu, inceſſuq;, & omni denique animi corporisq; habitu ac motu eandẽ ſuauitatem

suauitatem ac lenitatem conseruaret. Et si, ut est, uerecundia recte ornatus uitę, & custos omnium uirtutum à Cicerone dicitur, hanc ille uirtutem uel potius uirtutum omnium reginam ac moderatricem inde usq; à puero in omni uita & actione illibatam summa cura retinuit. Adeo ut nonnullis parum animosus, & ob eam causam ad id genus doctrinę, quod tractabat, minus idoneus uideretur, at ille non tanti ducebat ullum adplausum, ut propterea uerecundiæ septa transilire uellet, non enim prophanæ multitudinis iudicio, sed recta ratione, quid deceret metiebatur, atq; si etiam peccandum esset, malebat iuxta regulam Isocratis in hanc q̄ illam partem peccare: minus enim turpe putabat plusq; conueniret timidum se q̄ impudentem iudicari. In reliqua uero uita & moribus nihil erat illo pudicum magis, nihil ab omni turpitudine remotius. Et quod in talibus ingenijs accidere solet, quæ ad humanitatem & clementiam cū natura ducuntur, tum uero per omnem uitam adsuefacta sunt, ut sint, ἠθικότερα & ad omnes illos leniores motus, ac præcipue σοργὰς molliora, ita quoq; Doctore Sebaldo nihil erat magis φιλόσοργον, nihil amore & benuolentia in suos profusius.

Sunt nonnulli, præsertim ex Satrapis illis, qui errore mentis eam fortitudinis laudem ducunt, si uel erga uxorem & liberos duriores sint, uel saltem esse uideantur, lædi suam existimationē rentur, si quod erga suos amoris aut beneuolentię signum ostendant: Sed ut apud Euripidem Amphytrio præclare dicit, se paruorum nepotum curam non adspernari, sed illos secum uelut ἐφολκίδας manu ductare, seq; hoc officium uiro bono dignum iudicare, Ita Doctor Sebaldus in optimam coniugem &

gem & dignos tali patre liberos clementissimum se ac benignissimum præbebat parentem, ita tamen, ut nihil prius necantiquius haberet, q̃ ut liberi ad pietatem, uirtutem, ac optimarum rerum studia erudirentur: Erat igitur eius domus, quædam modestiæ ac uerecundiæ, & sanctissimæ disciplinæ schola.

Res familiaris illi, ut scitis, non ampla fuit, imò ne mediocris quidem, sed tenuis, & penè affecta, planeq̃ talis, qualem Salomon à Deo optat, cum ait: Demensum meum da mihi. Atqui scimus non paulo maiorem uirtutem esse, re modica & sua contentum uiuere: fortunam, qualiscunq̃ à Deo contigit, boni consulere, eaq̃ pie ac honeste uti, non inhiare alienis facultatibus, neminiinuidere, nullius cursum impedire, quàm ingentibus opibus quocunque modo quæsitis, splendide uti. Patrimonium ille hoc pulcherrimum & ampliſſimum suis relinquere studebat, nempe, famam paternæ probitatis & uitæ, liberorum piam ac rectam institutionem: alterum quidem pleniſſime consecutus est, alterum præclare inceptum immatura mors interrupit. Atq̃ utinam multos tales patres familiàs iam ciuitates haberent, quorum domus, ut Doctoris Sebaldi fuit, essent uelut paruę quædam Ecclesię, in quibus Christiana disciplina ac doctrina uigeret, tum proculdubio melius & Respublicæ essent habiturę, & minus horribilium exemplorum hęc ætas paritura.

Dixi de moribus & uita huius uiri, ut potui, breuiter quidem, de studijs & doctrina eadē breuitate experiar. Prima enim ætas illi acta est in ijs literis, quæ si ullo in homine, in illo certe, nomen, uimq̃ suam comprobarunt: nihil enim illo humanius, nihil suauius, nihil mitius fuit,

tius fuit, aut tractabilius. Atqui ab eo effectu studia humanitatis dicta esse constat, quod, ut Cicero ait, ad percipiendam colendamq; uirtutem adiuuent, atque illud ἀθικὸν, hoc est, suauitatem & mansuetudinẽ, in animis, moribus, & uita hominum efficiant. Vt uero alia terra cultui magis obediens est, alia minus, ita ingenia quoq; alia alijs facilius flectuntur, formanturq; doctrina. At Doctori Sebaldo inde usq; à pueritia ingenium contigit lene ac humanum, quod postquam disciplina & literis excoli cœpit, facile omnes uenustate ac suauitate morum superauit.

Deinde progressus ætate, de sententia amicorũ Ius ciuile discere cœpit, in eiusq; tractatione non quidem infœliciter, fideliter certe uersatus est. Quumq; natura à litibus & strepitu fori abhorreret animus, tranquillitati & quieti natus, quiq; magis beneuolentiæ, quàm litium iura exercere consueuisset, nõ ille quidem foro prorsum abstinuit, sed tamen in interpretatione iuris ac docendo potissimum operam consumpsit, in qua re præcipue integritas ipsius, innocẽtia, & iusticia eluxit: Non enim ad calumniam, non ad acerbitatem, non ad cupiditatem, non denique ad quæstum id studium contulit. Non igitur ille magis Iuris consultus q̃ iusticiæ dici potuit, qui, ut de Seruio Cicero prædicat, quæ à legibus, & à Iure ciuili proficiscebantur, semper ad facilitatem æquitatemq; referebat, neq; constituere litium actiones malebat, q̃ controuersias tollere. Hoc uero cum in omni uitatum in studijs, & illo doctrinæ genere, in quo uersabatur præcipue sibi propositum habuit, ut se, quantum posset, contraheret, suoq;, quod aiunt, pede metiretur, Et quod ille de Mecœnate dicit:

Parcis, & in tenues humilem te colligis umbras.

id de Doctore Sebaldo uerissime dici potuit: sua enim sorte, utut esset, summe contentus fuit, sublimes & splendidas conditiones, ut molestiarum, periculi, atq; inuidię plenas, fugere solebat, subinde hoc subijciens, quod est à Poeta sapienter dictum:

Crede mihi, bene qui latuit, bene uixit, & intra
Fortunam debet quisq; manere suam.

Huius igitur uoti sui prolixe compos factus, id consecutus est, quod paucissimis contingit, nempe, ut & in negocijs sine periculo, & in ocio cum dignitate uiueret. Planeq; eum uitę cursum tenuit, quem cũ omnes docti ac sapientes uiri semper sibi exoptauerint, pauci tamẽ tenere potuerunt, præclare enim ille dixit, quicunq; fuit:

Fœlix ille animi diuisq; simillimus ipsis,
Quem non mendaci resplendens gloria fuco
Sollicitat, non fastosi mala gaudia luxus,
Sed tacitos sinit ire dies, & paupere cultu
Exigit innocuę tranquilla silentia uitæ.

Cum igitur illi uitæ institituto, quod sibi certo iudicio delegerat, prælegendi ac docendi munus maxime conuenire statuisset, statim ad id cœpit animum adplicare, multumq; ea in re ingenij dexteritate, multum fide, plurimum uero diligentia & assiduitate discentibus profuit. Non pauci uelut aditu ianuaq; ab ipso patefacta, ad intima penetralia eius scientiæ fœliciter introgressi sunt, quiq; in hac schola non infimo loco sunt inter Iure consultos, hi se Doctori Sebaldo debere, quidquid in ea doctrina profecerint, ingenue fatẽtur, ab ipsius enim diligenti ac fideli institutione progressos, haud difficili cursu eò quò uoluerint, peruenisse.

Id si quis

Id si quis in parua laude ponendum censet, is mihi haudquaquam res eo quo merentur pondere metiri uidetur. Nam qui ingenia præparant, ut Reipub. possint esse usui, quique illud seminarium politiæ, nempe, iuuentutem fouent atq; excolunt, ut tempestiuos inde fructus ciuitates possint percipere, hi non paulo melius de rebus humanis mereri existimandi sunt, quàm qui ad ipsa rerum gubernacula sedent. Hi enim, quantum forte in uno Nestore est, Reipub. commodant, at illi decem plures ue Nestoras ex sua schola producunt. Regunt hi actuentur unam aliquam ciuitatem, illi multis ciuitatibus gubernatores instruunt. Deniq; eorum, qui Rebuspub. utiliter præesse possent, breui uel nullum, uel perpaucos habituri essemus, si docentium industria laborq; cesset.

Etsi igitur uulgus uilem operam Reip. eos nauare putat, qui iuuentutem erudiunt, tamen si quis ista uera ratione, & pro magnitudine utilitatis expendat, intelliget nullum genus hominum non Respublicas modo, sed & Ecclesiam perinde cõtinere ac stabilire, ut eos qui primam illam ætatem sana doctrina & optimis opinionibus imbuunt, præsertim si quis cum reliqua doctrina studium ueræ pietatis ac religionis coniungit, id quod Doctorem Sebaldum enixe scimus fecisse: eam enim doctrinam, qua Christiana religio continetur, cupidissime amplectebatur, ad eamq; & studiorum suorum, & uniuersæ uitæ cursum dirigebat, à librorum sacrorum lectione quotidie sua studia auspicari, in eaq; desinere & conquiescere solebat. Et ut ipse in omni uita pie affectus erat erga Deum ac Christum, ita familiam quoq; suam, liberosq; ac discipulos ad eandem pietatis curã summo studio nitebatur transfere. Neq; id modo sanctissimis

cohortationibus, uerum & exemplo suo, moribusq; ac uita efficiebat, quam cũ pie, sobrie, casteq; exigeret, uel tacitus suis tamen calcar addebat ad eandem sanctimoniam amplectendam.

Dedit uero illi Deus, ut uitam placidam ac tranquillam, ita animũ ad omnem fortunã ferendam æquissimum. Solitus erat subinde, si quid forte tristius, ut sunt humana, accidisset, seipsum hac uoce consolari, ut diceret, se ista, qualiacunq; essent, boni consulere, quod sciret nomen suum adscriptum esse numero sanctorum, in cœlo. O uocem piam, & quam nullũ aliud nisi Christo deuotũ pectus potest emittere: quiq; sic affectus est, eum nulla quantumuis sæua tempestas contutiet. Et si, ut ille ait, fractus illabatur orbis, ferient impauidũ ruinę.

Prętitit uero erga quoscunq; potuit benignitatẽ homine Christiano dignam, summa uoluntate quibus potuit, & re, & consilio, & officio inseruiuit, omnem sibi diem perijsse ratus, quo non beneficio quo piam aliquẽ sibi demeruisset. Deniq; in eo ipso beneficentię cursu uitam reliquit. Nam dum eos qui pestiferi morbi cõtagio infecti erant, in domũ suam benigne accipit, dum etiam à mensa non arcet, dum uitę eorum, ac saluti consultum cupit, dum morientibus adest, dum famularum eodem morbo correptarũ congressus neq; ipse nec uxor uitant, eas benigne fouent curantq;, contrahunt sibi eandem luem, qua & intra paucos dies ambo consumpti sunt. Quibus quid aliud uitam abstuliſſe dicamus, q̃ ipsorum fidem & benignitatem?

Porro pietatem suam erga Christum, & fidem, Doctor Sebaldus uel præcipue declarauit, in hoc extremo rerum suarũ actu, qui qualis cuiusq; anteacta uita fuerit, pleruuq;

plerunque solet ostendere. Non enim illum coniugis optimæ & dilectissimæ interitus, quę paucis ante ipsum horis elata est, non uiolentia morbi ingraueſcentis, non tot paruorum liberorum orbitas, solitudo, egestas, non hæc, inquam, tam multa tamq; grauia uulnera illum ab eo, in quo constiterat, gradu, Christianæ constantiæ & patientiæ potuerunt deijcere: Imò insultabat ille dolori, insultabat morbo, insultabat denicq; morti. Cũ enim amici quidam cõsolandi causa ipsum adijssent, paucis ante obitum horis, ostendit illis anthraces & pestifera hulcera quæ in manu & brachio eruperant: Et quàm uobis, inquit, istę armillę & præciosæ gemmæ placent, quibus me Christus meus exornauit? Cumq; illis hoc dictum lachrymas excussisset: Atqui, uos hæc, inquit, neutiquam uilia ornamenta iudicaueritis, cũ hoc enim nuptiali uestitu ad cœleste cõuiuium cũ Christo meo in perpetuum celebrandum sum iturus. Sic ad illud ęternũ præstantissimarũ ac sanctissimarũ animarũ conciliũ migraturus, sic denicq; Deo redẽptori meo placiturus sum.

Hæ uoces satis declarant, illi iam ante mortẽ, omnẽ sensum morbi mortisq; exemptum fuisse, & ipsum iam tum cũ hæc diceret, oculis suis in illam æternam sedem fœlicitatis respexisse. Quidquid enim doloris in animo hæserat ex optimæ uxoris interitu, quidquid cruciabile uel in ęgrotatione, uel in morte fuerat, quicquid curę aut mœroris illi filiorum orbitas afferre poterat, id uniuersum tolerabile sibi reddiderat, planeq; superauerat, quia se totum tradiderat diuinæ uoluntati.

Lætus igitur ac uelut triumphans ex hac uita emigrauit, imò uero ex tenebris & morte, in lucem, ueramq; ac æternam uitam commigrauit. Atq; talem quidem uitæ

exitum soli sancti, Christoq; per fidem uniti fortiuntur, ut de diuo Stephano præclare dictum est:

Ibat ouans animis & spe sua damna leuabat.

Hi enim soli mortem, ad cuius saltem nomen uel mentionem totus orbis contremiscit, contemnere didicerunt. Hi dolori, ægritudini, mœrori, in summis & acerbissimis adflictionibus medium unguem ostendere norunt. Sic Christus in suis cum maxime infirmus uidetur, fortissimus uictor existit. Sic ille semel morte, peccato, & inferorum portis expugnatis, glorioſissimum egit triumphum: Sic adhuc quotidie per sanctos suos triumphat.

Sed redeo ad Doctorem Sebaldum, cuius interitus, uel potius transitus in meliorem uitam, ipsius quidem causa nobis dolori esse nō debet. Nam eo quidem tempore, eoq; statu rerum uitam reliquit, quo nihil admodum ipsum ad uiuendum potuit inuitare. Ita uero sancte pieq; mortuus est, ut tam nobis certum esse debeat ipsum iam cum Abrahamo, Dauide, diuo Paulo, alijsq; sanctis, cum Christo deniq; frui æterna sapientia, æternoq; splendore ac ueritate Dei. Hoc, inquam, tam certū nobis esse debet, quàm certa ea sunt, quæ oculis cernimus, quæq; manibus palpamus. Et ut magna hæc est consolatio Christianis mentibus, cū fratres suos uident, tam fœlici fato defungi, sibi quoque mortem talem, & eandem æternæ fœlicitatis hæreditatem animo proponentes, Ita huic mundo Deus grauissime minatur, cum sanctos suos ad se reuocat, cum per mortem eripit ingentibus malis, quibus impios est puniturus.

Esaias ait, Iustum interire, & homines id minime considerate: sanctos colligi à Deo, nemine id obseruante. Cum

te. Cum ipsi atrociſſimis pœnis, quæ ſunt oppreſſurę impios, morte ſua liberentur, & poſt hanc uitam æterna quiete ac tranquillitate perfruantur, cæteros & in reliqua uita maneant horribiles plagæ, & poſt eam ſempiterni inferorum cruciatus. Ita ſub tempus excidij populi Iudaici, Deus Apoſtolos & ſanctos ſuos, alios alio caſu, partim ad ſe transferebat, partim ex ijs locis abducebat, per quæ illa horrenda tempeſtas itura erat. Et fuerunt hæc ſemper haud obſcura indicia maximarum calamitatum impendentium, cum boni atq; pij paulatim ſuo quiſq; fato ſublati ſunt, ne tantum dolorem caperent ex ruina & uaſtitate rerũ, ne´ue in ipſos quoq; aliqua pars eorum fluctuum redundaret. Non tantum enim per defectiones ſolis, aut lunę, per ſtellas crinitas, per columnas ignis in aere uolantes, per alia id genus oſtenta, mundo exitium Deus prænunciat, ſed & per ſanctorum ſuorum interitum, quos cum uelut triticum ſeparat colligitq; in horreum ſuum, ſignificat ſe paulo poſt incendio daturum eſſe paleas.

Debebant igitur ſaltem hæc exempla ad pœnitentiã reuocare homines, ſi non plane excordes, & obſeſſi à Satana eſſent. Sed nimium uere dixit Eſaias, iſta non curari à mundo, ruunt in exitium ſuum, & quidem horribile atq; æternum, homines, non ſecus ac qui rabie conciti ferro ac proprijs dentibus uiſcera ſua lacerant, & totus mundus triſtiſſimum ſpectaculum eſt iſta conſideranti. Pij uero his exemplis fidem ſuam confirmant, ac uelut è propinquo ſpem ſuam contemplantur, uident iam portum tranquillitatis atq; æternę ſalutis, in quem & ipſi ex hoc turbulento mari fœliciter ſint ingreſſuri. Vident contra horrendas procellas & charybdes, quæ impios

impios sint absorpturæ, illos monent, multisq; cum lachrymis obtestantur, ne ita miserabiliter pereant, prædicunt illis exitium, reuocant, seruare conantur. Sed surdo canunt, neq; id tantum, uerum & pro gratia sęuissimũ odium, persecutiones, & dira supplicia lucrifaciũt, talia σῶτρα reddũt homines sanctis, reddiderũt & ante Christo salutis autori. Non igitur mirũ, si ira & pœnis diuinis inundat hic mundus. Nihil enim tam sęnũ aut horribile cogitari potest, quod nõ ista impietas longe exuperet.

Sed desino queri de prauitate mundi, cuius, sicut uerissime dictũ est, ea est natura, ut neq; uitia sua, nec remedia ferre possit. Ad Doctorem Sebaldũ redeo, de quo mihi hęc instituta est oratio, cuius interitus, & si nobis quidem luctũ ac mœrorem attulerit, qui optimo uiro, fidelissimo amico, homine utili in hac schola orbati sumus, tamẽ id nos uicissim consolari debet, q; utillum ad ęternę fœlicitatis sedẽ hinc translatũ esse nõ dubitamus, ita nos quoq;, ubi miserijs hnius uitæ perfuncti erimus, eódem peruenturos esse scimus, ubi cum eo, alijsq; præstantissimis ac sanctissimis uiris de rebus cœlestibus, de infinita bonitate ac sapientia Dei, & præcipue de hoc inenarrabili beneficio ipsius, q; Filium suum pro nobis peccatoribus redimẽdis tradidit, cõmentabimur, quęq; nunc tenebris huius carnis inuoluti, obscure ac uelut per transennam cernimus, ea tunc clarissima in luce non uidebimus tantũ, sed & in ęternũ ijs in summa lęticia & fœlicitate perfruemur. Præclare diuus Bernardus: Mors, inquit, impiorũ pessima est, quorũ & natiuitas mala, & uita peior. Sed preciosa mors est sanctorũ, planè inquam, preciosa, ut quę & finis laborũ est, & uictoriæ cõsummatio, aditusq; & ianua ad uitã ac ęternã securitatẽ. Dixi.

De laude

DE LAVDE VITAE SCHOLASTICAE

Oratio, dicta à Melchiore Fendio, in promotione Magistrorum.

CVm consídero eos, qui in hunc locum ad dicendum prodeunt, uel argumenti nouitate, uel eloquentia placere, animaduerto mihi ualde opus esse humanitate atque æquitate uestra. Nam argumentũ nouum quod quidem huic loco conuenire uideretur, nullum reperiebam, nec peruulgatis addere aliquid splendoris dicendo possum. Cum autem publici officij ratio imponat mihi dicendi necessitatem, erit humanitatis uestræ, ut uos quoq; æquitate uestra publicum morem conseruetis, me non grauatim audire, & orationem meam boni consulere.

Decreui autem dicere de dignitate uitæ scholasticæ, deq; comparatione uestri ordinis cum cæteris ordinibus & uitæ generibus: Neq; ego non uideo quantum, q̃ amplum argumentum susceperim. Sed quanq̃ pertexi nunc non poterit, tamẽ utile erit capita rerum attigisse. Quemadmodum autem Medici in præceptis ualetudinis, monent, ut aeris qualitatem in quo uersamur, diligenter obseruemus, Ita magnopere conducit, genus uitæ intelligere, in quo uel nostro, uel alieno iudicio collocati sumus. Et est quædam Philosophiæ pars, gradus humanorum officiorum, atq; ordines considerare & recte discernere. Deinde nescio quid alijs accidat, mihi quidem in hac fortunæ tenuitate, & in his difficultatibus quibus cõflictor, hæc res aliquid solatij affert, quod

hoc uitæ genus, & sanctissimum & hominis naturę conuenientissimum, & uitæ utilissimum esse cogito. Cum hæc bona colligo, fero æquiore animo incõmoda, quæ comitantur hanc uitam, quæ sunt plurima: Nam ad ipsos studiorum labores, accedit paupertas, quam perferre posse, magnitudo animi est non uulgaris: Adde q superbissime contemnimur, non solum ab imperitis, à mercatoribus, à centauris, sed etiam ab illis semideis, qui regnant in aulis, propter opinionem doctrinæ aut sapientiæ. Postremo non tantum contemnimur, sed etiam in odio sumus. Hæc incommoda quàm non sint leuia, res ostendit, deterrẽt enim plurimos à literis. Ego tamen non dubito ea hic commemorare, ut cogitetis fortitudinem quandam esse, inter has difficultates non abijcere literas: Deinde monebo, ut his malis opponatis uera & non fucata huius uitę scholasticæ bona.

Initio autem præfari uolo, me nihil de dignitate cuiusquam ordinis detrahere. Non delector illa Cynica Philosophia, quæ uituperat omnes artes, omnia uitę genera. Melius & humanius, inquit Aristoteles, ciuitatem non ex Medico & Medico, sed ex Medico & Agricola constare, hoc est, ex multis ordinibus: Quare singulis tribuo suum honorem. Sed gradus considerandi sunt, quos plerunq; stulti conturbant. Sic igitur statuetis, uitã scholasticam primum necessariam esse Reipub. & maximas ad communem uitam utilitates afferre, deinde & sanctissimam ac Deo gratissimam esse, postremo etiam iucundissimam. Et quidem tantas ad uitam utilitates ex uita scholastica peruenire, tantum in hac esse ueræ dignitatis, ut quamuis titulo præstent Reges & Episcopi, tamen reipsa par sit illis ordo scholasticus.

Hoc cum

Hoc cum animo constitueritis, etiam opera danda erit, ut hanc uitam omni studio ornetis, ut fortiter labores, & omnes difficultates perferatis, quæ comitantur hoc uitæ genus.

Sed quas tandem ob causas usq; adeo laudamus uitam scholasticam? Vulgus iudicat esse ociosam uitam, atq; inde scholasticam appellarunt: Latini nuncuparũt ludos hoc conuentus discentium. Quid autem dignitatis in ociosa uita, aut in ludis esse potest? De his appellationibus postea dicam. Prius enim ostendam, minimũ esse ocij in hac nostra militia: nec ludum esse hęc studia literarum, sed seriam inquisitionem maximarũ rerum.

Duæ res sunt, quibus nihil melius ac diuinius habet humana natura, uid elicet ueritas & iusticia. Harum inquisitio & explicatio commendata est scholis. Nec uero obscurum est, ueritatis & iusticiæ cognitionem maxime necessariam esse ad bene uiuendum, & utilitates ad uitam maximas afferre. Non enim sine doctrina religiones coli, non leges condi aut retineri possunt. Quanto præsidio destituta esset uita, si Medicinam nemo disceret aut doceret? Quantis ornamentis carendum esset, si nemo disceret Mathemata, si nulla temporum discrimina tenerentur, si res ueteres, & historiæ mandatæ literis ignotę essent? Horum commodorum magnitudo uobis quidem, qui in his studijs uersamini, nota est. Quare facile iudicabitis partem Reipub. necessariam esse scholas, & quidem præcipuas utilitates inde ad cõmunem uitam peruenire, Quis enim non uidet religionibus, legibus, & literis, in uita magis opus esse, quàm fabris aut cerdonibus?

Sed illud disputant quidam, Ecclesias, aulam, forum,

sedes esse ueritatis & iusticiæ, magis quàm scholas. Vocant scholasticam uitam umbratilem, quod ibi in ocio ingenia exerceantur, illic aiunt, ueritatem & iusticiam in acie uersari. Moderati animi est, & bene instituti, reuerenter sentire de Ecclesijs, de aulis & foro. Ac debent quidem in illis locis regnare ueritas & iusticia. Sed constat ex scholis in illa loca hæc ornamenta afferri. Qualis enim esset doctrina in templis, si in scholis res nõ essent agitatæ & illustratæ? Qualis esset aulicorum consiliorum & fori barbaries, si non extaret quædam erudita iuris doctrina? Deinde hoc interest, de omnibus magnis rebus scholæ consuluntur, scholæ pronunciant, non Episcopi, aut aulici, aut causidici. Postremo in scholis est simplex studium rerum inquirendarum & patefaciendarum. In Ecclesijs multa in popularibus concionibus dicuntur improprie, multa etiam quia populus non potest assequi, prætereuntur. Iam in aulis & foro horribile est dictu, quantum sit Sophistices. Itaq; sæpe mihi uenit in mentem ueteris fabulæ de Astrea, quam ferunt pulsam ciuitatibus, postea in rure diu solitam agricolis concionari. Ita mihi uidetur propemodum pulsa ex aulis, ex templis, & alijs hominum cœtibus Astrea, hoc est, ueritatis & iusticiæ doctrina, adhuc hærere in scholis. Quare cum minus sit Sophistices in scholis q̃ alibi, cum bonis unum hoc sit studium, eruendæ ueritatis, summa laus esse debebit uitæ scholasticę, quæ quidé imago quædam est illius beatissimi status, in quo aurea illa ætate uiuebant homines, si qua fuit, aut certe uicturi erant, si fuisset illa aurea ætas, si natura hominum fuisset immunis à peccati labe & à morte. Quid enim tunc fuisset uita hominum, nisi iucundissima quædam schola, in qua

in qua seniores & præstantiores de rebus diuinis, de natura rerũ, de immortalitate humanorũ animorũ, de cœlestibus motibus, de omnibus uitę officijs docuissent reliquos. In hac Philosophia, & huiusmodi disputationibus, tępus omne cõsumpsissent seniores et iuniores. Nec aliam uitã fuisse Adę & similium principum uitorum iudico. Huius beatissimi status imago est uita scholastica.

Dixi breuissime de necessitate, & de utilitatibus, addam etiam de sanctitate huius uitæ. Nullum Deo gratius est officium, q̃ ueritatis & iusticię studium & propagatio. Nam hæc sunt præcipua Dei dona, in quibus Dei præsentia maxime cerni potest. Hęc Deus præcipue conseruari postulat, imò ad hunc finem præcipue conditi sunt homines, ut alij alios doceãt de Deo & alijs rebus bonis. Ad hanc utilitatem addita est diuinitus humano generi sermonis communicatio. Quare nõ dubium est, quin hoc uitæ genus quod in docendo & discendo uersatur, Deo gratissimum sit, & hoc nomine antecellant scholæ templis & aulis, quia maius est studium ueritatis in scholis. Quare si quis sanctum uitę institutum quęrit, non abdat se in solitudines, nõ putet aliud esse sacratius uitę genus, sed in his discentium conuentibus maneat, hic conetur bene mereri de genere humano, doceat alios, & sciat hoc officium prodesse ad conseruationem & propagationem optimarum rerũ, erudiat ambigentes conscientias, respondeat de iure, deq̃ omnibus uitæ officijs, inquirat rerum naturam, morborum remedia, causas mutationũ in natura, motus & effectus cœlestes, prępareat iuuentutem ad maiores artes, enarret historias, mandet literis res gestas, illustret artes. Hæc quisquis facit, Deo gratissimũ cultum pręstat, et de genere humano

præclare meretur: Conseruat enim doctrinam utilissimam uitę, formatmores, iudicia hominum, retinet pacem, mitigat multa mala publica. Tale uitæ genus non solum præstat monastico, sed uere diuinum est.

Cicero reprehendit Platonẽ, ꝙ dixerit Philosophos tametsi abstineant à Reip. administratione, tamẽ iustos esse, propter hanc ipsam magnarũ rerum inquisitionẽ. Sed Plato rectissime sensit. Est enim iusticia, suũ quenq; officium facere, & fructũ eius officij conferre ad cõmunem salutem generis humani. Id maxime facit Philosophus, qui religiones, rerũ naturam, causas omnium honestorum officiorum, leges explicat, & has res diuinas cæteris impertit, artes illustrat aut docet, denicq; qui ueritatis & iusticię doctrinã conferre ad aliorũ utilitatem studet. Nec putemus melius mereri de genere humano, uel causidicos aliquos qui in foro controuersias, aut exponunt, aut diiimunt, uel ędiles qui pontes aliquos faciũt, uel mercatores qui iusto precio res utiles important. Recte igitur Plato dixit, iustos esse Philosophos, qui doctrinam utilem uitę tradunt. Non gessit Magistratus Isocrates, sed consilijs suis gubernauit Imperatorem laudatissimum Timotheum, & formauit ingenia multorum, qui postea in Repub. Principes extiterunt. Nec melius de Repub. meritus est Aeschines causidicus, q̃ Aristoteles, qui & si nec Magistratus gessit, nec causas egit, tamẽ Alexandrum, & multos alios Principes finxit ad iusticiam & beneficentiam. Deinde hodie etiam bene meretur de Repub. reliquit monumẽta utilia ad religiones & leges interpretandas, parit Medicos, & iudicia multorum format, qui in foro & negocijs uersantur. Aso Iurisconsultus gubernauit magnã Italię partem. Nec tamen minus

de Repub.

de Repub. meretur Bartolus, qui in schola tantum uixit. Philippus Medicus Alexandri exercitum secutus est, ac Regē ipsum ingēti periculo liberauit. Neq; tamē minus de Rep. meretur Galenus, qui nullū exercitū secutus est, sed in schola assedit & scripsit doctrinæ suę monumēta.

Cum igitur non aliud uitę genus utilius sit generi humano, aut magis necessarium, aut sanctius, q̄ uita scholastica, satis intelligi potest, hunc esse præstantissimum uitæ gradum. Hac uera laude moueri bona ingenia decet, ut magis ament uitam scholasticam, & adhibeant studium & diligentiam dignam tanta professione, & ornent eam optimis moribus. Quid est enim turpius, q̄ quod multi in scholis ita degunt, primum, ut non intelligant suum officium: deinde, ut hoc ocium literarium collocent in turpissimas uoluptates, & sumant sibi licentiam omnium sceletum, quasi scholę non uerita tis & iusticiæ, sed petulantiæ officinæ essent. Quo animo homines pij ueniunt in templa ad facienda sacra, eodem animo uos quoq; in scholas accedere oportuit: Hic enim res diuinæ tractantur. Et magna cura adhibenda est, ut nostra sacra recte faciamus, ne nostra insciția, aut aliqua alia culpa artes corrumpantur. Non minus piaculum est, corrumpere artes, quàm ceremonias in templis contumelia afficere. Ideo scholis nomen inditum est ab ocio, ut Respub. testetur, se liberare nos à sordidis operis, ut dediti esse rebus diuinis possimus. Addidit etiam prēmia, sicut militibus. Etsi autem utilitates sunt exiguæ, & si indocti non solum contemnunt, sed etiam crudeliter oderunt literas, tanquam uincula cupiditatum suarum, tamen Deus non patitur omnino deesse præmia docentibus literas, & discentibus.

Et quo

Et quo melius quæq; Respub. constituta est, eo est erga studiosos liberalior. Interim nos decet Philosophico animo fortunę iniquitatem ferre, & intelligere causas, quare optimę quęq; res maxime sint spretę uulgo. Deinde incommodis etiam opponamus commoda, uidelicet dignitatē professionis, & sanctitatem, postremo etiā iucunditatē. Itaq; de hac etiā pauca adijciam, uidelicet nullū uitę genus iucundius esse, q̄ uitam scholasticam.

Omnes sanè mentes incredibilem uoluptatem percipiunt ex ueritatis cognitione: Nam ad hanc aspiciendā maxime conditi sunt homines. Hanc uoluptatē in scholis multę causę augent. Primum enim magna ibi artium uarietas est. Omnium disciplinarum professores esse solent, qui consuli possunt, in qualibet arte. Est & frequentia discentium, in qua magna dissimilitudo est ingeniorum & iudiciorum. Quare nostras cogitationes cū multis conferre possumus, audire quid alij iudicent, imitari meliora exempla. Hic enim est illa apud Hesiodum laudata contentio, de qua dicit, uicinū à uicino ad diuitias properante, inuitari. Ideoq; apud Euripidem uere dictū est, Communicatione opinionū in magna frequentia repertas esse artes. Et Cicero ait, magnam uim in discendo habere studium conferendi, quod συζήτησιν uocat ipse. Et Salomon ait: Ferrum ferro acuitur, ita uir excitatur à uiro. Significat enim tum admoneri ingenia collatione consiliorum atq; opinionum, tum exemplis excitari. Propter has tantas utilitates libēter in hac frequentia uersari studiosos conuenit. Postremo natura fit, ut similes delectentur similium consuetudine, maximeq; hi, qui similibus artibus dediti sunt. Ipsa etiā celebritas delectat animos, iuuat uidere bene compositos choros

docentium,

docentium & discentium. Nullum acroama dulcius est q̃ audire de optimis rebus, deq̃ omni uarietate naturæ, de Repub. de religionibus, quid alij peritiores sentiant. Vetus est dictum: Extra Vniuersitatem non est uita, quo significabant iucundissimam esse uitam in scholis. Id dictum opinor ortum esse ab eruditis & prudentibus, qui intelligebant, & quantam hæc consuetudo & communicatio sermonis uim habeat, & quantam pariat uoluptatem. Delectat bonos & uirtus illorũ, qui liberaliter impertiunt doctrinã alijs, qui ex animo consulere posteritati conantur. Etsi autem in tanta infirmitate humani generis nullus est ordo, nullum uitę genus prorsus sine uitio, tamen in scholis minus aliquanto est fuci, odiorũ & aliarũ malarum artium, q̃ in alijs multis uitę generibus. Primum enim doctrina liberalis flectit mediocria ingenia ad uirtutem. Nec ferè quisquam adeo est ferrea natura, ut litteris & mediocri disciplina non aliquanto fiat mitior. Est autẽ multo iucundior consuetudo cũ eruditis, qui causas omniũ honestorũ officiorũ intelligunt, q̃ cum indoctis, quorũ iudicia multis in rebus dissident à nostris. Deinde illud affirmare ausim, eum qui in studijs assuefit ad amandam & inquirendam ueritatem, amare candorem ac simplicitatẽ etiam in moribus & in uita. Sed doctrina Sophistica deprauat uolũtates, transfertur enim calumniandi studium ad mores. Vt autem quisq̃ est studiosissimus, ita maxime incensus est amore ueritatis, & Sophisticen odit acerrime. Dulcissimus aũt conuictus est cum eruditis & candidis, qui prospiciunt quid deceat, & certa quadã ratione moderantur omnes actiones, & animi impetus quasi freno regunt. Itaq̃ nec dulciores, nec firmiores sunt amicitię, q̃ Philosophicæ,

hoc est, eruditorum amicitię, & societate studiorũ contractę. Iam e regione confer ad hęc scholastica sodalitia, cõsuetudines cũ illiteratis, in quibus etiã si qui boni uiri sunt, tamen minus suauitatis habent congressus cũ illis, quia de doctrina nobiscũ colloqui nõ possunt. Ne Lelij quidẽ & Scipionis amicitia tantũ suauitatis habuisset, si fuissent ἄμουσοι. Sed angustia temporis non sinit nos omnia uitæ scholasticæ cõmoda colligere & illustrare.

Hæc autem recensui, primum ut adolescentes intelligant & ament uitæ genus in quo uersantur: Deinde cogitent, quanta uicissim requiratur ab ipsis diligentia, quanta in omni officio moderatio, ut hoc uitę genus ornẽt. Literati in summo fastigio rerũ humanarũ collocati sunt. Quare, ut muneri omniũ difficilimo satisfacere possimus, adhibenda est acerrima cõtentio animorũ in docendo. Est & sanctissimũ uitæ genus, & Deo gratissimũ, cõseruare & propagare doctrinã uitę utilẽ. Sciamus igitur Deo pœnas daturos illos, qui moribus suis dedecorant scholas, qui nõ conferũt aliquid operę, ad doctrinę conseruationẽ. Postremo iucũdissima est uita scholastica. Quare digni odio sunt, qui uelut Cẽtauri aut Lapithę tumultuãtur in scholis, & tranquillitatẽ uniuersi cœtus interturbãt, disciplinã soluũt, qua soluta, dissipari societatẽ necesse est. Sunt & boni adhortãdi, ut hęc cõmoda in cõspectu habeant, eaq; opponant incõmodis, quę multos abstrahũt à literis: plus ualeat apud bonos dignitas literarũ, & publica utilitas, q̃ iniqua uulgi iudicia, q̃ odia tyrannorũ, q̃ paupertas. Sic affectos esse iudico hos iuuenes, qui eo gradũ petiuerũt, ut se publice obligarẽt ad defensionẽ literarũ. Iure igit hũc aim eis gratulamur, eosq; usitatis honorib. ornãdos esse cẽsuimus. Dixi.

De Gra-

DE GRADIBVS ORATIO Phil. Melan.

NOtus est Ennij uersiculus de ueteribus moribus conseruandis:

Moribus antiquis res stat Romana uirisq.

Idem profecto in re literaria præstiterit seruari in faciendis gradibus discentium, qui non mediocri prudentia à maioribus instituti, nunc errore quodam hominum, qui uidentur conspirasse ad abolendos semel omnes ueteres mores, delendamq; uniuersam ciuilem disciplinam, antiquantur. Neq; ego nunc suggestum conscendi digladiaturus cum eo genere, tantum adolescentes commonefacere decreui, quo consilio & olim gradus instituti sint, & quantū ad communia studia literarum momenti adferret illorum conseruatio. Est autem ad eam causam opus mihi æquitate uestra auditores, pleroscq; enim tantum fastidium cepit istius moris, ut tantum nō totam Anticyram putent destinandam esse his, qui titulos istos graduum decerni sibi postulant. Ab his pro meo iure peto, ne nos ex hac schola exibilent, ne explodant, priusquam orationem nostram cognouerint. Nam pronunciare, cū nondum cognoueris causam, id uero est iniusti & barbari iudicis. Et ego me sanis omnibus satisfacturum esse in hoc negocio recipio.

Est quædam in puerilibus ingenijs infantia & imbecillitas, quæ non sufficit pluribus artibus simul discendis, sed sensim per gradus quosdam, ad grauiores artes traducendi sunt pueri, dum ad fastigium artium perueneriint, hoc est, dum parauerint sibi scientiam non stulte

de rebus humanis iudicandi, & mediocrem quandam sermonis copiam, ad docendos alios, demonstrandamq; uim, naturamq; uirtutis. Et quemadmodum nō statim cibis durioribus ora infantium satis firma sunt, sed lacte diu aluntur, postea præmanso cibo, donec grandescant: Ita pinguissima quęq; facillimaq; deliguntur, quæ infirmæ primum ætati tradantur, deinde ordine disciplinæ reliquæ. Itaque prudentes uiri in scholis descripserunt classes quasdam puerorum, ut secundum ingenij uires alij alijs disciplinis adhiberentur. Et in sua quisq; classe, tanquam intra septa detineretur, ne imparatus, & tanquam sus in rosas irrueret ad obscuriores artes. In hunc modum gradus quidam facti sunt adolescentium, ut primum Grammatica, Dialecticaq; traderentur, quæ primæ artes, planissimæq; sunt. Vbi uidebantur has perdidicisse, non temere ipsi ad Physicen, aut alias artes irrumpebant. Sed præceptores explorabant uires adolescentium, qui si probarentur, admittebant ad reliquas disciplinas. Nuper adhuc hoc seruabatur in scholis, ne quis attingeret Physicen, aut Mathemata, nisi antea in Grammaticis & Dialecticis diu multumq; uersatus. Postea præceptorum iudicio tradebatur ulterius, & primus ille gradus à Lauri bacca nomen habuit: Erant enim honesto titulo pueri ornandi. Postea Physicen, Mathemata, Ethica percipiebant, nec salutabantur hæc à limine tantum, diu immorabatur iuuentus, dum penitus cognosceret, dum longouſu iudicium confirmaretur. In his tanquam præludijs grauiorum disciplinarum cum iam satis uiderentur exercitati, præceptores permittebant, ut sacra, aut Medicinam, aut Ius publicum attingerent, ad quas disciplinas usum pueri-

lium

lium literarum magnum & acerrimum iudicium uolebant adferre. Itaq; prius explorabantur hic etiam uires adulescentium, Magisterium fecerunt Classi titulum. Profecto plurimum refert, quomodo instruantur, præparenturq; ad sequeriores disciplinas adulescentes. Non sunt longe petēda exempla, nostri seculi morem uideamus. Statim ubi in publicam scholam missi fuerint adulescentes, putant sordidi ingenij esse, diu hærere in Grammaticis, aut similibus nugis, properant alij ad sacra, nulla linguarū, nulla dicendi scientia antea parta, nulla humaniorum ac ciuilium morum cognitione, discunt inepte rixari de sacris rebus, nec ad uitæ usum comparant. Volo ego quidem omnium ætatum, omnium uitæ partium esse religionis studium, sed ea proponantur pueris, quæ assequi possint, quæ pietatem alant, quæ mores forment, non unde petant rixandi materiam.

Quid de alijs professionibus dicam? In iure discendo uideas uersari, qui nullum prorsus usum aliarum literarum habent, cum tamen illud ipsum ius ex Philosopho rum, ac Rhetorum literis, tanquàm ex fonte ortum sit. Iatricæ uero manus admouere, nisi Physicen didiceris, est sine pennis uolare. Nam clinica illa medicina tota ex ea Philosophiæ parte nata est, quæ elementorum cognitionem, motus uarietatem, corporum naturam tradit. Porrò dum hoc modo non perpoliti puerili doctrina irruunt ad sequeriores artes, infirmo iudicio literæ omnes, artesq; fœde conspurcantur. Et quia ex literis rerum publicarum status comparantur, fit, cum parum sani pro concionibus & in iudicijs regnum gerant, ut uarie quassentur Respub. Profecto satius erat nullas literas attingere, quàm hoc modo tractare. Diu erant pueri

Grammaticis, Dialecticis, ac Rhetoricis alligandi. Multum temporis postea collocandũ erat in Mathemata, & reliquã Philosophiam. Vbi maturuisset iudicium, tum erant adhibendi ad eas artes, quibus Resp. gubernãtur.

Græci agricolæ, cum uiderent matureſcere ſegetes certo tantum temporis ſpacio, non colonorum opere, aut ſoli natura, dixerunt: Annus producit, non ager. Cunq; animaduertiſſent ſæpe immaturas ſegetes demeti magno dãno, & fructũ laboris ſuperioris perire, prouentũ uniuerſum ſoli tempori tribuere, & patienter expectari uoluerunt iuſtũ meſſis tempus. Ita mihi in ſingulis partibus literarum, temporis habenda ratio uidetur, ut & admoueantur ad eas artes adoleſcentes, quibus ingenij infirmitas adſequendis par eſt, & tantiſper detineantur in his, donec maturuerit iudicium, nec meſſem properent facere ante tempus. Et quia facile iuuenilibus animis obrepit ſatietas præſentis ſtudij, ut in eo detineri diu ſine magno negocio nõ poſſint, ideo gradibus tanquàm caueæ includendi uidentur. Vbi omnibus animi uiribus cogantur in unum aliquod, ac certum negociũ, quantum ſatis eſt, incumbere. Eſt omnino, ut de alijs omnibus rebus, utiliter præceptum, βραδέως σπεύδειν, Ita in ſtudijs nõ aliud perinde refert, q̃ ne intempeſtiue properemus. Nunc fit, ut cũ uarias diſciplinas peruagentur ſine ordine, ſineq; ratione, nullã penitus cognoſcant, nullaq; de re prudenter iudicare queant. Et ut errones nullos certos lares habent, nuſquam domi ſunt, & ut inquit Martialis, Quiſquis ubiq; habitat, maxime nuſq; habitat, Ita illi, cum tamen omnibus diſciplinis ſint hoſpites, nullam habent familiariter notam. Neque enim fieri poteſt, quemadmodum reliquit ſcriptum Xenophon,

phon, ut qui multa simul facit, ōnia rite faciat, nec suffi-cit animus iuuenilis uarijs ac diuersis studijs. Hoc in con silio fuit autoribus graduum in scholis. Neq; ego nunc quenquam esse puto tam impudentem, qui hanc ratio-nem damnare ausit. Quid enim in studijs cōducibilius est ordine? hunc classibus gradibusq; factis conseruare conabantur. Vos etiam adolescentes, ut quanta fide po test fieri ac religione, detis operam, ut in discendo, iusto quodam ordine utamini. Nam hac confusanea discen di ratione, nisi Deus aliquis opem tulerit acci-sis rebus, uereor ne res humanæ funditus euertantur.

Dixi.

ORATIO DE STVDIIS ADOLESCEN tum, habita cum titulus Baccalaureorum de-cerneretur quibusdam, & scripta à Vito Vuinsemio.

MIrabitur fortasse aliquis, quid nobis in mentem uenerit, ut hunc morem publice decernendi istum primum scholasticum gradum, tot iam annorum spacio inter-missum, ac uelut exoletum, hoc potissimū tempore in scholam reuocaremus. Et forte non deerunt qui consilium hac in re nostrum ut ociosam περιεργίαν, uel inanem ostentationem irridebunt, quibus in præsen tia nihil attinet respondere, cum uiris honestis ac pru-dentibus

dentibus hoc noſtrum inſtitutum probari non dubite-
mus. Sed tamen ut adoleſcentes & de gradu ipſo hono
rificentius ſentiant, & hęc ſtudia magis ament, ac pluris
facienda ducant, decreuimus utraq; de re, nempe de
hoc gradu & utilitate examinum, atq; de his primis ar-
tibus paucis in hoc conſeſſu dicere. Non enim leues aut
negligendæ fuerunt cauſæ, quæ uiros bonos ac doctos
mouerunt, ut hunc patrium & peruetuſtum Academia
rum morem, nec ſine grauiſſimo conſilio à maioribus
inſtitutum, reuocatum ac retentum cuperent. Quemad
modum enim primis illis ſcholarũ parentibus neceſſa-
rium uiſum eſt, hæc examina, & diſcendi ordinem inſti
tuere, ita noſtri præceptores has ſuas eſſe partes iudica-
uerunt, operã dare, ne quod tale exercitij genus in ſcho
la deſideraretur, & ſi quid ex his ad tempus prolapſum
aut intermiſſum foret, ut id rurſum inſtauraretur, &
quantum eius fieri poſſet, conſeruaretur. Quorum nos
autoritatem ſecuti, non curioſitate quadam, neq; enim
ita ocio abundamus, nec propter oſtentationẽ aut am-
bitionem, cum noſtra tenuitas nobis non ſit ignota, ſed
ut utilitati ſcholæ & diſcentium commodis pro noſtra
uirili parte conſuleremus, hoc officium publice promo
uendi Baccalaureos liberalium artiũ ſuſcepimus. Quam
uis enim hic primus gradus uerius puerilis quidam lu-
dus, q̃ res ſeria uideri poſſit, uſu tamen compertum eſt,
tantam eius utilitatem eſſe, ut non parum ad officium
& fidem eorũ qui præſunt, pertinere uideatur, operam
dare, ut in ſchola non retineatur modo, ſed & q̃ maxi-
me uigeat ac frequentetur. Nam primũ ſi ſpectabimus
utilitatem, quam affert conſuetudo examinum, præſer-
tim huic ætati, in cuius præcipue gratiam hi primi gra-
dus inſti-

dus instituti sunt, tantam eam comperiemus, ut nulla ampliot nec uberior in schola possit esse.

Quanti enim refert, quod examina discendi curam acuunt, studium, uigilantiam, ac sollicitudinē augent, & ad omnia quæ traduntur diligentius obseruanda ac perdiscenda alacriores & excitatiores reddunt. Metuit enim pro se quisq; ne quid se fugiat, quod tenere oporteat. Tum ut accuratius perfectiusq; omnia excutiat ac perueſtiget, eadem hæc sollicitudo stimulat, cum sciat sibi omnia dictata reddenda in examine, & perspicue explicanda esse. Hic metus acerrimus est ἐγροδιώκτης, ad discendi laborem, ac uigilantiam animos accendens urgensq;, qui si absit, uidemus quàm frigide ac somniculose studia tractentur: Verum examinum cura & sollicitudo apud aliquem excubans, non sinit eum obdormiscere, sed expergefacit, ac uelut sedulus & acer pateſamiliàs instat & urget, ut suū studiorū pensum persoluat. Quapropter hæc ex multis causis una fuit ueteribus instituendi examina & gradus, ut his uelut calcaribus incitarent discentes. Recte monuit Fabius scripta euoluenda esse cum tali sollicitudine, quasi nos ipsi ita scripturi uel dicturi simus, quod ita fiat, ut uigilantioribus oculis omnia luſtremus, nihil nobis elabi patiamur, quod obseruatu dignum sit, & ad omnes uirtutes scriptorum expendendas attentiores reddamur. Idem in consilio fuit his, qui examina instituerunt, nempe, ut circumdarent curā discentibus omnia plenius & exactius cognoscendi, ut aliquid integri ac solidi perciperent, nec uagabundi in studijs oberrantes, extremis tantum labris uaria degustarent, hinc inde concisas sententiolas, & mutilata membra uenantes, quod nunc à multis fieri uidemus,

qui cũ excutiuntur, ita stupidi atq; ignari, ut turpe sit, de prehenduntur. Dum enim in hoc uno studium omne suum consumunt, ut fragmenta quædam ex scriptoribus colligant, fit, ut nullius rei integrã ac perfectam cognitionem consequantur: à quo uago & inutili labore examina discentes uelut in certam uiam reuocant. Nec ad non necessaria & inutilia respectare sinunt, sed in ijs, quæ necessaria sunt, ordine quodam discendis continent. Parit uero istam in discendo diligentiam præcipue hæc sollicitudo, cum scimus nobis in examine uelut rationem reddendam esse eorum quæ tradita sunt, & magis se intendunt animi in ea, quæ ipsi tanquam nostra alijs exponere atq; explicare cogimur, & illæ ipsæ imagines magis euidenter in animis lucent, ac firmius defiguntur, quas ipsi de rebus doctrina perceptis tractatione & oratione effingimus atq; exprimimus. Nam quæ auribus tantum hausimus, aut ex lectione percepimus, ea tanquam umbræ per somnium obseruantes incerta hærent, & facile inde fugere atq; excidere solent. Quorum uero ceu uiuas imagines commentando atq; agitando impressimus, ea uelut altius actis radicibus hærent tenacissime, nec euelli se aut excuti facile patiuntur. Est enim commentationis atq; agitationis uis maxima in omni re, plene perfecteq; percipienda ac discenda, sine qua auditionis & lectionis fructus sterilis ac prope nullus est. συζήτησις autem, ut uere dictũ est, omnia potest, & agitando atq; inquirendo omnes artes inuentæ ac excultæ sunt, estq; ea uel sola omnis doctrinæ effectrix. Quemadmodum enim leonũ fœtus informes ac mortuos ædi memorant, & deinde longis parentum uocifera tionibus uiuificari, ac spiritum recipere, ita primi fœtus inge-

tus ingeniorum, hoc est primæ imagines quas de rebus uel auditis uel lectione perceptis, concipimus ac gignimus, mortuę sunt & informes, quę deinde dum crebro de ipsis cum alijs colloquimur ac cõmentamur, ab ipsa uiua uoce & tractatione ceu uitam & perfectam formã recipiunt. Et uere dictum est ab Aristotele, Id primum certum signum esse, quod aliquis quidpiam recte sciat, si de eo ipso loqui & alium docere possit. Eam gratiam debemus examinibus, quæ uelut uita sunt studiorum, sine quibus lectio omnis & meditatio mortua est. Huc accedit quod ijs multi errores temere concepti & hærentes in animis corriguntur, eximuntur opiniones falsæ, quæ uel per ætatem, uel ex aliqua fallaci specie, uel institutione corrupta, uel artium præceptis male intellectis accommodatis´ue in animis hæserunt. Et ob hanc præcipue causam ea à ueteribus instituta uidentur: non enim adolescentũ studia temere ac sine lege fluere, sed huic examinum censuræ subiecta esse uoluerunt. Neque enim eos fugiebat omnes artes peccando disci, & ut fertiles agri multum gignunt spinarum atq; inutilium herbarum, quibus subinde sunt repurgandi ac sartiendi, idem etiam ingenijs & quidem fœcundis solet accidere, sępe enim fit, ut falsas rerum imagines pro ipsis rebus adprehendant. Et quemadmodum Ixion cum nube concumbens, cum putaret se Iunonem amplecti, Centauros gignit, sic ex falsis umbris, quas pro ipsa ueritate consectamur & arripimus, prodigiosæ opiniones nascuntur, quę nisi mature, & antequam altius radices egerint, animis euulsæ sint, in pernicioſos Ecclesiæ ac Reip. errores deinde erũpunt. Nam ut lolio, tribulis, lappisq; & alijs id genus infœlicibus herbis succrescentibus, se-

getes opprimuntur, ac præfocantur, & ſterileſcunt agri, ita à falſis opinionibus, ſi confirmentur, nec mature eximantur, atq; ijs uelut repurgentur mentes, ueritas opprimitur & expugnatur. Ad id uero non eſt aliud aptius remedium, q̃ examina. His enim explorantur ingenia, ſi quid adhuc deeſt, ijs oſtenditur, ſi quid uitij aut errorũ hæſit, corrigitur atq; euellitur. Eſtq; hæc uelut ſarritio ſtudiorum, ita neceſſaria, ut ſi omittatur, non modo uera ac ſolida doctrina nulla poſſit conſtare, ſed ipſius loco infiniti errores ſuccreſcant: Vt taceam quod illæ communicationes & colloquia etiam facundiam alunt, & afferunt quandam animis conſtantiam, ut & accipere ac intelligere ea quæ proponuntur poſſint, & apte ad quæſita reſpondere. Videmus enim nonnullos ſerio de re quapiam interrogatos ita perturbari, ac uelut attonitos obmuteſcere, ut uix animi compotes eſſe uideantur. Eorum deinde, ſi quid forte diſcendo etiam conſecuti ſunt, nullus uſus eſſe poteſt. In hoc enim omnis ſtudiorum fructus ponitur, ut expromere, in lucemq; proferre, ac replicare id ipſum quod ſcias poſſis. Vt enim occultæ Muſicæ, ita mutæ atq; infantis doctrinæ nulla gratia eſt. Examina uero ut iudicium formant ac limant, animos confirmant, acuunt ingenia, ita linguam quoq; expeditiorem efficiunt, celeritatẽ quandã cogitandi, & promptitudinem reſpondendi afferunt. Magna hæc quidem ſunt, ſed eſt & alia non minor utilitas examinum, quod cohercent ac cohibent curſum ſtudiorum intra certos limites: adoleſcentes enim niſi intra certa uelut ſepta contineantur, ceu nauis in medijs fluctibus rectore deſtituta, ita ipſi incerto curſu fluctuant, & ſi quid etiam inſtituunt, id nullo ordine tractãt. Vnde operã illis omnẽ in diſcendo

discendo consumptam perire necesse est. Et gignunt plerumq; hæc tumultuaria ac uaga studia uanam persuasionem eruditionis, qua nihil nocentius est, ea deinde inflati tument, cum de rebus omnibus indoctissime ac stolidissime iudicent: Cum ea enim inscitia coniuncta esse solet insignis arrogantia ac pertinacia, unde fit, ut plerunque tales Rebuspub. uel Ecclesijs præfecti tumultibus deinde omnia misceant. His malis tantis medentur examina, & quod maximum est, uanam illam persuasionem doctrinæ, atque arrogantiam, animis eximunt, qua non est alia pestis cum rebus omnibus, tum uero præcipue studijs pernicioso. Sæpe enim aliquis cristas tollit ante tempus, & putat se iam uel nouem artium liberalium Magistrum esse, qui cum examine excutitur, si nihil aliud, hoc certe tamen docetur, quod adhuc minus sciat, quàm ipse se scire putabat, & isto stulto ac pernicioso errore liberatur. Quanto uero ingenia fœcundiora sunt, ac magis præcocia, tanto plus ab hac peste periculi est. Videmus enim φιλαυτίας fœliciſſima pleraq; ingenia in medio studiorum cursu corrumpi, ac uelut in herba enecari, dum sibi iam nimis placere incipiunt, se ipsos & sua impense admirantur, attollunt supercilia, quibusuis iam se præponunt, quosuis præ se contemnũt, fastidiunt iam hæc iam illa, censuram sibi de dogmatis sumunt: nulli amplius præceptores, nulli propemodũ libri aut scriptores tam emunctæ naris iudicio satisfaciunt. Admoneri autem se aut doceri, pro indignissimo ducunt, statim coarguti excandescunt, quid ni? non enim labi posse aut errare uideri uolunt. Non Tygrides atrocius, aut infestiore ira, pro catulis depugnant, q̃ illi pro suis erroribus defendendis. Quid hos facturos

putemus, ubi sic affecti ad Reipub. aut Ecclesiæ gubernacula accesserint, & autoritatem ac potentiam aliquam cum isto supercilio & insciti cõiunxerint? Ecquos uos unquam homines audistis pernicioſiores Ecclesijs aut Rebuspub. extitisse? Atqui talis arrogantia & alitur & confirmatur in animis, si nulla agatur de studijs censura, ingenia nõ explorentur coarguanturq́, nec moneantur quid adhuc illis desit, et q̃ longe adhuc absint ab eo gradu doctrinæ, ad quem iam euasisse sibi uidebantur. Quapropter si nihil aliud utilitatis afferrent examina, uel ob hanc unam causam tamen in scholis retinenda erant: Quod duabus maximis pestibus studiorũ, queq́ plerunq; coniunctæ solent esse, medentur, nempe, ignauiæ, & arrogantiæ: ad eximendum enim torporem, excutiendam somnolentiam, uix aliud calcar est acrius & efficacius. Deinde ne nobis ipsis immodice placeamus, aut ultra nidum, ut aiunt, pennas extendamus, salutare est uitia atque errata nostra nobis ostendi, & adsuefieri nos, ut patienter feramus nos redargui ac corripi, ne protinus omnia somnia nostra exosculemur, & pro oraculis adoranda ducamus. Quæ uana persuasio nisi corrigitur, pernicioſissimos deinde errores parit. Narcissus in fabulis Poetarum, dum nimium sese amat, contabescit, peritq́ & ipse & illa falsa imago, quam tantopere deperibat, & nunc mutatus in florem, monet nos, fero floreſcens, ne nimis mature & ante tempus sapere incipiamus, neue nos aut nostra nimis amemus atq; admiremur. Quod cum in omni ætate odioſum est, tum uero in adoleſcentia prorsum intolerabile. Nam ut ab usu rerum solidaq́ ac perfecta doctrina & sapientia hęc ætas adhuc longissime abest, ita has res non potest sibi arrogare sine

gare sine summa turpitudine acuanitate. Vt enim uuæ & poma non in uere, nec in æstate matureſcunt, ſed in autumno primũ, paulo ante hyemem, ita doctrinę fructus ingraueſcente ætate, ac paulo ante hyemem, hoc eſt, iam ſenectute inſtante, primum ſolent matureſcere. Et ut uuæ ac poma ante tempus decerpta, nec eſui ſunt, nec ulli alij uſui idonea, ita ingeniorũ immaturi fructus acerbi adhuc ſunt, & ſalutare eſt adoleſcentibus oſtendi, quàm nunc primum florere, aut rubere cœperint illi fructus, necdum maturuerint: & moneri, quo cultu, quibus auris & ſolibus, & qua benedictione diuina adhuc ſit opus, ut læti ac maturi, talesq; fructus proueniant, quibus Reſpub. & Eccleſia deinde ſalubriter poſſit uti. Hoc efficiunt examina, quæ cuiq; quouſq; progreſſus ſit, & quid uiæ adhuc reſtet, oſtendunt, ne ſe iam metam ſuperaſſe putent, cum uixdum ſeptis excurrerint. Cum igitur quædam modeſtiæ ac diſciplinæ officina ſunt, tum uero etiam ad κοινωνίαν, hoc eſt, ſtudiorũ communicationem mutuam atq; in cõferendo & diſceptando facilitatẽ, humanitatemq; adſuefaciunt. Quidam enim in his congreſſibus magis ſunt intractabiles ac moroſi, q; homines doctrinæ ſtudijs excultos decet. Alij porro ſublimi arrogantia ſubnixi ſuam, ſi qua eſt, eruditionẽ ceu Regum Perſarum myſteria celant, & ſola maieſtate ac tenebris tutam cenſent, cũ nihil promant, nihil quidquam de ſuo in medium proferant, cum nemine communicent. Hos ſi excutias, inuenias plerunq; inanes, & hoc eſt cur examinari atq; excuti tanto opere fugitant, metuũt enim, ne de ſua autoritate aut exiſtimatione pluſculum amittant, ſi ſe aperiant. His permittamus ut aliorum opinione magni doctiq; ſint, ſua maximi ac doctiſſimi tu-

mi tumeant quàm uelint, & uel ranæ Aesopicæ exemplo cum tauris certent, donec ad summum inflati crepent. Qui rectius mente ualebunt, hi non errare magis uolent, quàm uiam doceri, atq; examina & istos congressus ut saluberrimos studijs atq; utilissimos magnifacient, quodq; poterunt de suo quoque ad ea tanquam ad aliquod magnum publicum bonum conferent.

Diximus de examinum utilitate & si ea tanta & tam multiplex est, ut nec in hac temporis angustia, neq; à me homine ad dicendum minime instructo satis commemorari possit. Nostris uero temporibus iuuentus his ἐγκλείοις magis etiam opus habet, quod hæc ætas, ut alijs in rebus à legum uinculis libera uult esse, & magis q̃ credo antehac ulla, contumax ac freni impatiens, ordinisq; & disciplinę contemptrix est, ita artium quoq; præcepta respuit atq; adspernatur. Quorum utrum nocentius sit, haud facile dictu fuerit, cum alterum Rerumpub. alterum artium ac doctrinę ruinam trahat. Quę duo, nempe leges & doctrina, ut fœdere quodam inter se iuncta sunt, simulq; & florere & intercidere solent, ita cũ sunt labefactata immani barbarie ac uastitate, omnia inuolui necesse est. Quo maiore cura & contentione uiros honestos his præsentibus malis, quęq; his haud paulo grauiora impendere uidentur, omni genere remediorum occurrere decet. Nec leuiter hæc examina ad disciplinã conducunt, licentiam temporum nonnihil reprimunt, discendi curam augent, & certa lege atq; ordine studia gubernant, atq; ad ea discenda adigunt, quibus religio mores q; boni, ac uera & solida doctrina continetur. Nam ea quæ ad hunc gradum institui solent examina, non solum Grammaticę & Dialecticę exercitia sunt, sed

quædam

quædam etiam κατήχησις Ecclesiasticæ doctrinæ. Exiguntur enim rudimenta pietatis ab adolescentibus, & si quæ parum commode opiniones de religione forte perperam hæserunt, animis euelluntur, atque aduersus multos noxios errores pectora muniũtur. Quod quàm operęprecium sit, his præsertim temporibus, non satis dici potest. In hac enim tanta securitate hominũ & incuria ac negligentia religionis, necesse est hanc teneram ætatem quoq; uelut publica contagione infectam, profanam, ac pietatis contemnentem fieri: quę cũ sit seminarium Ecclesię ac Rerumpub. & in hoc ueterno huius seculi tantoq; contempu religionis succrescat, satis ad paret, q̃ horribiles tenebrę ac uastitas posteros nostros sit exceptura. Cum alioqui, quemadmodum semina ac plantæ in singulos annos degenerare solent, fato quodam omnia successu temporũ in peius trahente, ita homines quoq; singulatũ ætatum deteriores nasci, ac semperà superioris seculi ingenio & moribus longe degenerare uideamus. Quare ut agricolæ arte ac diligentia, dum quotannis maxima quæq; manu legunt, illi seminũ mutationi mederi studeant, ita uiros honestos quosq; cum suorum temporum uitijs pugnare oportet, quod nisi fiat, omnia breui in præceps ruitura uideamus. Ad eundem modum nisi totis uiribus resistatur horum temporum negligentiæ atq; inertiæ, metuendum est, ne ad posteros magna ex parte & religionis doctrina, & cæterę quoq; disciplinæ sint interiturę. Nam Ecclesia, non iam dicam de alumnis uel discipulis, Doctores certe nõ est habitura, & dispensatores mysteriorum Dei, cum ita negligatur uerbi diuini tractatio. Deinde qualem putemus militiam in superioribus disciplinis futuram, cum

in his primarum artium rudimentis nullum sit tyrocinium? Non igitur debet prætermitti ulla occasio, qua utcunq; rerum tantarũ ruina fulciri ac prohiberi possit. Examina uero utrumq; præstant, fouent studium Ecclesiasticæ doctrinæ, & ad elementa pietatis perdiscenda adigunt adolescentes, nec ea prorsum negligi aut intercidere patiuntur, & harum primarum artium Grammaticæ ac Dialecticę rudimenta conseruant. Scimus autem quàm difficulter ad ea discenda cõpellantur adolescentes, propterea quod, ut uere Fabius dixit, plus habent operis quàm ostentationis. Neque obscurum est, quàm harum artium cognitio necessaria sit, ad quodcunque omnino genus doctrinæ adspirantibus: Et quàm non infœliciter modo, sed & turpiter superiores disciplinas tractent, qui hæc fundamenta neglexerunt. Quid enim in quacunq; alia disciplina efficiet, qui sermonis uim ac proprietatem ignorabit? Quomodo ille scripti alicuius sententiam uenabitur, cum uerba & eorum structuram non intelliget? Quàm prodigiosa somnia finget, cum ita ceu uia lapsus, orationis sensu destitutus, sententiam uelut in tenebris palpans prehensabit? Rebus quoque eum destitui necesse est, quem oratio & uerba, quibus res sunt inuolutæ ac proditæ, destituunt. Recte igitur Grammatica nutricula dicitur omnium artium ac disciplinarum, & illi cæteræ laudem, hunc honorem & gratiam nutricationis libenter tribuunt: Sumunt enim ab ea unaqualibet certũ ac proprium orationis genus, & arcent ac repellunt à se eos discipulos, qui Grammaticę ubera prius nõ suxerũt. Quintilianus requirit uel præcipue nutricis operam in formãdo pueri ore ac lingua, multq; deligi non indiserta m, & fabularum ac historiarum non

rum non ignaram, quęq; cum primo lacte simul purum orationis genus, & quædam liberalioris doctrinæ elementa instillare possit. Quæ uero nutricula potest ad hęc efficienda magis idonea esse, quàm Grammatica? Format hæc fingitq; os pueri tenerum, adsuefacit ad sermonis genus proprium ac certum, poematum atq; historiarum noticiam tradit, & illo primo lacte eloquentiæ ac grauioris doctrinæ pectora alit, subigit, prępa ratq; ad capiendum uberiorem cęterarum disciplinarum cultum. Non igitur tenuis aut ieiuna est eius opera, sed uel pręcipua & ex omnibus maxime necessaria, etsi id in speciem minus adparet: Nam quemadmodũ fundamentis nixa sunt & fulciuntur ædificia, quæ si parum firma sunt, perit omnis ędificandi labor ac sumptus, & tamen ea neq; conspicua sunt nec magnificentiæ aut spendori ædificiorum quidquam addunt, ita harum primarum artium cognitioni ceu fundamento innituntur omnes cæterę disciplinæ, & si ipsæ per se minus habent splendoris aut ostentationis, hoc tamen iuris ac dignitatis obtinent, ut sine ipsis nullũ genus doctrinę disci recte possit, uel tractari. Nam quæ monstra gignent in alijs artibus, qui sermonis, quem Grammatica tradit, ignari erunt? Quàm uero prodigiose iudicabunt, & quas Chimeras, quos Hippocentauros fingent, ad quamcunq; disciplinam proruent sese, qui Dialecticę subsidio destituti, neq; rem obscuram definiendo explicare, nec ambiguam uidere aut distinguere, nec totam in partes suas distribuere scient, nec ordinem ullum, aut consequentiam rerum intelligent. Nihil firmi nec ipsi discere, neq; alios docere poterunt, susq; deq; incertis certa, uera falsis misceant necesse est. Commemoratem quàm noxij tales deinde

homines Rebuſpub. ac Eccleſijs ſoleant eſſe, & quàm ſæpe ingentium tumultuum atq; cladium autores extiterint, niſi id uſu atq; noſtrorum etiam temporum experientia nimis notum eſſe arbitrarer, & anguſtia temporis me id facere prohibet. Quapropter iam finẽ faciam, adoleſcentes adhortor, ut iſtum diſcendi ordinem, quẽ per hos gradus ueteres deſcriptum uoluerunt, & examina, quorum tam multiplicem utilitatem eſſe uident, nõ contemnant, ſed ſtatuant eos qui iſta inſtituerunt, uſu atq; ætate plus uidiſſe, & fideliſſime doctrinæ ſtudijs ac Rebuſpub. conſultum cupijſſe. Diſſoluti ingenij eſt, cũ ſanctiſſimis maiorum inſtitutis ac moribus pugnare, & nullas leges, nullum ordinem noſſe, temere omnia citraq; rationem adminiſtrare, Cyclopicum eſt. Quę plus quàm barbarica uita, quia noſtro ſeculo nimis placet hominibus, uidemus quàm multis ingentibus malis laborent his temporibus res humanę, quantaq; ſit omniũ propè rerum perturbatio ac labefactatio, & q̃ non paulo graniora, niſi Deus ſingulari clemẽtia prohibeat, impendere uideantur. Vt enim in concentu, ſi uox una ab harmonia diſſideat, cæterę omnes diſſonare incipiunt, totaq; ſymphonia perturbatur, Ita ſi una aliqua in re à legibus diſceditur, conſequitur alijs quoq; in rebus infinita perturbatio atq; diſſipatio ordinis ac diſciplinæ. Qua propter ne minima quidem contemnenda ſunt, præſertim ſi ad ordinis conſeruationem pertinent, et abſq; illis maiora teneri non poſſunt. Neq; uero ſine his primis artibus ulla doctrina conſtare poteſt, & hi gradus atq; examina hunc ſtudiorum artiumq; ordinem conſeruant, prohibentq; confuſionẽ ac perturbationem. Porro qui ab his artibus probe inſtructi, ad ſuperiores diſciplinas

accedunt

accedunt, hi fœliciter in illis deinde uersantur, et fructus studiorum suorũ ubertimos percipiunt reddunt q. Est enim hæc prima ac puerilis institutio, uelut flos omniũ deinceps prouentuum, quos reddatura sunt ingenia,

Si bene floruerint (inqt Ouid.) segetes, erit area dives,
Si bene floruerit uinea, Bacchus erit.
Si bene floruerint oleę, nitidissimus annus,
Poma quoq euentum temporis huius habent.

Dixi.

ORATIO CVIVSDAM STVDIOSI DE capta & direpta urbe Roma, Anno 1527.

Tsi intelligebam eos qui hoc loco pro more scholæ fictas fabulas agunt, multo minus oneris sustinere, quàm qui ueras causas tractandas suscipiunt, tamen me, non fiducia ingenij, quod sentio quàm sit exiguum, sed magnitudo doloris perpulit, ut hunc in locũ non fictum argumentum ex ueteri aliqua tragœdia, sed historiam adferrem nimis quàm ueram. Sum enim dicturus de crudelissima urbis Romę direptione, & deploraturus indignissimum casum ciuitatis, omnium reginę atq dominæ. Etenim cũ nemo tam ferus sit, tamq prorsus ab hominis sensu alienus, qui non acerbissime ferat indignam patriæ, quæ genuit, quæq educauit, fortunã, quo tandem animo nos accipere urbis Romę interitum

atque excidium decet, cum ea urbs una in terris fuerit omnium gentium communis patria? Ego profecto nō minus illius calamitate commoueor, quàm eius ipsius oppidi, quod me primum nascentem excepit, aduersis rebus pertutbarer. Cum igitur esset hoc in loco mihi pro more dicendum, non potui, cum esset animus dolore occupatus, alia de re orationem instituere. Vbi doler, inquiunt, ibi manum habet: Quare cum assiduo uersaretur ob oculos eius urbis direptio atq; incendium, quæ nobis leges, quæ religiones, quæ omnes honestas disciplinas tradidit, denique à qua plura beneficia, quàm ab ipsa patria, in qua quisq; genitus est, omnes accepimus, coegit me magnitudo doloris, de fortuna urbis, deq; miserrimis temporibus queri, præsertim in hoc cœtu, apud homines doctissimos, qui intelligunt quantum huic urbi, ex qua literæ, & humanitas huc importata est, omnes gentes debeant. Quod autem de capta Troia Virgilius præfatur:

Quis cladem illius noctis, quis funera fando
Explicet, aut possit lachrymis æquare labores?

ego multo iustius usurpem: Nulla est enim tanta eloquentia, quæ atrocitatem huius rei pro merito exponere possit, quę ue explicare queat, quantā ruinam omnium optimarum rerum, huius unius urbis euersio secum trahat. Quid ullo seculo accidit indignius, quàm quod ille ipse exercitus, qui à Cæsare in Italia, ad salutē omniū bonorum, ad custodiendam urbem, Imperij arcem, collocatus erat, illi ipsi urbi nefariam uim, contra optimi Principis Caroli uoluntatem, contra disciplinæ militaris leges, contra auspicia, contra maiorum exempla, intulit. Est enim liberandus culpa Cęsar, qui etiamsi iustis

de causis

de cauſis Romano Pontifici iraſcitur, tamen hoc exitu uictoriæ minime delectatur. Neq; enim obſcurum eſt, eum natura ad clementiam moderationemq; duci & à crudelitate abhorrere. Et cum maiores ſuos nomen ac titulum Imperij in hanc nationem à ſeruata urbe Roma intuliſſe uideat, dubitari non debet, quin in illorũ intuens exempla, intelligat omnes Imperij opes ac uires ad huius urbis ſalutem defenſionemq; maxime conuertendas eſſe, & ab illa uim atq; uaſtitatem depellendam. Quàm multos numerare poteſt, cum imagines auitas aſpexerint, qui turbulentiſſimis tempeſtatibus urbem Romã maximis terroribus liberauerint, qui quamquam periculoſiſſimis bellis domi impliciti, tamen uelut ad patriam defendendam huc ſumma uirtute accurrerint, quia in huius unius urbis periculo periclitari omnium gentium ſalutem exiſtimabãt. Huc adde, quod nullius Regię familiæ, ſi quis omnes numeret, plura clementer aut pie facta recenſeri poſſunt, q̃ Auſtriacæ. Et maiorum ſuorum adeo non diſſimilis eſt Carolus, ut quantum omnes Imperij magnitudine antecedit, tantum etiam uincat clementia, Quod enim in ulla hiſtoria factum clementius legitur, q̃ quod inimiciſſimũ Regem, à quo bellum contra ius gentium motum erat, captum in acie, non modo dimiſit incolumem, ſed etiam deuinctum affinitate, in regnum reſtituit? Tantam clementiam ac bonitatem nulla humana uox pro dignitate prædicare atq; ornare poteſt.

Longe igitur fallitur, ſi quis in tale ingenium tantam iracundiam cadere exiſtimat, ut ullas quamuis magnas iniurias hoc modo ulciſci uoluiſſe uideatur. Ille uero priuatum dolorem, uel urbi ipſi, à qua Imperij nomen habet,

habet, uel tot sanctissimis aris, uel aliarum gentium, quę suas Respub. sine huius urbis cõsilio tenere nõ possunt, utilitati condonasset, quamuis iratus, si licuisset ei præsenti, rem subitam minimeq; expectatam regere ac gubernare. Quare Cęsar nullo modo in hac oratione accusandus est, qui exercitum in Italia ad custodiam tranquillitatis publicæ habuit, non ad latrocinium exercendum, non ad euertendam urbem Imperij arcem, nõ ad prophananda templa, nõ ad diripiendas bibliothecas, non ad trucidandos sacerdotes, nõ ad uirgines & honestas matronas rapiendas. Hæc cũ omnia tegi suis armis, suoq; exercitu Imperator uellet, exercitus, ut sæpe aliàs accidit, contra disciplinã militarem, cõtra fidem Imperatori datam, auaricia, ad diripiendam urbem opulentissimam, quam sine præsidio esse animaduerterat, incitatus, omnia diuina atq; humana iura uiolauit. Hos latrones optimo iure accuso, qui iniussu Imperatoris sine legitimis ducibus, urbem Romam inuaserunt. Finge iustam causam fuisse Romæ inuadendæ, tamen seditio est, sine legitimo Imperio impetum in quenquam facere. Quid autem tam contrarium militiæ est, quàm seditio? quia hanc unam ob causam, iure gentium bella geruntur, ut coherceantur hi qui per seditionem, sine Magistratuum autoritate, arma capiunt. Non igitur milites uocandi sunt, qui iniussu Imperatoris urbem expugnauerunt, sed quoniam ius gentium commune uiolauerunt, hostes non modo Imperij, sed uniuersæ societatis hominum. Romani aliquot Imperatores alij in filios, alij in Principes ciues capitaliter animaduerterunt, quia iniussu Imperatorum, cum legitimis hostibus prouocati pugnassent, fuitq; tanta disciplinæ sæueritas, ut hostium

stium loco haberentur, qui prꝛeter Imperatoris edictum, gladium strinxissent. Quanto iustius hostium loco ducendi sunt isti Cares, qui inauditam crudelitatẽ iniussu Imperatoris aduersus inermes exercuerunt? At quam tandem ob causam sæuitum est in urbem? Quia pecuniam non numerauit auaro atq; crudeli exercitui. Quid aliud causæ latro dicat, cur uiatorem occiderit? Olim Gallos propemodũ iusta ira pertraxit ad urbem: Nam Legatus Romanus contra ius gentium in acie pugnauerat. Isti latrones nihil causantur aliud, q̃ pecuniam non esse datam, quam flagitarunt. Non igitur tentata urbs est, quia Pontifex esset alieno animo erga Cæsarẽ, quia Gallis & Venetis esset æquior. Nihil in gratiam Caroli susceptum est. Auaricia & ampliſſimæ prædꝛe spes, perpulerũt, ut transgressi Apenninum, maximis itineribus summa celeritate confectis, ad urbem properarint. Nec dierum aliquot inedia, nec hostis à tergo, et ab lateribus remoratus est iter, sic accenderat omnium animos prædꝛe cupiditas. Hꝛc si iusta causa oppugnationis uideri potest, non intelligo. Cur non omnes latrones excuset prædꝛe cupiditas? Si hæc iusta bellandi causa in terris est, nihil obstat iam, quo minus in urbibus unusquisq; inuadat in ædes locupletiorum, si quidem ex præda ius existimandum erit.

Sed non disputabo subtiliter de causa, nec patrocinabor Pontifici, in quem culpa confertur. Nulla ne igitur in uictoria moderatione utendũ fuit? Nullum ne discrimen sacrarum ac prophanarũ rerum habendum? Quis tam crudelis unquam uictor fuit, etiam apud Ethnicos, qui nõ abstineret uim à templis? Augustinus scribit Gothos, cum cepissent urbem, nõ modo à Christianorum

templis uim abstinuisse, sed etiam his donasse uitam, qui eò profugerant. Tanta nominis Christiani reuerentia apud Barbaros illos fuit, qui doctrinę cœlestis ignari, nomen tantũ Christianorum audierant. At isti sacrilegi quas aras, quod sacellum reliquerunt intactum? Et accepimus non tantum omnia fana spoliata esse, monumenta sanctorum uirorum preciosiora, & thesauros ad publicam utilitatem totius Italiæ ibi conditos, direptos esse, sed etiam cæde & alijs sceleribus prophanata esse, decantatæ sunt per ludibrium sacræ cantiones. Ita nulla non contumelia affecta est religio Christiana. Quid Turcæ aliud faciunt expugnatis Christianorum urbibus? O ueram uocem Poetæ, qui dixit:

Nulla fides pietasq; uiris qui castra sequuntur.

Quæ uox si unquam aliàs, nunc maxime usurpari potest. Nunquam enim antea captis urbibus perinde polluta sunt ac prophanata omnia sacra. Nunquam ante in Germanico milite notata est auaricia, nunquam sacrarum ac diuinarum rerum similis contemptus fuit. Sed cum alijs in rebus continentior cæterarum nationum militibus hactenus fuit, tum singulari religione uim à sacris rebus abstinuit. Nunc autem ô Dij immortales, quàm dissimilis hic exercitus maiorum nostrorum fuit? quàm longe degenerauit à ueterum modestia? Maiores nostri nihil præter uictorię laudem cupiebant domum reportare. Itaq; nec priuatorum fortunas diripiebant, tantum abest, ut attigerint res sacras. Nec procul exempla continentiæ requirenda sunt. Quis toto Veneto bello à Maximiliani exercitu unũ oppidum audiuit direptum esse? Nemo profecto. Et Maximilianus ipse cum esset in puniendis delictis leniissimus, tamen in

men in uindicanda auaricia militum acerrimus fuit. Etenim cum in eo bello capta Vincentia, quidam iniussu suo in aliquot ciuium ædes prædandi causa impetum feciſſent, ſtatim totam illam cohortem oppreſſit, & plures ducentis ſecuri percuti iuſſit, ut eo exemplo oſtenderet, non omnia uictoribus in uictos licere.

Habes Carole Cęſar auitum exemplum, quid de exercitu iudicare te oporteat, qui auaricia corruptus, omnia diuina atq; humana iura uiolauit. Et haud ſcio, an noceat noſtris hominibus contagio Hiſpanorum: hos, ut uereor, nouę diſciplinę magiſtros habent. Ab his tanc̃q; laniſtis auariciam crudelitatemq; diſcunt.

Non minus aũt ſacrilegium eſt, bibliothecas, c̃q; phana diripere. Non enim inter ſacras res aut diuinas recenſenda ſunt aurea uaſa, quibus in ceremoniis noſtris utimur? & nõ recẽſendi ſunt libri, qui cœleſtia oracula, qui doctrinã religionis, alias honeſtas artes diuinitus oſtenſas generi humano, cõtinent? Neq; uero usq; bibliothecę locupletiores ſunt ullę, c̃q; fuerũt Romanę. Huc omnis generis ſcriptores ex toto orbe terrarũ, magna cura bonorum Pontificũ, conuecti ſunt. Huc nuper adeo, quicquid reliquum fuit literariæ ſupellectilis in tota Græcia, importatũ eſt. Hęc monumenta cum æterna eſſe debuerint, tamen furore militũ aliqua ex parte corrupta dicuntur. Et haud ſcio, an impia flamma per urbẽ uagata, bibliothecas etiã attigerit. O iacturã nullo unc̃q; ſeculo reparabilem. Quot religionis noſtrę interpretes, qui præterea nusc̃q; extant, quot aliarũ optimarũ artium autores amiſſos arbitremur? Quis nõ uehemẽter doleat tot ſecutorũ labores, tot noctiũ uigilias à doctis hominibus ad utilitatẽ poſteritatis lucubratas, in hãc fortunã incidiſſe?

Statuas aut picturas elegantes magnorum uirorum magno cum dolore amittimus, quas uel propter artis bonitatem, uel propter memoriam eorum quos repræsentabant, si fieri posset, æternas esse optamus.

Quanto magis dolere debemus tot ingeniorum interitum? quæ non modo propter scriptorum pulchritudinem miramur, sed etiam propter utilitatē amamus? Neq; enim retineri Reſpublicæ ſine honeſtarum artium cognitione, & ſine libris poſſunt. Cum igitur arma geri debeant, ad tegendas omnes pacis artes, uidete quantū ſcelus iſti latrones admiſerint. Qui quæ armis defendi inprimis oportuit, ea noua & inaudita amentia diſſipauerunt, atq; euerterunt. Hæc cum in urbibus bello captis, non aliter atq; templa, ſacra ſymbola, aras, boni Imperatores ſemper conſeruari iuſſerint, iſti odio, credo, religionis Chriſtianæ, non ueriti ſunt impijs manibus lacerare ac perdere. Non eſt autem obſcurum, quantū detrimēti acceperit Reſpub. bibliothecis illis diſſipatis, quę in Eccleſiaſticis diſſenſionibus, tanquam oraculum conſuli ſolebant: ex quibus publici legū libri, præterea omniū bonarum artium, emendabantur. Neq; uero ſtudia literarum ſine literis ac libris emendatis florere poſſunt: Quæ ſi extincta fuerint, quæ barbaries, quæ religionum confuſio, quæ ciuitatum perturbatio apud omnes gentes ſecutura eſt? Non igitur ad unam urbem hæc calamitas pertinet, ſed ad omnes gentes, quæ retinere religiones ac ſtudia bonarum artium ſine Romanis bibliothecis non poſſunt. Neq; uero impune erit iſtis latronibus, tot ſcelera in unius expugnatione urbis perpetraſſe. Videt hæc Deus, inſpector atq; arbiter omnium humanorum conſiliorum atq; factorum. Hic ulciſcetur contume-

liam

liam templis, libris et similibus monumentis religionis illatam, non aliter atq; de Rege Assyrio supplicium sumpsit, qui sacra uasa Hierosolymis allata prophanauit. Neq; illa uox Baptistæ cuiusdam, quem Romę aiunt & antea ciuibus hanc cladem, & postea uictoribus minatũ esse, sine numine emissa uidetur. Legistis enim, ut opinor, dixisse Baptistam illum, futurum, ut rapta undique spolia breui renomant. Neq; enim diu tolerare Deus sui contemptum, superbiam in rebus secundis, crudelitatẽ in imbecilliores, potest. Non enim possum hic dicere, qualem carnificinam in tota urbe exercuerint. Nec libet commemorare raptas à complexu parentum uirgines, non abstractas à maritis honestas matronas, non mactatos senes ac sacerdotes. Quanta enim fuerit in urbe licentia audacissimorum hominum, inde æstimari potest, quod duodecim diebus, nullos habuit exercitus, militari more, Magistratus. In tot dierum ἀναρχίᾳ tranquilla alioqui ciuitas, nihil non mali ab urbana multitudine pertulisset. Quanto atrociora necesse fuit accidere, ab armatis & uictoribus? Est enim uerissimum illud, quod apud Euripidem Rex quispiam dicit, Nullo non incendio sæuiorem ἀναρχίαν exercitus esse. Nusquam audiimus aut legimus in ulla ciuitate capta, tantã licentiam exercitus uictoris fuisse, ut tot diebus nullis Magistratibus regeretur aut coherceretur.

Accepimus & ante Romam captam esse, primum à Gallis, deinde post multa secula à Gottis. Verum, multo grauius hoc tempore afflicta uidetur. Galli enim tantum in desertas ædes sæuierunt. Ciues partim in capitolium se receperant, partim Veios profugerant, intenti in occasionem rei bene gerendæ. Non arcem urbs, non Im-

perium, non Magistratus, non sacra, nõ cęteta ornamenta amisit. Postea Gotthos quanquam ex longinqua obsidione irati uehementius essent, legimus ita moderatos esse in uictoria iram, ut edictum etiam propositũ fuerit, ut parceretur his qui in tępla Christianorũ cõfugissent, & ut urbs sine cæde diriperetur. Atqui hoc tępore tantũ abfuit, ut à sacris rebus abstinuerint uictores, ut nõ cupidius aliunde prædati sint. Cædes factæ tota urbe miserorum ciuium: Bona ciuitatis pars incendio deleta: Studia omnium honestarum rerum quæ ibi floruerunt, armis contertita, obmutuerunt. Abolita sunt & hæc, quæ si mansissent, instaurare collapsam urbem potuissent, ueteres Magistratus, leges, forma iudiciorum.

Iustius igitur hic dies qui fuit pridie nonas Maij, eo enim proximo anno urbs capta est, inter atros q̃ Allienses numeretur. Ac uereor futurũ, ut ad posteros hic dies multo uerius Allienſis uideatur illi urbi fuisse, q̃ ullus alius: Neq; enim facile se ex tanta calamitate urbs recreabit. Ac uide quantũ distet ab exẽplis ueterũ Germanorũ, huius exercitus facinus. Carolus primus depulsis ab urbe Longobardis, à uastitate urbẽ atq; Italiam prohibuit. Otho primus liberauit eam Berengarij tyrannide. Et ut multa omittã, fortissimus ac sapiẽtissims Princeps, auus Carole tuus Maximilianus, quanto consilio Gallum ducentem maximũ ac fortissimũ exercitũ ad urbẽ, irritatũ atq; accẽsum odio Julij Pontificis, inde usq; à Rauenna, ubi maxima pugna exercitũ Pontificium uicerat atq; fugauerat, ad ultimam Gallię oram, in Belgicum retraxit, nequa clade urbs ab irato uictore afficeretur. Nunc autẽ ò tempora labem, ille ipse exercitus, quem Cęsar uniuersæ Italiæ præsidio esse uoluit, inauditam crudelitatẽ in urbe

in urbe principe totius Italiæ, imò totius orbis exercuit. Non exempla ueterum Germanorũ, nõ dignitas urbis, nõ ingentia beneficia collata in omnes gentes, flexerũt eos ad misericordiam. Quis non doleat usq; adeo deformatam esse eam urbem, quæ olim rerum, ut inquit Vergilius, pulcherrima, Princeps Imperij omnium gentiũ fuit, quę una exempla plura uirtutum protulit, q̃ omnes ubiq; alię ciuitates: quę nobis leges, quæ literas, quæ religiones, quę humanitatem, quę omnes honestas disciplinas, quę denig; omnem bene uiuendi rationẽ nobis tradidit, ut hanc urbem semper tanq̃ cõmunem patriam omnium gentium homnes coluerint. Nonne tot urbis meritis, etiam si quid peccasset Pontifex, condonari debuit? Nunc Pontificis peccatũ furiosus exercitus patricidio uindicat, dum sceleratas manus ei urbi injicit, quæ nobis omnibus pro patria esse debet. Longe enim plura beneficia ab ea unusquisq; nostrũ accepit, q̃ ab eo loco, qui nascentem ptimum excepit. Ad hanc urbem omnes controuersiæ omnium gentium delatæ sunt. Hæc tanquam in excubijs semper fuit ad retinendam religionẽ. Hoc semper in terris doctissimorum hominum domicilium fuit. Hæc fugientes omnes honestas artes ex Græcia exulantes excepit. Hic nuper omnes bonæ disciplinę tanquam renatæ sunt: Hinc in omnes terras propagatę sunt, non aliter atq; semina frugum in totum terrarum orbem, à Triptolemo sparsa sunt. O ingratos homines, qui si hęc beneficia intelligunt, nullã putant se sic meriti ciuitati gratiam debere? O amentes, si nõ intelligunt.

Nonnulli odiose colligunt urbis uitia & incõmoda, quę inde ad alias gentes peruenerũt. Sed est astuti hoís, quod dolet meminisse, q̃d placet obliuisci. Hoc erat humanius,

manius,commoda agnoſcere,& tam multis benefactis incommoda condonare. Quę,qualiacunq; ſunt,talibus certe remedijs corrigi nõ poterunt. Nemo dubitet parricidij eſſe reum,qui patri,leuiter delyranti oculos effodiat,aut præcidat manus. Quid igitur hoc aliud eſt q̃ patricidium, tam atroces pœnas de patria propter neſcio quæ errata ſumere? Itaq; miſeret me non modo fortunę urbis,ſed etiam aliarum gentium: Magnam enim ruinam bonarum rerum apud omnes nationes, hic urbis caſus,ut uereor,trahet, Niſi reſpexerit nos Deus pro ſua ſumma bonitate,& horum malorum, quę impendent, remedia oſtenderit, uos quoq; exiſtimo, cum interitum nobiliſſimę urbis, dolere, tum impendentium malorum metũ,perturbari. Etenim cum coli patrię honoribus ab omnibus debuerit,tamen à nobis maxime, qui lingua ciuitatis utimur,quiq; plura q̃ uulgus, beneficia ab illa accepimus,id fieri debet. Ius nobis cum uulgo commune eſt,ſtudia optimarum artium,non ſunt communia, quę longe antecellunt alijs omnibus humanis rebus. Vos igitur uere Quirites, quoties tam funeſtam luctuoſamq; patrię direptionẽ recordamini, expendite quę à uobis officia tali tẽpore requirantur. Bona uulgi pars ridet Sardoniũ riſum in aliena calamitate,& triumphat,quaſi re bene geſta, à quorũ opinione longiſſime uos abeſſe cõuenit. Neq; enim intelligunt quid illi urbi debuerint,aut quid detrimẽti ex eius interitu Reſp. acceperit. Deinde cũ in hoc miſero urbis caſu uidentur etiã ſtudia literarũ in quoddã diſcrimen ueniſſe,uos quod bonos ciues decet,magis in hęc ſtudia incumbite,quę ſi conſeruauerimus,nõ deſperandũ eſt,quin urbs ipſa rurſus in priſtinũ ſtatũ & dignitatẽ reſtitui poſſit. Dixi.

Oratio

ORATIO CONTRA AFFECTA-tionem nouitatis in ueſtitu.



Ametſi non dubium eſt mihi, Auditores Candidiſſimi, quin ualde uobis mirum uideatur, quod hanc cathedram doctiſſimorum hominum cõſcendere, tantamq; prouinciam, ac onus ſuſcipere auſus ſum, tamen, cum ſcholæ noſtræ morem ſciatis, non dubito, quin quæ ueſtra hactenus erga omnes, qui in hunc locũ dicturi prodierunt, fuit humanitas ac beneuolentia, me quoq; benigne, placideq; audituri ſitis. Ego uero non de bello Troiano, aut huiuſmodi peruulgata fabula dicturus prodij, Sed cum nulla uirtus perinde adoleſcentes deceat, atq; modeſtia, cepi conſilium de quadam eius uirtutis parte dicendi. Idq; argumentũ eo ſuſcepi libentius, ut ſi nõ hic propter eloquentiam laudem mererer, tamẽ mihi interea canerem, ſicut ille Cytharœdus dixit, meq; ad eius uirtutis ſtudium excitarem. Inſtitui autem orationem contra adfectationem nouitatis, & aliarum ineptiarum in ueſtitu, quod uitium cũ ſit opinione nocentius, tamen adeo uulgare eſt, adeo cepit iuuentutis animos, ut nullis neq; legibus eorum qui Reſpub. gubernant, nec doctorum ſermonibus corrigi poſſit. Quoties enim his noſtris temporibus de hac re leges ſcriptæ ſunt? Quàm multi graues uiri quotidie hac de re queruntur? Sed tanta mali uis eſt, ut reprimi aut ſanari non poſſit. Quotidie nouæ formę excogitantur: nunc placet Gallicus pileus, nunc Hiſpanicus cucullus. Alij Sarmaticis brachis delectantur, & hęc ipſa quàm uarie deformant?

Integra uestis patum digna uiro esse creditur, sed sacerā ta, & mille uariata coloribus, qualem olim scurrarum fuisse uestitum picturæ ueteres ostendunt, ea demum plurimum habet admirationis, atq; hæc singuli quotidie mutant. Nullus Proteus tam uarias induit figuras, q̄ nostri iuuenes, subinde habitum mutantes, non aliter atq; in scena hi qui plures personas sustinent. Quanq̄ igitur hoc uitium usq; adeo receptum sit, ut non adolescentis oratione, in qua nihil esse autoritatis potest, non aliqua mediocri eloquentia tolli possit, tamen libuit in argumento honesto ingenij uires experiri. Quæso autē uos, ut pro uestro more benigne me patienterq; de honestissima causa dicentem audiatis. Id si nulla alia res, tamē ætas mea à uobis impetrare debebat, quę propter imbecillitatem non poterit susceptū onus perferre, nisi singulari fauore uestro animū meum confirmaueritis.

Est autem cum per sese turpissima nouitatis in uestitu adfectatio, tum hoc etiā nomine magis fugienda, quia multas ex se alias pestes gignit, & pleraq; animi uitia prodit atq; alit. Nec procul nobis argumenta sententię nostræ petenda sunt. Etenim cum nuper hic de conseruandis ueteribus moribus quidam ex nostro sodalitio grauissime dixerit, spero me facilius hanc causam de usitato uestitu retinendo uobis probaturū esse. Etenim ut in alijs publicis institutis odiosa est nouitatis adfectatio, ita etiam in uestitu merito improbari debet.

Semper autem sapientissimi homines senserunt uetere s mores, ueteraq; instituta ciuitatum ac populorū summa cura conseruari debere, quod nulla res perinde lædat publicam tranquillitatē, atq; crebra legū morumq; mutatio, non aliter atq; corporis humani ualetudinem

ratio

ratio uictus fæpe mutata labefactare ſolet. Eius mali ut uetera omittamus, noſtra ætas miſerabile exemplum uidit. Poſtquam enim pauci tantum ritus Eccleſiaſtici, qui iam neſcio quomodo degenerafſe dicebantur, abrogati ſunt, incredibilis omnis diuini atq; humani iuris contemptus ſecutus eſt. Et nõ modo diſciplina in ciuitatibus regẽdis, & Magiſtratuũ autoritas periclitari cœpit, ſed religiones uniuerſas, fidẽ, iuſiurandũ, & omnia uincula ſocietatis humanę laxata eſſe uulgus exiſtimat. Inde cũ quotidie maximi motus in ciuitatibus exiſtunt, tũ uidiſtis ante bienniũ luctuoſum inter ciues noſtros bellum in uniuerſa Germania exarſiſſe. Nullũ igitur uenenũ nocentius Reip. exiſtimemus, q̃ receptorũ morũ mutationẽ, quę in uulgo licentiã, audaciã, contemptũ Impetrij, deniq; nihil non eatũ peſtium, quę ciuitatibus exitio eſſe ſolent, parit. Merito igitur celebratur uerſiculus ille:

Moribus antiquis res ſtat Romana uirisq̃.

Adhæc cum ueteres Dijs proximos eſſe credamus, non dubium eſt uetuſtiſſimos mores optimos eſſe, quos illi ſcilicet maiores noſtri ciuitatum conditores à Dijs ipſis didiciſſe uidentur. Proinde ferendi non ſunt, qui honeſta maiorum inſtituta faſtidiunt, qui ueterem diſciplinã ſoluunt, qui nunc hos, nũc illos mores in patriam accerſunt, qui ſcribunt abolentq; leges ut libitum eſt. Et conſtat olim in Rebuſpub. clariſſimos ciues acerrime uetera inſtituta defendiſſe. Nam ut alia maiora omittã, Romę quoties ſumptuarię leges perlatę ſunt, ut maiorũ more ueſtiret ciuitas? Cato quanta cõtentione legẽ Oppiam tuetur apud Liuiũ, quę modũ ſumptibus mulierũ præſcribebat? Auguſtus cũ uideret Romanos peregrino ueſtitu delectari, ſentiens quantum in ea re mali ineſſet, longa

oratione ciues obiurgauit, & ad togæ usum reuocauit, illum etiam Vergilij uersiculum citans:

Romanos rerum dominos gentemq; togatam.

Si nulla ratio esset alia improbandi hæc uestitus uitia, tamen erat honestum nobis exempla magnorum hominum sequi, à quibus dissentire, quid aliud q; insania est? Et quod Cato, quod Augustus senserunt, probari omnibus bonis uiris existimemus, quorum iudicia nihil morari summa impudentia est.

Sed dicat aliquis, nõ magnopere, uel ad priuatos mores, uel ad Remp. pertinere has ineptias uestitus, meq; atroci oratione exagitare rem non perinde uitiosam. Ego uero utinam dicendo magnitudinem rei æquare possem: tantum enim turpitudinis hac in re est, ut nulla mediocris eloquentia ad eam explicandam satis sit. Etenim cum non minus uestis quàm oratio animi character atq; imago sit, quid dubitemus illos qui tantopere monstrosa ueste delectantur, animos etiam monstrosos habere? Incedit aliquis pileo tectus Hispanico, eoq; uarie picto: Thorax deinde Gallicus est, cuius manicæ adeo non respondent ad brachij modum, ut laxissimæ sint, qua parte brachium gracilius est. Et cum uestis naturam imitari debeat, istis plane diuersum placet. Quid amplius? plebeius uestitus est, nisi distinctus sit uarijs coloribus uelut pauo: adhæc conscissum esse oportet, tanquã mendici pallium, id demum regium est. Venio ad pallium. Palliorum ac tunicarum tam multæ, tamq; uariæ formæ sunt, ut totus hic dies ad recensendum non sit satis futurus, si singulas enumerare uelim. Atq; hic uenit in mentem mihi fabulæ cuiusdam Germanicæ. Audisse enim uos de patribus uestris opinor, Regem Tur-

carum

carum iussisse sibi omnium gentium habitus pingi. Cũ itaque pictor plurimarum gentium uestitum pinxisset, tandem pingit nudum hominem, & iuxta uarios pannos. Postea artifex à Rege iussus interpretari picturam, cum exposuisset cętera, dixit nudum illum Germanum esse, cui certa forma uestitus pingi non possit, quia quotidie nouam excogitet. Doleo unam hanc nationem, quæ grauitatis atq; constantiæ laudem alioqui sibi uendicat, hac parte leuitatis insimulari posse. Cogit enim res ipsa fateri, apud nos incredibilem uarietatem uestitus esse. Quid de calceis dicam? olim erant rostrati, nũc fiunt trianguli figura, ceu deltoton. Quid aliud q̃ monstrum putandus est, qui in tam dissimili habitu, tamq; uarie incedens sese circumspectat, & tanquam Lunonis auis, admiratur? quem profecto, nisi admiratione consuetudo mali nobis exemisset, monstrũ aliquod transmarinum citius q̃ hominem esse multi crederent. Sed si sapientissimis hominibus, imo si sacris literis creditis, talem habitum non obscuram quandam animi picturam esse iudicare debetis. Scriptum est enim in Ecclesiastico: Amictus, risus & incessus, produnt hominis ingenium. Similis in animo inconstantia, similis cupiditatum uarietas, qualem in uestitu cernis: deniq; legum & morũ patriæ fastidium simile in animo hæret. Quod si res nihil præterea turpitudinis haberet, tamen hoc reprehendendum erat, tantam esse ingratitudinem erga patriam quæ genuit, quæ educauit, quæ optimis legibus uitam defendit, ut nihil nunc nisi peregrinum placeat. Quid enim unicuiq; carius iucundiusq; patria esse debet? Núc autem cum hęc nouitas mores etiam infamet, quis non existimet procul fugiendũ esse? Nonne apud Virgilium

cum molliciem obiicit Troianis Turnus, à ueste coniecturam facit: ait enim:

Et tunicæ manicas & habent redimicula mitræ.

Animaduerterunt enim docti uiri sermonem, habitum, incessum, & alios corporis motus, tanquam actionem esse animi, in qua uelut in speculo cuiusq; natura cerni potest. Quemadmodum enim in equis & leonibus animorum motus, cauda atq; aures indicant, ita adfectus hominum, non tantum sermo, sed uestitus, qui quasi tacitus quidam animi sermo est, declarat. Itaq; non temere à Græcis in prouerbio dictum est illud: Vestis uirum facit. Vt enim honestus habitus dignitatē homini conciliat, & quandam commendationem morum adfert, Ita monstrosa uestis abhorrensq; ab approbatione oculorum, iudicioq; bonorum uirorū officit existimationi. Quid enim aliud q̄ monstrosam mentem ista dissimili tudo uestitus, partim Gallos, partim Hispanios, partim Sarmatas imitantis significet? Quę cōstantia potest existere in horum mentibus, qui toties sui dissimiles facti prodeunt? Socrates calceis Sicyonijs contra suam consuetudinem uti noluit, tametsi ipsius confessione apti erant pedibus. Nec ille morosus in re parua uideri debet, pars quædam grauitatis atq; constantiæ fuit, ne qui dem in paruis rebus sui dissimilem esse. Proinde & Homerus inquit, honestum habitum ad existimationē augendam conducere, nostis enim uersum:

Namq; uiro uestis magnum decus addit honesta.

Neq; id ad uestis precium pertinet: non enim gemmæ, aut aurū, aut purpura, quarū rerum usu in ciuitatibus bene cōstitutis, etiā interdictū est honestis hominibus, magnopere ornant uiros, sed quia pro ingenijs ac moribus uestitum

ueſtitum ferè quiſq; ſumit, magnam cõmendationem habet honeſtus habitus, quod eo boni uiri delectari iudicentur. Quiſquis igitur honeſtã exiſtimationẽ apud bonos uiros colligere ſtudet, is ad illorum iudicia, ut reliquæ uitæ inſtituendę conſilia, ita etiã ueſtitum accommodet. Vt enim noſtris temporibus Principum familię ex forma ueſtitus diſcernuntur, ita adoleſcentium mores, boni uiri ex habitu dijudicant. Nullum autem patrimonium, nullas opes hęc ætas pluris facere quàm exiſtimationem debet. Hanc magna ex parte conſequi poterit hac diligentia, ſi ſequatur illorum iudicia in ueſtitu. Si qui uero ita depuduerunt, ut exiſtimationis nullam rationem habeant, ut bonorum de ſe iudicia nihil moentur, hos non tam homines eſſe, quàm humana ſpecie belluinos animos gerere exiſtimare debemus. Noſtra oratio ad ſanabilia ingenia pertinet, alios publicis pœnis ad ſanitatem reuocare, & cohercere oportuit.

Hactenus dixi ueſtitus ineptias quaſdam animi eſſe corrupti notas. Sed ut nemo uolens σίγματα, quæ deprehenſis in aliquo flagitio inuri ſolent, quantumuis innocens ſibi accerſit, ita has notas turpitudinis uitandas eſſe, ne famæ noceant, cenſeo. Sed hę ineptiæ nõ tantũ nocent exiſtimationi, aliud maius malum ſecũ trahunt: nam inter corruptelas Rerumpub. merito adfectatio, ſiue nouitatis, ſiue peregrinitatis in ueſtitu numerari debet. Hac de re dũ dico, quęſo diligẽter attendite. Intelligetis enim multa ingentia uitia ab hijs principijs oriri: ut enim uſurę per gradus creſcunt, ita à paruis principijs paulatim audacia robur colligit, donec penitus ex animis pudorẽ, omniſq; diuini atq; humani iuris metum eijciat. Nemó, inquit Poeta, repente fit turpiſſimus, per

gradus

gradus labuntur mores in deterius. Nec libet in re manifesta exempla colligere, Sed quoniam inter adolescētes studiosos doctrinæ Christianæ dicimus, recitabo uobis unum quoddam exemplum, quod in libris Confessionum scripsit Augustinus de matre. Hanc in puericia inquit mira diligentia ad sobrietatem à nutrice adsuefactā esse, neque enim licuit ei ne aquam quidem, nisi in iusta cœna, aut iusto prandio, bibere. Nutrix interrogata quo consilio puellis etiam aquæ potu interdiceret, respondit: Nisi ea ætate sitim perferre discant, postea matronas factas, cum uini copia sit, simili intemperantia uino se ingurgitare, qua nunc aquam bibant. Est igitur prudentia non exigua, semina uitiorū præuidere, ac in tempore tollere. Vt enim in morbis corporum medicandis serum est, tum demum quærere remedia, cum morbus ad summum peruenit, Ita frustra adhibetur medicina uitijs postquam adoleuerint. Quę igitur uitia gignit nouitas uestitus? Cum alia multa, tum hoc omnium perniciosissimum, quod adolescentium animos adsuefacit ad contemptum legum. Nam cum in paruis rebus, primum à cōsuetudine bonorū, & à publicis institutis discesserint, paulatim ita confirmatur audacia, ut etiam in maioribus rebus nō modo bonorum uirorum iudicia, sed omnes leges contemnant. Et is qui nunc uidetur ludere, dum has ineptias in uestitu amat, paulo post omnibus legibus, omnibus Magistratibus audebit oppedere. Tantam ruinam ædit res, quæ quidem in speciem parua uideri potest: uerum exemplum latissime patet. Nam cum semel legum repagula effregerint, nihilo deinceps firmiores omnes leges, cȝ aranearum telas esse existimabunt. Et ut scitis ἀρχὴ ἥμισυ παντὸς. Quod

quanquam

quanquam in priuatis moribus uidere possumus, tamẽ in ciuitatum inclinatione clarius perspici potest. Quæ enim ciuitas non ita collapsa est? quia cum primũ disciplinam in paruis rebus neglexisset, aluit petulantiam uulgi, adeo ut postea in maximis etiam rebus imperium detrectarit. Præterea cum uestis imitetur animi affectus, ut supra dixi, fit, ut illis ipsis cupiditatibus inclusis in animo, quas premi & coherceri oportebat, frenum laxetur. Sunt qui propter feritatem animi, habitu delectantur, qui terrorem intuentibus incuciat: In his quoniam sibi indulgent, crescit feritas. Sunt qui propter molliciem animi ornent se prope modũ mulierũ more, quos effœminatiores uestis reddit: Vt enim febris alitur, si quis ei morem gerat, & bibat, quid quid uitiata natura expetit, ita morbi animi crescunt, si quis eis indulgeat, nec remedia opponat. Sed omnium maxime nocent in commune hi, qui gentis alicuius externæ uestitum amant: Vt enim amatores amasiarum colorem imitantur, ita isti se eius gentis mores, luxum, aut alia uitia amare, et patrios ritus ac leges contemnere, hac uestitus imitatione significant. Qui Principes primum Romam aduexerunt dia demata & plerasq; peregrinas uestes? nonne illi qui ueteribus legibus deletis, in urbem obscœna sacra exterorum, ut bacchanalia, præterea exempla fœdissima peregrinę luxurię adferebant? Videmus hoc tempore quosdam Turcico habitu delectari, non credo ob aliam causam, nisi quia nostræ religionis, & legum nostrarum satietas eos cepit, quos quoniam externa imperia expetere, mores religionesq; amare apparet, nõ dubito eos hostes patriæ appellare. Non enim tantum illi, qui foris arma gerunt aduersus patriam, hostes putandi sunt, sed

multo magis isti, qui disciplinam ciuilem, qui maiorum institutа nihil ad se pertinere arbitrantur, alios mores foris accersunt. Lacedæmonij hospitem Milesium cum alijs delicijs adfluentem, tum in uestitu sumptuosiorē q̄ pro Spartana consuetudine, iusserunt ciuitate excedere ac domi Milesia exercere. Hæc illi in hospitem constituerunt, quanto minus ciuibus permitti debebat, exempla bonis ac ueteribus moribus offectura, in patriam inuehere? Neq̄ enim abit hoc sine publicorū morum corruptione, quia ut est uulgus natura φιλόκαινον, statim has nugas imitatur, & legum metu paulatim depositо, amorem externorum uitiorum induit. Estq̄ in maximarum ciuitatum interitu uidere, ab his principijs cætera uitia orta esse. Iure igitur in autores talium exemplorū tanquam in hostes patriæ sæueriſſimę pœnæ constitui debebant. Tunc bellum parari aduersus patriam, tunc obsideri eam non foris, sed intra mœnia putetis, cū patrius uestitus exuitur. Hos cum peregrinis clandestina fœdera feciſſe, & cum legibus in perniciem patriæ conspirare arbitremini, quos externorum atq̄ hostium mores magis q̄ patrij delectant. Non enim hic cultus aliō spectat, nisi eò, ut domestica ac publica disciplina corrupta trahat omnium ciuium animos ad externa imperia, peregrinas religiones, & omnia turpitudinis genera recipienda. Sed cum hæc nouitas omnibus hominibus turpiſſima sit, tum in primis abesse à Christianorū moribus debebat, quos in omnibus uitę partibus præcipuā grauitatem præ se ferre decet. At hoc accipimus, Turcas, & plerosq̄ barbaros, religiose patrium morem in uestitu retinere. Cum autem Christianæ literæ singularem nobis modestiam, ac uerecundiam, & morum constantiam

tiam præcipiant, turpe est hac parte leuiores nos perhiberi ijs gentibus, quæ Christiana præcepta ignorant. Videte quæso Dauidem, q̃ diligenter putauerit in huiusmodi, quanquam paruis rebus, decorũ seruandum esse. Is enim cum legatis suæ gentis à uicino quodam Rege uestes per contumeliam decurtatæ essent, ac barba contra morem rasa esset, iussit ut in extremo regni oppido se tenerent, nec prodirent in publicum, donec barba creuisset. Quid aliud sensisse sanctissimũ Regem creditis, q̃ ad officium boni uiri pertinere hanc quoq; diligentiam cautionemq;, ne genere uestitus, aut similibus rebus, cuiusquam oculos offendat? At hanc diligentiam maxime nos scholasticos præstare oportuit. Sed ò Deũ immortalem, quis ordo, quod genus est hominũ, qui has ineptias magis ament q̃ scholastici? Militaris pleroscq; habitus delectat, quẽ non uno modo deformant, sed quantum quisque potest, monstrosum facit. Actum demum sibi fortes uiri, tum satrapæ, deniq; planè beati uidentur, cum maxime nouum habitum, maximeq; ab horrentem ab oculis bonorum uirorum excogitarunt. Quasdam formas, quia non possum uerecunde nominare, prætermitto. Esset enim optandum ut abderent ac tegerent diligentius eas partes, quas natura ipsa abdidit, ne in promptu positæ, ambitiose se ostenderent. Non neglexerunt hanc partem sapientissimi legum latores in Græcis ciuitatibus. Scribit enim Xenophon in institutis Lacedæmoniorũ, Licurgũ præcepisse, ut pueri in publico, manus intra uestes continerent, ut taciti incederent, ne circumspectarent, nec dejcerent oculos ab his quæ ante pedes essent. Et quidem hæc magnarum uirtutum tyrocinia quædam esse existimant: Ait enim

Xenophon ideo hæc instituta esse, ut ad uerecundiam, pudorem ac modestiam à prima statim pueritia adsuefierent. Quanto magis nos qui in scholas missi sumus, ut non modo literas perciperemus, sed ut ad omnia honesta officia institueremur? Hæc incunabula modestię, in uestitu atq; incessu seruare oportuit. Verum quid hoc monstri est, aliud oratio scholasticorum, disputantium de honestis officijs, aliud uestis loquitur, quæ summam impudentiã prę se fert. Planeq; miror quid illis in mentem ueniat, cum cogitant quantum à se ipsi dissentiant, q̃ non conueniat ad orationẽ suam, ad studia, hic habitus. Si in scena prodiret cũ habitu scurrę Agamemnon, nemo non uociferaretur illum Histrionem decori oblitum esse, nescire scenæ, quod aiunt, seruire: Tam morose iudicamus in ludis. Quid putatis graues uiros iudicare in seriis rebus, quantũ huic scenę nos seruire uelint, in quam, quia ludum hunc esse, non modo literarum, sed omnium uirtutum percipiendarũ arbitrantur, ideo deducti sumus, ut hinc optima disciplina adsuefacti bonos mores ad Rempub. afferamus. Sed quales mores adferent illi ad Respub. qui tanquam in impudentiæ ludo uersati essent, iudicia bonorum uirorum contemnere consueuerunt, qui pudorem & uerecundiam penitus ex animis eiecerunt, qui legum metu depositio, licere sibi quidquid libet existimant? Multa enim, ut dixi, uitia alit illa ineptiarum adfectatio. Quam spem de se præbere bonis uiris potest is, qui in prima pueritia legibus se coherceri atq; gubernari non est passus, sed qui tanquã Tyrannidem teneret, suo arbitrio uestire, suo more uiuere uoluit? Nemo profecto illum in ulla uitę parte moderatum, aut legum metuentem fore crederet. Et hac impu-

dentia

dentia plerique sunt qui ex scholis postea, non tantum ambiunt administrationem ciuitatum, sed multo honestiorem prouinciam docendæ religionis, ad quam adferre singularem modestiam oportebat. Audiui in terra Sueuica Principem fuisse summa prudẽtia ac pietate præditum Eberardum Barbatum, sic enim uocant, Ad hunc aiunt uenisse iuuenem quendam petentem sacerdotium, forte huic uentus aperuit uestẽ, ut uideret Princeps scissas militari more caligas. Id nunc nemo tegere studet, tanta est impudentia, in illo casus retexerat: Ibi Princeps, ut erat acerrimus exactor, custosq; disciplinæ morum, ita commotus est, ut quanq; loqui Latine non soleret, tamen ira ei hæc uerba expresserit: Vade ira. Sic illum, quia ei succenseret è conspectu suo abire iussit. Ac tantum abfuit, ut sacerdotium conferret, ut etiam uehementer obiurgatũ dimiserit, quod in Principis conspectum uenire cum scurræ habitu, quod ambire sacerdotium ausus esset, cũ hac significatione impudentiæ, ac leuitatis, à qua longissime abesse sacerdotes decet. O censuram dignam laude, dignamq; memoria uestra cõmilitones. Merito enim tanti uiri, cui fama est in hoc toto Germanię Imperio, summam sapientiæ laudem tributam esse, cõmoueri iudicio debemus. Huic enim omnes populi, cum omnes ordines in concilijs populorũ Germanię de maximis rebus sæpe adsensi sint, adsentiamur & nos hac parte, & statuamus id quod res est, nulli non ordini hominũ has ineptias, sed maxime scholasticis indecoras esse. Neq; uero sic ille sensit, & non sentiunt idem omnes boni uiri, omnium honestorum hominũ hac de re calculi cõsentiunt. Quis enim uestrum, qui modo liberaliter institutus est, qui nisi sit impudẽtissimus,

ausit in conspectum sui patris cum inusitata uestę uenire? Quod cum ita sit, putate hęc uitia in communi odio bonorum uirorum omnium esse. Quanquam autem merito pro legibus haberi debeat, quidquid omnes boni uiri sentiunt, tamen si minus apud uos alienorum auctoritas ualet, ualeat apud unumquemq; sui patris auctoritas, quam est pietas quędam maximam & grauissimā ducere. Quare si parentum animi ab his ineptijs in uestitu abhorrent, abhorrent autem haud dubie, uoluntatem illorum pro lege habeamus. Neq; enim existimare debemus has tantum leges esse, quæ sunt in publicis libris scriptę. Hæc lex non in æs incisa, non tabulis lapideis insculpta est, sed in animis nostris scripta diuinitus, ut parentum iussa non minoris faciamus, quàm ulla prętorum edicta. Et tamen extant etiam Magistratuum leges hac de re: extant & præter hominum doctorū præcepta, in sacris literis grauissimę admonitiones, ut ambulemus coram hominibus εὐσχημόνως, hoc est, ne quid incessu, sermone, gestu indecorum admittamus. Et Paulus iubet fugere iuueniles cupiditates, significans, ut docti homines interpretantur, delicias illas in uestitu, aut in reliqua corporis actione. Quid est autem, si non est insania, neq; bonorum uirorum iudicijs, neque parentum, neq; legum, neque sacrarum literarum autoritate permoueri? Neq; leue peccatum sit oportet, quod tanto consensu honesti homines uniuersi damnant, sed uident illi quantam ruinam trahant hęc initia, cum in paruis rebus discessum est à maiorū institutis, perspiciuntq; quæ disciplinæ perturbatio sequatur. Hæc argumenta uos commoueant, optimi Commilitones, ut longum ualete dicatis illis in uestitu ineptijs, semperq; ueniat in

mentem

mentem, illas non minus esse turpes notas quàm stigmata, quæ damnatis rerum capitalium inuruntur, uestis enim uirum facit: quare si sit indecora, nocet existimationi, non aliter atque illæ, ut uocant, Thraciæ notæ. Porro talibus stigmatis delectari, ea uero inaudita amentia est. Ad hęc dum his cupiditatibus, ut uidentur, leuioribus nimium indulgetis, interea multa alia uitia uires accipiunt, legum contemptus, audacia, adiungun tur corrupta sodalitia, honesta studia omnia deseruntur, succedit ocium, id ad uoluptates inuitat. Atque harum rerum qui sit exitus, quę καταστροφὴ, sępe uidemus. Non igitur nihil periculi est, ut quidam existimant, ignoscere sibi in his nugis, ut uocant: Nimis quàm uerum est has nugas seria ducere. Vetus est uersiculus, magna teneri non posse si parua negligenter tueamur:

εἰ μὴ φυλάσσεις μικρὰ ἀπολεῖς τὰ μέζονα.

Idem hic fieri uidemus: Nam qui parum firmi sunt aduersus has leuiores cupiditates, hos citius opinione alia maxima mala oppriment. In primis autē nos qui Christo nomen dedimus, uerecundiam ac modestiam in omnibus uitæ partibus colere decet, & quia ea uirtus Deo in primis placet, & ut bonis exemplis aliorum mores meliores reddamus.

Dixi.

VITVPERATIO EBRIETATIS
scripta à Vito Vuinsemio.

MArcus Cato, cum aliquando ad plebem Romanam importunius de diuisione frumenti atq; alijs suis commodis tumultuantem, orationem, qua placaret eos, habere instituisset, & parum æquis auribus se à pleriſq; audiri animaduerteret, in hunc modum initio dicendi fertur exclamasse: Quàm difficile est, inquiens, ad uentrem uerba facere, qui aures non habet? Sentiebat enim surdo fabulam cantari, si quis, præsertim apud uesanam multitudinem, uentri leges dictaret.

Idem ego mihi quoq; accidere uererer, si hæc oratio, quam iussu præceptorum de sobrietate ac temperantia instituo, mihi alicubi in cœtu uulgi, ac heluonum, pro nulla re magis quàm pro uentre sollicitorum habenda esset: hi enim ad primam statim mentionem sobrietatis, me risu & clamoribus exploderent, aut indignantes è medio proturbarent: Non enim immitius sæuit ira leæne, abreptis catulis, quàm furor istorum heluonum, quando uentri suo & gulæ finé modumq; statui audiũt.

Quare si in tali theatro perorandum esset, causam mihi hanc relinquendam, et capite obuoluto, qua possem exeundum putarem.

Cum uero in hoc doctissimorum uirorum & adolescentum conseſſu, quibus cum honestissimis ingenuarũ artium studijs, cum Musis, hoc est, cũ humanitate commertium est, quibus plus sanæ mentis ineſſe & mores ac sententiæ cum studijs congruere debent, contra ebrietatem

tatem, quà in hac quidem uita nihil fœdius esse potest, dicendũ sit, nihil dubito, quin satis æquos & benignos auditores sim habiturus. Et me contumelia uos afficere iudicarem, si uelut dubitans de uestra in hac causa beneuolentia, longa præfatione eam mihi conciliandam putarem. Quapropter hac quidem parte omissa, unum uos precabor, ut si minus quàm pro atrocitate ac fœditate huius flagitij dicam, & propter imbecillitatem oneri succumbam, id pro uestra æquitate ætati meæ, quam gra uibus argumentis tractandis ad huc immaturam esse uidetis, & tenuitati ingenij condonetis. Quod me quidẽ à uobis non difficile impetraturum spondet summa humanitas uestra mihi non ignota.

Omissa igitur longiore præfatione, ad rem potius ipsam accedamus. De temulentia mihi & ebrietate in præsentia oratio erit, Adolescentes, de qua ego, sed alio quodam modo dicere possum, quod de uirtute Plato dixit, incredibiles eam amores in animis hominum, si oculis percipi posset, excitaturam. Ita ebrietatem, si eius turpitudo, quanta est, à nobis cerneretur, ac si non oculi nostri rem tam fœdam consuetudine quadam, qua nihil in rebus malis nocentius est, prope iam ferre didicissent, haud dubie grauissimum odium sui apud omnes parituram. Nemo enim est, qui non toto corpore atq; animo cohorresceret, ac uelut ad ominosum & infaustum aliquod monstrum paueret, quoties in ebrij alicuius hominis conspectum incidisset, si non ueluti morbo quodam oculi nostri hebetati cæcutirent, & mentes ad sensum tantæ fœditatis consuetudine ipsa iam occaluissent. Si enim cum quid in natura rerum à communi lege ac ordine deerratum uidemus, exhorrere atque ea

monstra abominari solemus, utpote cum ex boue bicipites uitulos, ex sue canem æditum, aut aliquid inusitatum è terra natum, uel in cœlo conspectum accepimus, nõ minus certe abominabile & obscœnum portentum iudicandum est, cum homines excellentissimam illam naturam, quæ ad gloriam Dei, ad immortalitatem, ad uirtutem atque temperantiam condita est, illa immani heluandi ac perpotandi consuetudine ita ex hominibus in feras bestias transformari uidemus, ut præter oris lineamenta in illis humani nihil amplius agnoscere possis. At quid de bestijs dico, quarum uita utut est, multo certe, quàm horum hominum, minus est detestabilis, utpote quæ naturæ ipsi tamen conformis & consentanea est. At isti homines fugere prorsus se ipsi, & hominem ex homine exuentes, naturam humanã odisse uidentur, imõ uero cum ea belligerantur, & expugnata ipsa, aliam, ac nimio plus quàm beluinam induunt, ut recte dictum sit, Omnem naturam quæ à sua specie degeneret, in multo deteriorem abire, quàm si eam naturam ingenuisset. Et cum horrendum, tum uero etiam miserabile est, ex omnibus animantibus unum hominem tam longe ab ea excellentia, ad quam diuinitus conditus est, degenerare. Quid enim esse aut cogitari potest, non iam dicam humanitati, sed ipsi omnino naturæ magis aduersum, quàm suis membris, ualetudini, uitæq; propriæ, ultro & nulla de causa uim afferre? Solent hoc nonnunquam facere, qui mente capti, atque in furorem acti, ne seipsos lędant, uinculis cohercentur. At isti heluones, qui adhuc mentis ac rationis compotes, si Dijs placet, uideri postulant, si modo sunt, & non multo grauiori genere furoris agitantur, hostilem in modum sibi

dum sibi ipsi manus afferunt, in se ipsos sæuientes, infestissimosq; morbos, cruciatus, atq; exitium, ultro acuolentes uidentesq; sibi accersunt. Id ita esse quotidiana exempla nimis multa restantur, & res loquitur ipsa, ut nunquam uerius quàm hoc tempore dici potuerit, plures crapula quàm gladio occumbere, Imò uero plures crapula seipsos crudeliter occidere, quàm ullo alio genere mortis aut casuum humanorum perire. Nam quod hæc sit communis labes ac ruina sanitatis animi pariter ac corporis, quod ad corrumpendum ac frangendum uigorem omnium membrorũ, ad exitium ac mortem nulla magis compendiaria, nec breuior sit uia, non longum, neq; difficile erit ostendere. Quem enim unquam uidistis ebriosum hominem, cui non in media iuuenta corpus omni genere morborum confectum ac debilitatum, sensus omnes labefactati corruptiq; fuissent? Occupat illos senium & occasus uitæ, dum adhuc sunt iuuenes, dumq; q̃ maxime uiribus pariter corporis atq; animi uigere ac ualere debebant. Neq; id mirũ, nulla enim pars est corporis, neq; animi, quæ non ista immani potandi ac heluandi consuetudine grauissime lædatur. Stomachum primũ, & epar, quæq; alia membra nutritioni cæterorũ destinata sunt, necesse est, isto poculorũ proluuio ita debilitari atq; corrumpi, ut neq; coquendo præparandoq;, nec distribuendo corpori hunc quo uiuimus uigemusq;, sanguinẽ, amplius usui esse possint. Calor naturalis, qui coctionis effector est, quo, ut Cicero testatur, omnia alunt̃ ac crescũt, et sine quo neq; ali quicq̃ potest, nec crescere, ita in istis potu atq; ex eo natis uitiosis humoribus obruitur ac demergitur, ut uel nullũ eius amplius sit uel admodũ segne in corpore ministerium.

Hinc quàm multiplicibus grauibusq; morbis afflicten-
tur isti nepotores, uidemus: neq; enim id rarum est aut
obscurum, statim coloripse, quem sanguis prout est, gi-
gnere solet, quæ sit ualetudo indicat, is uero talis est, ut
te, eorũ quempiã intuens, emortuũ cadauer, nõ uiuum
corpus putes intueri. Caput illis tremulum est, incer-
to motu nutans, uertigine laborant perpetua, ea præ-
nuncia est apoplexiæ: oculi rubentes, & continuis la-
chrymis stillantes, oculorũ anguli tumentes, indicium
id est cachexiæ totius corporis, qui gradus ad hydropi-
sin proximus est, genæ labentes, & quales tabidis aut se-
nio confectis aniculis, nasus morphaicus, oris halitus
multo quàm cloacę grauior, dentes putridi, scabriq;, spi-
randi difficultas, tussis, ructus, & uomendi expuendiq;,
præsertim horis matutinis, fœda necessitas, lingua ad
hæc titubans etiam sobrijs, uox rauca, & obscurus pro
sermone stridor, manus tremulæ, nodosæ, morbo arti-
culari fœdum in modum distortæ ac fractę, Venter, quẽ
quis uerius poculorum latrinam dixerit, propendens,
morbosus, Crura qualia elephantis, tumida, labantia,
plena fœdis ac grauiter olentibus, hulceribus, pedes po
dagrosi: podagra enim istorum heluonum assidua co-
mes est, & pedissequa. Nam belle conuenit, quod Epi-
grammaticus Græcus ait, Bacchum cũ Venere aliquan
do concubuisse, & ex eo concubitu prognatam esse fi-
liam podagrã. Hęc duo enim quę per se ac sola plurimũ
nocent, quando in unum conueniunt, tum uero nihil
est magis pestiferum. Fit autem plerumq;, ut homines
temulenti ac ebrij, tunc cum cibo potuq; ad summum
distenti sunt, ad res Venereas prorumpant sese. Hinc subitæ
mortes atq; intestata senectus, ut Satyricus ait. Hinc istũ

potorum

potorum, penè porcorum dixeram, gregem circumsistit uelut agmine facto morborum omne genus, sequiturq; totius corporis & omnium membrorum extrema labes ac deformatio, cerebri tamen præcipue, ea enim pars cum temulentiæ uelut sedes sit, ex omnibus grauissime læditur. Nam cum stomachus, cuius uirtus & calor, ut diximus, assidua poculorum proluuie extinguitur, incoctos illos crassosq; uapores ad caput & cerebrum exhalat, uenæq; ac meatus ibidem replentur, atq; præcluduntur, necesse est magnam spirituum perturbationẽ, sensuumq; ac motus totius corporis labefactationem sequi: instrumenta enim sensuum sua potentia ac uigore destituuntur, spiritus quo omnia in corpore uegetantur ac uiuunt, obstructo per uenas transitu, non potest officio suo fungi, hinc pleraq; organa sensuum præmoritur. Neruos uero & ea membra quæ ex his constant, ac motui delegata sunt, ea, inquam, omnia fonte ipso ac principio neruorum cerebro læso & ipsa sua ui destitui ac debilitari necesse est. Hinc illa capitis crebra nutatio atq; grauedo, qua hoc genus hominum perpetuo laborat. Hinc manuum tremor, hinc omnium articulorum dissolutio, quam paralysin dicunt. Vix manus amplius leuandis, & ad os atq; ad illam poculorum charybdim admouendis calicibus sufficit. Videtis ne quàm tremulo & uacillanti motu cõbibonibus calicem porrigant, et quantum inter porrigendum uini effundant? O miseros homines, quibus iam etiam manus ad eam quam ipsi solam ac summam uoluptatem tentur esse, ministerium amplius denegant. Memini ego, Medicum quendam ad uirum equestris ordinis graui morbo decumbentem aliquando uocatũ, & ab ægroto atq; amicis de

origine ac cauſis morbi, ut fieri ſolet, interrogatum, re-
ſpondere, Fluxionem quandam è manu dextera in ca-
put defluentem, fontem illi & cauſam morborum eſſe.
Cum ille mirabundus, qui id fieri poſſet, quæreret, Medi
cus cantatũ qui prope in menſa adſtabat potu plenus,
protinus correptum ad os admouebat, oſtendens hanc
eſſe fluxionem tot morborũ cauſam. Facete ille quidem
nec minus uere: ſentiebat enim ualetudini nullã noce
tiorem eſſe peſtem, q̃ iſtas perpotationes. Sed non au-
diunt Medicum iſti nepotores, ne tum quidem, cum al
terum pedem in Charontis cymba habẽt. Multo enim
peius animo ualent q̃ corpore, id quod infra oſtende-
mus. Nam cerebrum, quæ rationis ac mentis ſedes eſt,
ita illis concuſſum & labefactatũ eſt, ut non modo men
te, ſed ne ſenſibus quidẽ integris uti poſſint. Deſtituun-
turq; non tantum illis uirtutibus, quibus homines à cete
ris animantibus ſeparantur, ſed ijs etiam, quæ cũ brutis
nobis cõmunia ſunt ſenſu ac motu. Galenus crapulam
à uibrando & quatiendo capite dictum affirmat, & ab
hac præcipua labe rei fœdiſſimę nomen inditum. Id ſa-
tis in iſtis heluonibus adparet, quibus uel cerebri nihil
eſt, uel ſi quid eſt, ita eſt quaſſatum atq; affectum, ut ſuo
amplius officio fungi nequeat. Declarat hoc ſenſuum,
quos exteriores uocant, extrema debilitas in ebrioſis,
quorum iam non eſt diminuta actio, ut Medici loquun
tur, ſed corrupta prorſus, imò uero perſæpe etiam abla-
ta. Non enim hi tantum, ſi qua ſunt aliquo interuallo
ſepoſita uident, aut agnoſcunt minus, ſed etiam ea quæ
quidem ſunt proxima. Surgit his menſa geminis lumi-
nibus, ut ait Iuuenalis, pro cantaro uno duos uident,
pro uno conuiua geminos ſalutant, deniq; iam omnia
condu-

conduplicata cernuntur eis, pro calice candelabrũ manibus prehendunt bibituri, foras ituri à ianua deerrantes, in fornacẽ incurſant. Atq; hęc adhuc ſunt initia morbi: nam ſi, ut plerũq; ſolent, ſic heluari pergũt, poſtremo luminibus prorſum & auribus capiũtur, cęteriſq; ſenſibus deſtituuntur, trahunturq; ſemimortua & ęuecta crapula miſera corpora, & ſunt reuera quod dicũtur, uiua cadauera, atq; terrę inutilia et execrãda onera, donec aliũ apoplexia, aliũ morbus comitialis horribiliter prius excarnificatum extinguat: Nam hic morbus eſt familiaris hominibus ebrioſis, atq; ipſa adeo ebrietas quid aliud eſt, ſi propius conſideres, q̃ ſpecies quædã morbi comitialis? Pręcludũtur enim crudis illis denſiſq; uaporibus, quos, ut dixi, ſtomachus & cętera mẽbra nutritioni deſtinata à nimio potu exhalant, uenæ, atq; meatus cerebri, ac per eos ſpiritui tranſitus negatur, unde ſentiendi & mouẽdi potentia cętera mẽbra deſtitui neceſſe eſt, id quod ebrijs perinde ut morbo comitiali laborantibus accidere uidemus, multiq; ſæpe ita ſunt ſubito pręfocati, tetroq; & horribili genere mortis extincti. Cui tu infenſiſſimo hoſti iſtos cruciatus atq; hęc tam ſęua ſupplicia poſſis optare? Sunt hęc quidẽ quę corpus patitur à crapula grauiſſima, ſed grauiora tamẽ quę parti pręſtãtiori, nempe animo accidũt. Non enim tantũ oculorũ, auriũ, manuũ, pedũ, ac cęterorũ membrorũ ſanitas uigorq; ebrietate corrũpitur, ſed multo grauius illę ἀνυπάρξεις ac uirtutes animi læduntur, atq; ea pars pręcipue in ebrioſis ſuo naturali motu uſuq; deſtituitur. Nam quę uis integra mẽtis in ijs eſſe poteſt, uel ad percipiendas retinendasq; ueras ac proprias rerum imagines, uel ad faciendum de illis ſanũ reẽtũq; iudiciũ, in quibus, ut breuiter dicã, omnis corporis animiq;

animiq; sanitas, non secus q; in phreneticis labefactata ac dissoluta est, sensus omnes uelut sede sua moti atque euersi sunt. Quem uos igitur ulla in re usum talium hominum esse, aut quid publicæ priuatæ ue rei ipsis mandandum putatis? Primũ ualetudo debilitata, ad omnia publica & priuata officia obeunda, ad res gerendas, atq; ad omnes contentiones sustinendas eos inutiles reddit. Deinde cum omnis animorum atq; ingenij uigor ista nocentissima heluandi ac perpotandi consuetudine ita sit eneruatus, ut ne sensus quidem communis amplius sint compotes, quid ab eis consilij in grauibus atq; impeditis negocijs petas? aut quid rei seriæ committas credas ue illis, quibus cerebrum perijt, cor uino sepultũ est? Prodeunt ad consultandũ membris & mente corrupti, uinolenti, halantes etiamnum pridianam crapulam, semisomnes, oculis natantibus, uinũ ac cereuisiam crudam incoctamq; adhuc redolentes: summa, quorũ neq; pes, nec mens officium suum facit. Hi deinde de grauissimis, nonnunquam etiam periculosissimis negocijs sententiã rogantur, quibus, Hercules, non plus mentis est quàm boui aut porco. Quid ergo respondẽt? Stulticiam celare, inquit Heraclitus, difficile est, in uino uero impossibile. Vocem ergo hi homines non in conuiuio tantũ, atq; inter illa immania pocula, sed alieno etiam sæpe loco, & in consilio publico emittunt per iugulum redituram, eructant suam ἐωλοκρασίαν, non enim tacere possunt, nec uideri uolunt minus alijs sapere. Afferũt ergo inter pocula combibones suos meditatam iam ante ac decantatam furiosam aliquam fabulam, eam statim pro folio Sybillæ ac Delphico oraculo cum ad plausu auditi, & cum assensu accipi, adorariq; postulant,

perieris,

perieris, si dissentias. O ter & amplius miseram ac perditam Rempub. quæ à talibus administratur consultoribus. O calamitosos & afflictos ciues, quibus hi leges dictant. Quid enim tam absonũ, absurdum, atq; ab omni sensu humano alienum cogitari potest, quod istę furiosæ bestiæ uel cum exitio publico non audeant? quas tragœdias nulla de causa illi non excitant? quibus moribus, bellis, atq; incendijs hi non miscent omnia atque perturbant? Reuera faces Rerumpub. nam horribilium sępe cladium nõ uno in loco tales homines Rebuspub. autores fuerunt. Ilias malorum manet eas ciuitates, quæ sunt sub rectore temulento. Recte enim Cato dixit, Vno excepto, neminem unquam ad euertendam Rempub. sobrium accessisse, uix enim ulla Respub. diu stetit, quæ ebriosorum consilio gesta est: uix ulla concidit, quam non ebrioſi euerterint: uix ulla non floruit, quæ à siccis ac sobrijs hominibus administraretur. Non igitur potuit Achilles apud Homerum atrocius conuitium ignauo ac uesano Regi dicere, q̃ ut temulentum eum uocaret, hoc uno probro quid quid erat grauissimorum flagitiorum complecti uisus. Nam in quibus hoc uitium radices egit, de illis nihil est quod tibi polliceatis aut spetes moderati boni ue: sunt homines omnibus partibus suis ac membris fracti, corruptiq;, omni genere turpitudinis & flagitiorum contaminati. Aquam è pumice petas, si consilium ab eis ulla in re aut prudentiam requiras. Quomodo enim animum incendere possunt ad aliquam seriam cogitationem, qui illa perpetua helluatione potuq; penitus sepulti sunt ac demersi? Nunc̃ illi aut rarissime expergiscuntur, sobrij certe nunquã sunt, etiam cum non sunt poti, tamen illi furiosi motus uino

concepti & excitati, adhuc in eis exęstuant. Plato in epi stola quadã ad Dionis propinquos, de sua in Siciliam peregrinatione ita scribit: Quò cum ueniſſem, inquit, uita illa beata, quę ferebatur, plena Italicarum Syracu sanarumq; mensarum, nullo modo mihi placuit, bis in die saturum fieri, nec unquam pernoctare solum, cæte raq; quæ comitantur huic uitæ, in qua sapiens nemo effi citur unquam, moderatus uero multo minus. Negat Plato gigni sapientiam in ijs locis, ubi homines bis in die saturi fiant: Quid si ad nos ueniret, ac uideret homi nes non per interualla bis aut sæpius in die saturos, sed perpetua quadam crapula uinoq; distentos, nunquam ieiunos, siccos ue, sobrios nunquã: tum uero longe ab his locis sapientiam pariter ac modestiam exulare dice ret: Nullus enim modestiæ, aut ulli uirtuti locus esse po test in ista pluſquam beluina uentris ingluuie ac uitæ fœ ditate. Induunt enim homines ex hoc uiuendi more fu riosos uastosq; mores, & tota natura efferantur, ea sen suum ac ingeniorum feritas deinde etiam in sobrijs ma net. Sicut enim cum cuipiam in sole uersanti caput cœ pit dolere, ubi iterum in umbram redijt, dolor tamen, quẽ calor fecit, manet, nec statim remittit: ita ubi homi nes illa barbarica heluandi cõsuetudine deuincti furere cœperũt, durat ille furor etiã cũ nõ sunt poti, & ijdem ra biosi ac turbulenti motus in animis manẽt, sentiuntq; ac debachãtur sobrij pariter ac poti, nec facile possis discer nere, quocũq; tẽpore in eos incidas, utrũ biberint necne.

Seneca grauiter acuere dixit, consuetudine insaniæ durata uitia uino concepta, etiam sine uino ualere. Et sanctus Paulus iubet nos uitare ebrietatem, propterea quod in ea insit asotia, id est, uita immanis ac beluina,

Dei pa-

Dei paritet atq; hominum, omnisq; honestatis contemptrix. Qualem hoc genus hominum lurcones & heluones degere uidemus, qui nihil pensi habent, nisi ut totos dies noctesq; perpotent, quibus mens ipsa & ratio omnesq; sensus scilicet heluando potandoq; obruti atq; obstupefacti, nunq; redeunt ad sese, nunq; cogitant aliquid seriũ aut dignũ homine, sed quod in tali uita fieri necesse est, sic ad omnis generis immanissima scelera proruunt sese, quasi nemini quidq; post se reliqui facere statuerint. Non iam dicã de turpitudine, quæ in ipsorũ conuiuijs etiã regnat, nõ de furiosis clamoribus eorum, quibus plateq; totas noctes personant: hæc adhuc initia sunt furoris, & quasi primę ad paroxysmũ accessiones. Innumera alia & grauiora nobis flagitia ex hac lerna erumpunt, atq; utinã talium hominum furor nonnunq; etiã Ecclesiam nõ conturbaret, & Reip. nõ esset exitio.

Cambysen Cyri filium tradunt ab hac furia agitatũ fuisse, quẽ cũ Prexaspes unus ex Principibus & paternis amicis amanter ac fideliter admoneret, q; Persis illa eius perpotandi consuetudo displiceret, inssit ipse Principes cõuocari, & interrogabat, utrũ aliquid in se, quod reprehenderẽt, haberẽt: illi metu mussabãt, nec erat inter eos qui hoc hulcus tãgere auderet, quin pleno ore laudabãt eũ, & patri etiam Cyro prę ferebãt pleriq;. Quibus laudibus inflatus Rex Prexaspen solũ accersi iubet, Atq; ut uidere possis, inquit, me etiã potũ, tamẽ mentis cõpotem esse, hodie ubi largius bibero, sistes mihi filiũ tuũ minorem natu in foribus cœnaculi, in eum cũ arcu sagittam emisero, nisi ipsum pueri cor uulnerauero, tum tu me ebriosum atq; insanum iudicato. Hæc ita ut dixit facta sunt, nam post horã cœnę, cũ largius iam inuitasset sese,

puerum adduci sistiq; iubet, & arcu accepto, sagittam in eum eiaculatur, collapsumq; ex uulnere secari, & ictum inspici iubet. Cũq; arundo in ipso corde pueri fixa osten deretur, cachinnans, Vides nunc, inquit patri, etiam ebrium me, tamen egregium esse iaculandi artificem. Prexaspes aduertens hominem reuera uesanum ac furiosum esse, continuit sese, dolorem dissimulans. Postri die uero eius diei & duodecim Principes Persarum, ob rem nihili ac nullius mométi causam, crudelissimo supplicio affecit, in caput uiuos defodiens, ac per eundem temulentiæ furorem alia multa etiam dictu infanda, & horribilia auditu designauit, donec Deus eum proprio gadio ictum uita expulit. Tales homines, imò uero tam immanes bestias nobis gignit ebrietas, quarum uitam & facta cum post tot annos legimus, horremus. Sic igitur statuatis, Adolescentes, crapula nullum horribilius, nullum terrius, aut nocentius malum, ita Deorum natum aut è furiarum sedibus excitum, in hunc mundũ ac lucem, ad multorum hominum exitium immissum esse. Hęc enim atrociore furoris genere, q̃ ullę erinnyes homines concitat: hæc domos uastas reddit & urbes: hæc rei priuatæ & publicæ communis clades ac ruina est: hæc infandis libidinibus humana atq; diuina iura polluit: hæc cędibus & sanguine horrendum in modũ miscet ac perturbat omnia. Exclamet hic aliquis:

Dij talem terris auertite pestem.

Sapientes quidé Principes, legumq; latores, in omnibus bene cõstitutis Rebuspub. singulari cura ac diligentia ebrietatem prohibuerunt, nec minus ciuitates cõtra luxum ac crapulam, q̃ contra ullum alium nocentissimum hostem, muniendas censuerunt: intelligebant enim

enim in ista barbarica & immani uita, nullam disciplinam publicam neq; priuatam posse conseruari.

Tulit Pittacus Mitylenæus legem, ut si quis per temulentiam, sceleris aliquid commisisset, duplo graviore pœna plecteretur, quod causa ipsa, quæ eum ad peccandum impulisset, gravius etiam peccatum esset. Alij alijs pœnis atq; ignominijs in ebriosos animadverterunt. Et si qua gens natura moderatior humaniorq; fuit, ea sua sponte fœditatem ebrietatis exosa, frugalitati ac sobrietati dedidit sese, nec legibus opus fuit prohibere, quod publica inter homines uerecundia sustuliisset.

Sed regnat hoc uitium inter barbaras ac feras illas gentes præcipue, & cernere est, quod ut quæq; natio maxime barbarica, & ab humano uitæ cultu aliena est, ita ad heluandum ac perpotandum profusissima est, quasiq; fœdere quodam inter se iunctę sunt barbaries & crapula, pulchra, me herde, societas, & dignum habet patella operculum.

Fera etiam quædam in illis Septentrionalibus ac Sarmaticis oris inueniri dicitur, immani uoracitate: Quæ cum in aliquam prædam incidit, eo usq; cibo immodice ingesto distendit uentrem, ut parũ absit, quin crepet. Deinde inter angusto spacio distantes arbores transiens uiolenta ibidem compressione crudum illum cibum itetum per anum exprimit, itaq; sese exonerat, quod nisi faceret, periculum uitæ erat. Est hæc omnino fœdissima uentris ingluuies huius bestiæ. Sed ea haud dubie imago quædam est intemperantiæ ac morum earum gentium, de quarum immanibus conuiuijs horribilia, sed tamen à uero non abhorrentia narrantur: Raro transigi sympoſium sine multis cædibus: Si quis propinatum

dolium hautire ceſſet, illi à proximo quoq; compotore protinus necem imminere: Si quem interfecerint, non propterea conuiuium diſſoluitur, ſed prouoluto in medium trunco corporis, & impoſitis aliquot nummis, (is apud eos mos eſt) heluari pergunt. Malos etiam genios inter eos, cum agitant conuiuia, propalam obambulantes conſpici dicunt, maiore & humani corporis imagine, quos illi nihil exhorrentes, pro ſocijs ac conuiuis ſalutare ſolent, & cœptum conuiuium per multos ex ordine dies noctesq; uno tenore continuare. Hæc ſi quis apud ſanos & ſobrios homines, & iſtarum heluationum ignaros referat, fabulam ad aliorum terrorem confictam narrare uideatur: non enim facile credi poteſt, tantam feritatem & immanitatem cadere in humanam naturam. Sed qui uiderunt, ac talibus conuiuijs ſæpius interfuerunt ipſi, hi & hæc uera eſſe, & his horribiliora etiam fieri affirmant.

Redeo igitur eò, unde digreſſa eſt oratio, nempe iſtã fœdam, immanem, atq; homine indignam uentris proluuiem, apud barbaras illas gentes, & quas utrum inter homines an beluas numeres, dubitare poſſis, præcipue conſpici, homines moderatos, & ad aliquam humanã diſciplinam adſuefactos ſemper natura exhorruiſſe, ac deteſtatos eſſe.

Tanto magis igitur & nos, Adoleſcentes, qui cũ Muſis, hoc eſt, cum humanitate cõmertium habemus, eam odiſſe, & ut nocentiſſimam peſtem fugere, iſtorumq; heluonum conſuetudinem tanquã peſtiferi morbi contagium deuitare debemus. Et quoties nobis talis quiſpiam occurrit, hoc elogium illi in fronte ſcriptum putemus, quod de Tantalo eſt in Tragœdia:

Nolite

Nolite hospites ad me ire illico istic,
Ne contagio mea bonis umbra´ue obsit,
Tanta uis sceleris in corpore & animo hæret meo.

Reuera enim nullius morbi contagium nocentius est, quàm talium hominum consuetudo.

Proponamus nobis uerbum Dei, quod multis in locis nos ab ebrietate reuocat ad ieiunium, ad sobrietatem inuitat. Nota est sententia: Ne corda uestra grauentur crapula. Et sanctus Paulus populum Israheliticum à crapula ad idolatriam prolapsum affirmat. Atq; Christus ipse ait: Hoc genus dæmoniorum non ejcitur, nisi ieiunio & oratione. Ex quo perspicue adparet, istis commessationibus ac heluationibus Satanam accersi & interesse, sociumq; ac conuiuam esse istorum lurconum. Testatur hoc etiam euentus talium symposiorum, quæ raro sine cæde alijsq; immanibus & horrendis flagitijs transiguntur. Vbicunq; igitur tale aliquod conuiuium adparari uidetis, Adolescentes, ne putetis Angelos illic mensæ administros & custodes esse: Hi tantum sobriorum cœnis intersunt, eorum curam gerunt, cum isto grege heluonum commertij nihil habent, sed Satanas illis ministrat, Satanas pocula miscet, unaq; cum uino ac cæreuisia sulphur atque picem phlegethontis propinat, quibus potis, statim furere incipiunt. Nonne uidetis, q̃ uelut lymphati bacchentur, & tanquam rabiosi canes, inter se ipsos, & cum alijs, cruento ferro concurrant.

Hoc est quod & Alexander Macedo sibi accidere sensit, & questus etiam est, nempe quod cũ bibisset, in eam rabiem accenderetur, ut inter pocula intimos & charissimos amicos contrucidaret, & Bacchum eum furorem sibi obijcere credidit, ulciscentẽ Thebanę urbis excidium.

Satanas

Sataras fuit iſte Bacchus, qui aſſiduus talium conuiuio rum aſſecla ſolet eſſe. Huic gaudio eſt, homines per uinolentiam in furorem actos, ſic inter ſe cędibus & omni genere immanitatis committere. Hoc illi ſpectaculum iucundiſſimum eſt, is ita affectos eos & ſui impotes, deinde ſuo arbitrio quò uult ducit ac impellit, donec alij de feneſtra aut per gradus prolapſo ceruicem frangit, alium trucidandum obijcit ſodali, aut ad cædem faciendam impellit, alij ſubitanea morte, aut alio quopiam triſti & inaudito caſu animam aufert. Omnes horrendo genere leti abſumit, & ad inferos abripit. Hic exitus, nec alius finis eſt iſtarum heluationum. Qui ſic perijſſe uolet, ille ſanè eis ſe adiungat: nam melius de ſe non eſt quod ſperet: nullus enim eorum honeſto aut naturali genere mortis occumbit, nullus naturæ repoſcenti animam reddit, ſed ante diem ſua ſua ipſi manu crudeliter perimuntur, ſanitatem corporis & mentis expugnant poculis, & cadunt ante tempus à natura prędinitum turpiſſimo & horribili genere mortis, qui poterant multos adhuc annos uiuere, & ſibi, ſuiſq;, ac Reipub. prodeſſe. O execrabilem uitam quam exigunt: O mortem multo execrabiliorem.

Miretur aliquis quam illi reuera miſeri & miſerabiles homines, atq; in neminem magis quàm in ſeipſos crudeles, tandem uoluptatem ex iſta dira & immani heluatione capiant: Nam guſtus certe, qui ſenſus ſolus cibo et potu afficitur, illis iam olim perijt, is enim coctione ſublata, nullus eſſe poteſt. Fames uero ac ſitis, quæ optimũ condimentũ ſunt, & longiſſime abſunt ab eis: Eſuriunt nunquam, ſitiunt multo minus, ingurgitant tamen adhuc, urgentq; ac torquent ſeipſos, regurgitantem per os

ac fauces

ac fauces potum infundentes, donec ad plenum istam cloacam poculis expleant. Nulla certe hæc delectatio potest esse, sed est, quod quiuis sana mente præditus intelligit, manifestus ac diabolicus furor.

Diuus Ambrosius ocium dicit esse puluinar Satanæ, At ebrietas nō modo puluinar, sed molle ac delicatum cubile est Satanæ, nusquam ille cubat ac requiescit libentius. Qui igitur hunc conuiuam & conuictorem, cohabitatoremq́, atq́ etiam condormitorem habere cupit, ille tantum hanc ei sedem præparet, credite mihi, non diu aberit, uita ac factis condignam mercedem etiam redditurus.

Defessus iam propè sum dicendo de re fœdissima, & uos haud dubie multo etiam magis audiendo defessi estis, finem igitur faciam. Ac si apud uos suscipere personam monitoris meam hanc ætatem non putarem dedecere, uos adhortarer Adolescentes, ut ebrietatem tanquam omnium flagitiorum malorumq́ fomitem ac fontem, uitaretis, sobriam uero uitam, ut uirtutum omnium, honestatis ac sanitatis magistrā, parentemq́, amplectaremini. Scio ego quàm infame, & iam propè etiam probrosum sit apud istos lurcones dici sobrium & siccum. Sed uos audite uocem naturæ optimę parentis, quam isti degeneres filij adspernantur, ea uos adsobrietatem uocat, uocat eódem & uerbum Dei, inuitant omnium bonorum ac sanorum hominum fidelia atq́ grauissima monita & præcepta. Si ergo uobis cordi est ualetudo uestra & salus, quam nemo sanæ mentis compos unquam proijciendam censuit, si studia uestra, quæ sanè debent esse cariſſima, si uirtus & honestas, si denique pietas, ac salus animarum uestrarum, cogitabitis his

omnibus nihil esse infestius ebrietate. Si uero aliquem hæc tot tam sanctissima nomina nihil mouent, is ad eorum gregem pertinet, de quibus à me iam dictum est: nec mea oratione mitior fiet: Grauius enim hoc morbi genus est, q̃ ut multis anticyris exhaustis sanari possit. Christus mentes nostras pro sua infinita bonitate gubernet, & ab hac execrabili atque impia heluandi consuetudine, ad sobrietatem, ad pœnitentiam ac pietatem flectat atque traducat.

Dixi.

ENCOMIVM FORMICARVM, scriptum ab Erasmo Ebnero.

NEmo in hoc cœtu dixit unquã, quantum equidem iudicare possum, cui perinde beneuolentia uestra, atq; mihi opus esset, nõ modo quia hæc ætas mea singulari fauore confirmanda, & adiuuanda est, sed etiam quia argumentum adfero, quod etiam si nouitate placere possit, tamen ita est exile, ut nullam magnopere admirationem mereatur. Alij res gestas clarissimorum Imperatorum recitarunt, & tum honeste facta summorũ hominum, dicendo ornauerunt, tum aut populorum, aut tyrannorum turpiter facta grauissime uituperauerunt. Ego quoniam deerat eloquentia par tantis causis, infirmitate

mitate uitium humilius argumentum quærere coactus sum. Qua de re dum aliquot dies delibero, dumq; reputo quas res exiguas laudauerint ueteres scriptores, à Luciano uideo muscam, à Vergilio apes mirifice ornatas esse. Cum igitur mihi honestum esse putarem, ueterum exempla sequi, formicas sumpsi laudandas. Neque nullum operæprecium esse iudico in tanta naturæ uarietate hæc minuta animantia contemplari. Etenim non modo Ethnici scriptores dignã hanc materiam in qua elaborarẽt, putauerunt, sed etiam Principes Christianæ doctrinæ, mentione paruarum in natura rerum delectari uidentur. Christus iubet nos passeres intueri, Solomon præcipit non modo contemplari formicas, sed etiam nos ad eas tanquã in ludum discendi causa mittit. Quid commemorem q̃ multa animantia Basilius diligentissime descripserit, & Basilium secutus Ambrosius, eandem animantium historiam in enarratione operum sex dierum penè ad uerbum recenset, docetq; in illis proposita nobis esse à Deo & tanquam picta plurimarum uirtutũ simulachra, quę nos officij nostri admonerent. Turpissimum est enim homini tam longe à sua natura degenerare, ut à bestijs etiam uirtute superetur. Non igitur inutile uidebatur ingenia, moresq; & totam quasi πολιτείαν formicarum describere, quod inde plurima pulcherrimarum uirtutum exempla, & uere, quod aiunt Græci, μυρμήκια ἀγαθῶν capere liceat. Videte autem quantum mea me fefellerit opinio. Quod enim argumenti genus arbitrabar propter tenuitatem sine magno negocio exponi & perpoliri posse, id in experiundo cognoui longe secus esse. Comperi enim nõ mediocris artificis esse, honore uerborum res exiles ornare ac illustrare. Quan-

quam igitur sentiebam me susceptо oneri imparem fo re, tamen quoniam non ad ingenij famam, sed exercen di stili causa susceperam, desistere nolui, sed peregi fabu lam quam inceperam. Quæso igitur uos, ut pro huma nitate uestra me benigne audiatis: quod si nulla alia res, tamen scholæ consuetudo à uobis impetrare debet, & si suam laudem honestus conatus meretur, non indigni fauore iudicandi sumus honestissimo argumento susce pto, etiam si rei, quam instituimus, difficultate uicti su mus. Sed ut Philosophi in descriptione animantium, primum de cuiusq; procreatione disputant, ita & nobis formicarum ortus, inde usq; ab ouo, ut aiunt, repeten dus erit. Verum historia formicarum longior Iliade fu tura sit, si omnia commemorare uelim: sed hoc ad ea rum laudé magnopere pertinere existimauimus, quod cum tam multa diuinitatis uestigia in eis extant, intelli gi possit, eas non sine certo Dei consilio natas esse, mul toq; uerius quàm Poeticos heroas genus à Ioue summo ducere, ut Poeta inquit. Quomodo enim in hac terrena natura futuri præscientia sine diuina ui existere potest? Non hanc tantam haberet hic uermiculus industriam, longe alienam à brutorum captu, nulla gregalium noti cia, nulla mutua collocutio inter eas esset, nulla nossent temporũ discrimina, nisi mentem Deus indidisset tan tarum rerum, tamq; uariarum capacem. Etenim sapere, meminisse præterita, consequentia cernere, futura præ uidere, ne homines quidem, nisi diuinitus commoti, excitatiq;, possunt. Quis enim, quamuis ingeniosus, si ne Dei ope, uarios motus stellarum, magnitudinesq;, molem terræ, & alia multa deprehendisset? Multo mi nus igitur bestiæ ratiocinari, & futura uidere, & animad

uertere

uertere præsentia, nisi Dei beneficio possunt. Neq; enim hæc aliunde quàm à Deo in terrenam naturam propagantur. Habent igitur formicæ non dubium generis sui autorem Deum, cuius rei id quoq; signum esse intelligi potest: Nam cum sacræ literæ mittant nos ad formicas, tanquam ad magistros, profecto significant hoc consilio à Deo fabrefactas, & his ingenij dotibus instructas esse, ut docere nos utilia possent. Vt enim nullus paterfamiliàs, si sapiat, filium docendum tradit ei, cuius non probat eruditionem, ita credibile est, nec diuinum spiritum nos ad eiusmodi magistros mittere, qui non doceant cœlestia. Necesse est igitur eas artes, quas nobis istæ discendas proponunt, diuinitus in sensibus ac natura formicarum scriptas atque sculptas esse, uereq; esse in eis, ut Poeta ait, partem aliquam diuinæ mentis, & haustus æthereos.

Dixi hactenus de formicarum ortu ac nobilitate, quæ nō paruam commendationem habet: Adfert enim nobilitas non modo in hominibus, sed etiam in pecudibus quædam uirtutis semina, quæ à parentum natura in posteros propagantur. Nunc de ingenijs ac moribus, deq; omni uitæ consuetudine illarū dicendum est. Atq; hæc pars orationis, quid aliud habet, quàm honestissimam quandam formam recte uiuendi? Nemo Philosophorū non tradidit bene uiuendi præcepta. Sed huius insecti historia, quid sit rectum, quid turpe, quid utile, quid non, quid deceat, melius Chrysippo & Crantore dicit. Quis non hæc singularis prudentiæ diligentiæq; indefessæ opera esse dicat? Colligendi uictus tempora intelligunt, proinde aceruum frumenti in messe comportant, condunt, cōparcuntq; in hyemem, præuident

enim hyeme in uacuis agris frustra se pabulum quæsitu-
tas esse. Onera morsu gerunt, longe maiora, q̃ pro cor-
poris portione ferre posse credibile sit. Quædam gran-
diora protrudunt, tota corporis mole obnixæ, semina
priusquam condant, arrodunt, ne rursus exeant in fru-
ges è terra, madefacta imbre proferunt atq; siccant. Nec
noctu, plena luna, uacuæ sunt. Vsq; adeo turpe ducunt
feriari, ut nullum sibi tempus idoneum labori perire si-
nant. Interlunio cessant ab opere, siquæ in itinere feren
dis granis grauatæ sunt, gregales norunt, & quoniam
sæpe tanquam ex diuersis ciuitatibus in eadem uia con-
ueniunt, in unum aliquem locũ omnes uniuersum com
meatum comportant, ibiq; sua signa recognoscunt, ibi
uelut exercitum recensentes, agmina separant, & suum
cuiq; auehendum tradunt. Obuiæ inter se quasi collo-
quuntur, ac percontantur, donec agnoscãt singulæ suos
ciues. Nulla tam sapienter constituta ciuitas fuit unq̃,
quæ ad hanc formicarum politiam conferri possit. Nam
cum nullum urbibus uenenum nocentius sit, q̃ ocium,
uidetis hanc pestem procul ab hoc animalculo abesse.
Nunquam ardentissimi æstus à labore absterrent, non
noctu uacuę sunt, quod tempus alijs animalibus natura
ad quietem dedit. Non magnitudine itinerum aut aspe
ritate uiarum defatigari se patiuntur. Sed sępe ex longin
quo frumentum conuehendum est. Sæpe per confrago
sa saxa magna ui grana in aduersos montes protruden-
da sunt. Ita omnes difficultates, nõ uitium magnitudo,
non corporis moles, sed animi robur, & industria supe-
rat, ut adpareat hic etiam uerum esse id, quod est apud
Historicum quendam, Nihil tam altum à natura consti
tutum esse, quo non possit uirtus eniti. Non dubium est

autem,

autem, quum ut omnia ex ocio uitia nascuntur, ita labor pleraſq; pulcherrimas uirtutes gignat. Proinde nec cæteræ uirtutes desunt huic generi. Quis enim non uidet singularem iusticiæ intellectum in eis esse? quia certos dies cõstituunt recognoscendis oneribus, ut cuiq; agmini suum tenere sine iniuria liceat. Facile est enim ab alieno abstinere his, quibus in sua uirtute industriaq; spes posita est, sed illi qui cũ per luxum atq; libidines sua effudetunt, postea rationem ineunt, quomodo de alieno heluentur. Hinc in ciuitatibus nouæ tabulæ flagitatæ, bella ciuilia, & innumerabilia alia mala, quæ ciuium discordia parit, nata sunt. Quid autem de parsimonia formicarum dicam, quæ in hoc genere maxime cernitur? Non enim tantũ in præsens sibi consulunt, sed comparcunt, & prospiciunt sibi in futurum: quæ uirtus cum per seſe magna sit, & admirabilis, tamen hoc etiam gratior esse debet omnibus, quod iusticiæ uelati custos est. Neq; enim tolerare infinitos illos sumptus sine alieno decoctores possunt, sed longe dignissima bono ciue uirtus est, in commune quærere, & communia bona summa diligentia augere. Quæ res enim alia omnibus ciuitatibus exitio est, q̃ quod priuata bona, publicis utilitatibus pleriq; omnes anteferunt? Atqui ita sentire nos oportuit, quoniam patriæ salute, nostra salus continetur, & quoniam ipsi à patria in qua nati, educati, ad humanitatem & religionem instituti sumus, cuius legibus uitam nostram ac fortunæ defendimus, tam multa beneficia accepimus, æquum esse, ut nos etiam illius utilitates pro uirili iuuemus, imò quidquid aramus, quidquid serimus, quidquid metimus, ad patriæ utilitatem referendum esse existimemus: Deniq; illius salutem, ac

tranquil-

tranquillitatem antiquiorem dignitate, ac salute nostra, ducamus. Hanc uirtutem licet in formicis cernere ad communem usum, ad siduas operas conferentibus. Videtis & multarum uirtutum exempla nobis formicæ proponant, ad quam imaginem si maximam hominũ partem contuleris, quotus quisq; erit his uirtutibus præditus? Bona pars uoluptatibus atq; ocio dediti, nulla de re in omni uita sunt soliciti, & de conuiuio adparando, aut alijs similibus uoluptatibus comparandis. Seneca scribit, Pacuuium quendam prætorem in Syria fuisse, qui quotidie splendide conuiuatus, cum se copioso uino de die ingurgitasset, solitus sit uesperi funus sibi adparare, accersere tybicines, qui funebres modos canerent, & hoc genus alia curare ad funeris speciem repræsentandam. A cœna cum iam sustinere se ebrius non posset, iubebat se lectulo impositum, tanquam funus inferri in cubiculum, & cantari funebres modos: Βεβίωται Βεβίωται. iudicabat enim eum demum diem præclare se uixisse, quo ita esset conuiuatus: nec ducebat esse uitam adpellandam, cum nõ liceret eiusmodi uoluptatibus perfrui. Quis non statuat plus esse mentis formicæ, & huic Pacuuio, qui uitam homini hanc unam ad rem, ad pecudũ uoluptates perfruendas, datam esse credidit? Et quamuis exemplũ Pacuuij in funere faciendo non multi imitentur, dogma tamen hoc præclarum maxima pars hominum profitetur, qui nihil in omni uita dignum homine suscipiunt ac gerunt, sed in ocio, & inter pocula tremulenti ætatem exigunt. Sed quoniam sanorum hominum iudicio, uentres isti non homines, sed uerius monstra hominum sunt, desino formicas cum his conferre, quos non modo formicarum exemplа, sed ne quidem publicæ

publicæ leges ad sanitatem reuocare possunt. Nulla autem inter omnes laudes formicarum amplior esse mihi uidetur, q̃ ea quæ apud Solomonẽ est: Is enim inquit, formicas non modo stultos, sed sapientes anteire prudentia. Neque ego, nisi tam grauem autorem haberem, auderem hoc paradoxum inter doctissimos homines dicere. Sed quia formicarum laudes colligere instituí, non fuit hæc prætereunda, præsertim cum esset amplissima. Quid audio? omnibus Philosophorum scholis, omnibus Rerumpub. gubernatoribus, deniq̃ omnibus sapientibus uiris, formicæ præferuntur. Hoc planè est iuxta prouerbium, Formica camelus. Et cũ non possim hoc loco omnes causas, cur ita scripserit Solomon, recitare, sunt enim multæ, quas ex ipsius Christianæ doctrinæ fontibus longe repetere oporteret, tamen unam hanc commemorandam esse duxi. Tanta desidia est humani animi, ita penitus hæret in nostris medullis uoluptatum atq̃ ociĳ amor, ut nulla tanta sapientia sit, quæ non uoluptatum illecebris uinci & expugnari possit, ut industriam laboremq̃ remittat. Quod cum etiam Poetæ animaduertissent, finxerunt Herculem tot domitorem monstrorum, Omphales amore captum, muliebri ueste, in gynecio tenentem colum. Atq̃ hoc illi de summo uiro fingebant, ut significarent nullam tantam esse uim animi, quæ non frangi ac debilitari blanditĳs uoluptatis posset. Compara uero mihi formicas ad hunc Herculem, aut si mauis ad Alexandrum, harum industriam sedulitatemq̃ nulla res unquam retardat. Illi scilicet heroes summa sapientia ac fortitudine præditi, q̃ immutati sunt, alter amore mulierculæ, alter etiam magis beluinis uoluptatibus. Huc igitur sacræ literæ sapientes etiam

uiros accersunt, & in hanc academiam uocant ut discãt, non modo similem in laboribus constantiam præstandam esse, sed etiam ut uideant quanta sit infirmitas humanorum animorũ, qui tam facile defatigari se patiantur, ut formicæ etiã robore animi summis uiris præstent. Et has ideo intueri iubet, ut cum uiderint tantam uim uilissimæ bestiolæ diuinitus datam esse, petant & ipsi, expectentq; à Deo similem constantiam industriamq;. Sed de hoc toto loco alij rectius dicent. Vos aũt optimi Commilitones, quoniam ita iubent sacræ literæ, intuemini formicas, & cũ aliarũ uirtutũ exempla ab eis petite, tum in primis earum sedulitatem exprimere contendite. Etenim si uel nulla proposita essent nobis laboris nostri præmia, tamen quoniam Deus præcipit ut laboremus, parere illius uoci debebamus. Nunc autem cum etiam tanta præmia proposita sint, quæ est amentia, tantarum rerum magnitudine non excitari aut acui ad laborem? Nil sine magno uita labore dedit mortalibus, inquit Poeta. Proinde nolite putare, sine magna animi contentione ulla uitæ præsidia comparare uos aut retinere posse. Qua de re cum omnes omnium doctorum uirorum libri pleni sint, & referti hoc genere exhortationum, ego uobis, quoniam propter ætatẽ, uel ad monendos uos, uel ad cohortandos parum autoritatis habeo, recitabo uobis grauissimum locum, qui extat in Xenophõte, quemq; se Xenophon ex Prodici libro transcripsisse fatetur. Sunt autem contrariæ orationes uirtutis & uoluptatis ad Herculem deliberantem, utram uitæ uiam ingrediatur, uoluptatis ne an uirtutis studia sequatur, sic enim ait: Cum Hercules ex pueritia egressus, iamq; propè puberratem esset, qua ætate sui compotes

facti

factiadoleſcentes,ſignificant utrã uiam,uirtutis,an ignauię ingredi uelint,exijt in ſolum locum ſeditq; tacitus ſecum deliberans,utram uiam iniret. Hic adparuerunt ei duę mulierculę maiores humana ſpecie, quarum altera cultu modeſto et liberali erat,nullo peregrino cultu aut fuco ornata, ſed genuina bonitas formę adparebat, in corpore mũdicies,in oculis pudor, in inceſſu modeſtia, ueſtem prętetea candidam gerens. Altera habitior,& fucata,nam & rubor,& candor maior erat natiuo. Et incedebat ſupina,oculos late pandens,ueſte induta,quę formam maxime cõmendabat,contemplans interim ſe,et circumſpectans,an alij ſe uiderent,nonnunq; etiam umbram ſuam reſpiciens. Poſtq; autẽ propius uentum eſt, illa prior modeſte pergebat.Hęc autem ut anteuerteret, accurrit ad Herculem,ac inquit: Video te Hercules deliberare uttã uiam ad uitam agendam ingrediaris. Quod ſi me tibi adiunxeris, ducam te iucũdiſſima & facillima uia.Nulla res iucunda eſt,qua nõ potieris,& moleſtiam nullam perpetieris. Neq; enim aut bella, aut alia grauia negocia curabis,ſed hoc unum cogitabis ac quæres,ubi aut cibum aut potum ſuauiorem inuenias, aut quod delectet oculos,aut unde olfaciendo aut tangendo aliquã uoluptatem percipias,aut ubi amoribus perfruatis, aut quomodo molliſſime cubes, & quomodo hæc omnia ſine aliquo labore cõſequaris. Et ſi quis inciderit metus egeſtatis,nõ eſt quod timeas me tibi aliquid laboris impoſituram eſſe,efficiam enim, ut fruaris his, quæ alieno labore parta ſunt in promptu. Nec ulla re abſtinebis uin de modo ſperes te aliquã uoluptatem poſſe lucrifacere: Ego enim meis ſodalibus poteſtatẽ facio ex omnibus rebus uoluptates decerpere. Hęc Hercules audiẽs,inquit:

Mulier, quod est tibi nomen? Tum illa: Mei sodales uocant me Fœlicitatem. Qui me aspernantur, uocant me Ignauiam. Interea accessit & altera mulier, dixitq; Venio & ego ad te adolescens: Noui autē tum generosos parentes tuos, et indolem educationemq; tuā. Hęc mihi spem faciunt, fore, ut si me secutus fueris, magnas & honestas res geras, & me multo clariorem apud homines efficias. Nec longa te præfatione, quę ad uoluptatē fingi solet, morabor, sed simpliciter id quod res est, uereq; narrabo, quod Dij constituerunt. Nulla uera bona, sine labore curaq; mortalibus Dij dederunt. Sed siue Deos tibi uis esse propicios, placandi sunt: siue ab alijs diligi uis, beneficijs adiungendi sunt: siue honore adfici à ciuibus cupis, bene mereri de patria cupis, bene mereri te de patria oportet: siue uis in admiratione esse apud omnes Gręcos, benefactis id te cōsequi oportet: siue uis ut terra pariat tibi fruges, colenda est: siue ex pecudibus diteſcere uis, pascendę sunt: Siue bello opes tuas augere uoles, ut socios in libertatem adseras, & inimicos in seruitutē redigas, belli artes discendæ sunt ab his qui eas norunt, & exercendę, ut quomodo eis utendum sit, scias: Si robur corporis uis confirmare, consuefaciendum est, ut rationi obediat, & exercendum magno labore ac sudore. Quod cum dixisset Virtus, interpellat eam Ignauia, inquiens: Vides Hercules, quam asperam & longā uiam ad fœlicitatē hæc tibi mulier ostendat, quo ego tibi compendiariā & planā uiam monstraui. Tum uirtus: O misera, dic nunquid habeas boni, & nunquid suaue unq̄ cognoueris, quæ nullum laborem uis illorū consequendorum causa suscipere. Et ne quidem expectas naturale desiderium suauium rerū, sed anteqū natura experat eas, imples

imples atq; obtuis te, edis priusq; esuris, bibis anteq; sitis, condimenta uaria ad irritandā famē excogitas, uina preciosa, ut inuites sitim, cōparas, in ęstate niuem quęris. Et ut suauiter dormias, non modo mollia strata, sed etiā lectos facis, somnū enim accersis, nō ut per laboris interualla quiescas, sed inopia negocij sine pudore ac legum metu amori operam das, nocte abuteris, & optimā diei partem somno perdis. Et cum Deam te esse glorieris, ex Deorū numero eiecta es, aspernantur te & honesti homines. Neq; unq; suauissimū carmen, tuas laudes audiuisti. Et pulcherrimū spectaculum nunq; uidisti: Nullū enim unq; recte factum tuū spectasti. Quis tibi improba credet? quis egenti dabit aliquid? Quis sanæ mentis in tuo choro esse uelit? ubi iuuenes imbecilli corpore sunt, senes fatui, qui cum adolescentiam in ocio perdiderint, senectutem miseram & calamitosam agunt. Tunc & puder anteactę uitę, & piget primū quęrere necessaria ætati subsidia. Suauia in adolescentia ante tempus præcerpserunt, laborem & ærumnas in eam ætatem distulerunt. Ego uero apud Deos uersor, & apud honestos homines. Nullum honestum facinus neq; Dij neq; homines sine me faciunt, ideoq; me & Dij & homines honore adficiunt. Grata sum opitulatrix artificū, fida custos familiæ dominorum, beneuola adiutrix seruorum, iucunda comes laborū in pace, firma periculorū in bello auxiliatrix, optima amicitiæ socia. Et mei amici suaues uoluptates sine fastidio percipiūt ex cibo & potu, expectāt enim illorum naturale desiderium. Somnus etiam suauior eis est q; ociosis, quem etiam cum opus est, sine molestia abrumpunt, nec propter hunc necessaria intermittunt. Et iuuenes senū laudibus gaudent, & senes delectantur

iuuenum honoribus, et incredibili uoluptate rerum à se gestarum meminerunt. Et sine difficultate præsentes labores conficiunt, per me Dijs chari, amicis, chari patriæ. Et cũ ex hac uita discedendum est, non obscuri aut ignoti iacent, sed laudes eorum perpetuo à posteris prędicantur. Hæc tibi ò fili bonorum parentum Hercules contingent, & uerã fœlicitatẽ stabilemq; ita cõsequeris, si laborem non defugies. Sic uirtus apud Xenophontem concionatur, & ad labores suscipiendos, non tantũ Herculem, sed omnes adolescentes, ueriſſima grauissimaq; uoce hortatur. Qua oportuit aures uestras undiq; circumsonare, & inertes animos tanquã classico excitari. Atq; hanc ipsam uirtutis orationẽ diuinitus in formicis scriptam putate, quas quoties uidebitis, ueniat in mentem hanc uobis imaginẽ, quę uos ad laborem inciteț in terris à Deo propositam esse. Et sicut Comœdiæ exhibentur, ut in illis exemplis discamus, quid in uita deceat, Ita Deus in hac rerũ natura uaria spectacula fecit, quæ nos officij nostri commonefacerent. Proinde cum formicę conuehentes grana, condentesq; in cõmune spectabitis, existimate hanc tanq; Dei uocem esse, quę iubet ocium, nocentissimã pestem fugere, & suscipere honestos labores, quibus et nobis ea quę in omni uita necessaria sunt, comparemus, & societatem cõmunem hominum iuuemus. Quod si facietis, fauebit uestris illis laboribus Deus, & oẽm uitę cursum fortunabit. Cõtrà eos qui capti amore ocij uoluptatumq;, nõ uolent formicã audire, atq; imitari, ad quã à Deo tanq; ad magistros missi sunt, hi sciãt se grauissimas pœnas contemptę magistrę, imò contempti cœlestis mandati daturos esse, odit enim ociũ Deus, ideoq; nõ unũ calamitatis genus ex ocio nascitur. Dixi.

Encomium

NOn dubito, quin plerique mirentur, quid mihi in mentem uenerit, cur Sueuos potissimum, procul ab illorum finibus natus, laudare instituerim: Quibus tametsi hoc respondere poteram, nos in declamationibus non anxie, aut superstitiose argumenta eligere solere, sed ferè casu oblatis uti. Nonnulli etiam paradoxas materias, ut in re difficili experiantur ingenij uires, sumunt. Tamen ego certo quodam cõsilio hoc argumentum suscepi tractandum. Etenim cum prauo quodam studio homines, & philautia, nostros nimiũ amemus, exteros contemnamus, cogitabam me honeste facturũ esse, si gentis, quæ hinc procul abest, laudes colligerem, & cõmonefacerem uos, alienam uirtutem non esse honore ac prædicatione fraudandam. Nonnulli sunt ingenioſi in alienis uitijs insectandis: quidam etiam existimationem aliorum, grauitatis famam aucupantur. Ego liberalis ingenij esse duco, magis, cõmemoratione uirtutum alienarum delectari. Quanquam enim sua cuique genti uitia esse uideamus, tamen nullam nationem, præsertim in Germania, existimo tã esse perditis moribus, ut non multa pulcherrimarum uirtutum exempla ibi reperire possis. Porro ut in priuatis amicitijs ad mutuam beneuolentiam alendam multum facit, si uirtutes amici noris & admireris, ad uitia conniueas: ita inter uicinas gentes rectius conueniret, si singulę aliarũ uirtutes nosse potius studerent, quàm uitia. Hoc ego consilio ad hanc

causam

causam accessi, ex qua sanè nõ tam eloquentiæ laudem, de qua in hac ingenij infirmitate, & quadam mearum rerum difficultate, iam olim desperaui, quàm officij & humanitatis auferre cupio. Proinde, quantum nostræ uires sinent, hanc nationem sine aliarum contumelia ornabimus. Neq; enim aut Sueui tam sunt inopes domesticarum laudum, ut non nisi ex aliorum contumelia colligenda sint præconia, aut alię nationes contemni ac probro affici merentur. Nullis Germaniæ populis Franci cedere debent, qui suæ uirtutis uestigia impresserunt in mediam Galliam, & maximis gestis rebus, & quidem ex utilitate publica nomen Galliæ nouum indiderunt. Nostris uero temporibus doctissimos ea regio homines genuit, in quibus uel obscuram alioqui unus Ioannes à Regio Monte nobilitare posset, uir Græce Latineq; non leuiter doctus, & uniuersæ Philosophię ita peritus, ut unus restituerit disciplinas, quæ sic uocantur, collapsas, & ab interitu uindicarit. Austriæ quantũ debemus, quæ cum alios Principes summa uirtute, tum Maximilianum ædidit, nemini optimorum Imperatorum postponendum, qui iuxta domi ac foris continentia singulari fuit, iusticia incredibili, magnitudine animi diuina. Quid Frisia, quia Agricolam genuit, quantum laudis meretur? Batauos suos Erasmus quàm claros fecit? Sed quid ego aliarum nationum laudes recenseo, cum de Sueuis oratio instituta sit? Verum hęc ideo præfatus sum, ut intelligeretis me, cum nihil in hac causa de ampliſſimis ornamentis aliarum nationum detraham, ueris laudibus Sueuiam ornaturum esse. Quæso autem uos, ut pro humanitate uestra me benigne audiatis: nã candor est exterorũ uirtutibus, & earũ cõmemorationi fauere,

Ioannes à Monte Regio.

Maximilianus Imp.

Agricola.

Erasmus.

fauere, quas quidem nos, quia inter eruditos dicimus, paulo longius etiam inde usque ab antiquitate repetemus. Quanquam autem sola uirtus, uera & solidam laudem parit, tamen & antiquitas generis, quia non nihil momenti adfert ad uirtutis studium, suam laudem meretur.

Fortes (inquit Horatius) creãtur fortibus & bonis.
Est in iuuencis, est in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Quare cum ueterum Sueuorũ summa uirtus fuisse perhibeatur, credibile est ad posteros propagata esse semina quædam uirtutis: & quemadmodum formæ corporum in natis imitantur patres, ita posterorum ingenia non sæpe naturæ maiorum dissimilia sunt. Proinde nõ exiguam laudẽ Sueuicæ nationis hanc esse duco, quod à maioribus incredibili uirtute, fideq; præditis, quiq; maximis gestis rebus suæ posteritati præluxerunt, orti sunt. Habent autem ueteres Sueui grauissimum testem suarũ laudum, C. Cæsarem, qui sic describit eos, ut adpareat, & domi optime constitutas Respub. domesticamq; disciplinam habuisse, & foris incredibilem eorum fortitudinem, scientiamq; rei militaris præcipuã fuisse. Etenim ut prætermittam, quanta gentis frugalitas fuerit, quia uinum importari contra leges erat, quę exercitationes iuuentutis fuerint in armis, quanto labore durata corpora, & animi ad patientiam adsuefacti, tum mihi prorsus uidere quandam Platonis ciuitatem uideor, cum lego nihil illis priuati agri fuisse, sed sine cupiditate communiter coluisse, quæ quiq; loca occupassent, qua in re adparet, animos gentis uacuos auaricia, & similibus pe-

ſtibus, unde in ciuitatibus graues motus exiſtere ſolent, ſumma religione iuſticiam ac pacem coluiſſe. Plato ait, Ita fœliciſſimum ciuitatis ſtatum fore, ſi quàm proxime conetur exprimere hanc legem, quæ de amicis extat, τὰ τῶν φίλων κοινά. Quam autem mihi Græcam ciuitatem, quas Athenas, quam Spartam, aut Locros nominabit aliquis, in qua perinde agri communes poſſeſſionesq; fuerint, ut apud Sueuos? qui niſi admirabili iuſticia prę-diti, & magna inter ſe charitate deuincti fuiſſent, nullo modo illam rerum communionem exercuiſſent. Quæ-dam gentes ab Dijs ſe ortas eſſe prædicant, mihi nō mi-nor laus uidetur ad tales uiros, quales fuiſſe ueteres Sue-uos intelligitis, uere poſſe originem referre, qua ad Her-culem aut Martem. Non eſt inſtituti mei, laudes aliarū in Germania nationum extenuare, tamen hoc in con-feſſo eſt, nullius maiores monumentis literarum, perin-de ut Sueuos celebratos eſſe, quod quidem argumentū eſſe mihi uidetur, uirtute etiam eos reliquis omnibus in Germania nationibus præſtitiſſe. Pleræq; nomine uete-ri amiſſo, ne quidem coniecturā capere poſſunt, ex qui-bus orti ſint maioribus. Et haud ſcio, an ſoli Sueui no-men uetus retinuerint, ſed cum ita mutent gentes no-mina, ſi uel patria pulſi, uel imperio deiecti, amiſſa liber-tate, in aliorum poteſtatem ueniant, ueriſimile eſt Sue-uos, quia nomen retinuerunt, libertatem ſuam ſumma cum uirtute defenſam, nunquam amiſiſſe. Nam quod ſedes mutarunt, & à Balthici maris littore, quod olim tenuerunt, propius Rhenum acceſſerūt, id accidit, quia laceſſiti Romanis armis, in ripa Rheni domo accita præ-ſidia primum collocarunt, poſtea capti aeris cœliq; cle-mentia, his in locis conſederunt, & occuparunt eam

Germaniæ

Germaniæ partem, longe promotis finibus, quæ inter Rhenum, Alpes, Lycum, & Mœnum est, hi sunt Sueuorum fines hoc tempore. Neq; uero degenerarunt, mutato cœlo à pristina uirtute, sed his primum locis magis inclaruerunt, & noua gloria Sueuico nomini accessit. Nam ne omnia commemorem, ne ue historiam potius quàm encomium composuisse uidear, tantum insignia quædam ornamenta attingam. Quid potuit contingere Sueuis illustrius, quàm Romani Imperij titulus? non ille quidem scelere raptus, sicut antea sæpe acciderat, sed delatus Germaniæ atq; Italiæ populorum consensu. Quid potuit honorificentius accidere, quàm hoc tot gentium iudicium, quæ tantam uim uirtutis in hac natione senserunt, ut non dubitarint suam salutem, suas fortunas, & tranquillitatem totius Imperij Sueuorum Principum tutelæ committere? Ea demum uera gloria est, & bono Principi maxime optanda, ut intelligant, existimentq; homines, eum esse præditum & ea charitate erga subditos, ut nihil ducat prius, quàm illorum saluti consulere, & ea cum prudentia, tum animi magnitudine, ut defendere cõseruareq; pacem, & arcere ac prohibere iniuriam, & legibus ac armis munire tranquillitatem publicam possit. Quos triumphos, quæ trophæa mallent sibi decerni Principes, si saperent, quàm hoc de se iudicium apud bonos uiros fieri? Proinde, cum periculosissimis temporibus ad Sueuos Imperij summa delata sit, magnum quiddam illi nationi reliquæ gentes tribuerunt. Neq; uero non responderunt expectationi Fridericus, cui à Barba Ruffa nomen factum est, & huius nepos Fridericus, quem Siculum uocarunt, quorum uterq; omni genere Imperiatoriarum uirtutũ cuiuis lau-

datissimorum Principum conferri meretur. Ab auo Fridérico Germania atq; Italia maximis laboribus & periculis pacatæ sunt. Arma in Asiam postea translata, Suladinus repressus est, & bona Asiæ parte ad Armenias usq; expulsus. Nihil hic libet attollere, aut amplificare, tantum extremis digitis leuiter attingo res istius gestas. Verum uos ipsos cogitare hoc in loco uelim, quantum beneficium id temporis in Europam contulerit, crudelissimis hostibus repressis, & procul ab Italia & Germania summotis. Nunc uidetis quanto in periculo simus, quia diu neminem similem custodem Imperij huius habuimus. Ille procul in Asia quærendum sibi hostem esse duxit, sensitq; serum tum auxilium fore, si pateretur Barbaros in nostros fines suas copias traducere. Nunc cum in ipso uestibulo Germaniæ constiterint sæuissimi Turcæ, ac florentissimum Regem regno exutum fugientem ex acie penè ob oculos nostros trucidarint, intelligitis quàm optandum sit Fridericum aliquem exoriri, cuius nomen hostibus terrori sit, quiq; opponere immanissimæ genti præsidium ausit. Si Fridericus ille reuiuiscat, non de Hungaria uastanda, non de uexanda Germania iam Barbari cogitent, sed de retinenda Thracia, deq; fociis ac laribus suis propugnandis: Siquidem Germanicis copijs iam, ut fuit illius & celeritas & diligentia, circumsessi summa ui oppugnarentur. Non uacat huius Principis egregia facta commemorare, uerũ quia bello meliorem quàm pace fuisse aliqui putant, ut cognoscatis quanta sæueritas eius fuerit domi in dicendo iure, in latrocinijs puniendis, & disciplina Imperij retinenda, recitabo quàm grauiter animaduerterit in Principem Palatinum & Moguntinum Episcopum, qui bellum ipso

lum ipso absente in Italia mouerant. In Episcopum, quia parcendum dignitati Sacerdotum duxit, mitiorem pœnam constituit, tantum enim pecunia mulctauit. Sed in Palatinũ durius consuluit: Nam coegit eum per totam urbem Vuormatiam canem ab humero pendentem gestare, ea fuit illis temporibus censoria nota nobilitatis. Idem exemplum in pleroscp alios equestris ordinis uiros, Palatini socios, constitutũ est. Nullas ego uictorias plus laudis mereri existimo, quàm huiusmodi exemplum. Nam eum bene imperare putes, qui domi ciuilem disciplinam conseruare nouit. Nihil foris arma, nihil triumphi proderunt, si domi nimium liceat improbis. Is demum Imperatoris nomine dignus est, qui non tantum hostibus formidabilis est, sed etiam ciues in officio retinere studebit. Quid de Friderico nepote dicam, cuius pulcherrima consilia, si non impediissent Romani Pontifices, non alium habuissent utiliorem Principem Germania. Ingenium in eo acerrimum fuit, magna etiam literarum scientia, & ut aliud boni nihil præstiterit, magnam illi gratiam debemus, quod curauit in Latinam linguam conuerti ex Saracenico sermone τὴν μεγάλην σύνταξιν Ptolemæi: Nam absq eo libro tota Astronomia funditus interijsset. Itaq Sueuis debemus, quòd reliqua est illa Philosophiæ pars, quã iure dixeris præstantissimam esse. Magna laus est inuenisse artes utiles huic uitæ, sed non minor est, uel restituisse uel conseruasse. Siquidem in primis in literis hoc accidere uidemus, ut non minus negocij sit conseruare inuentas, q inuenire. Videtis quales Imperatores Sueuia nobis ædiderit, qui nisi belli pacisq artes omnes apud illos floruissent, minime idonei ad imperandum uisi fuissent.

Etenim ut non in quouis solo fruges nascuntur, ita non ubiq; boni uiri proueniunt. Sed ibi tantũ ubi bonis legibus ac moribus ad uirtutẽ ac decus inuitatur, & adsuefit iuuentus. Quis putet enim Mileti aut Sibari in summo luxu, inter turpissima exempla, in maxima licentia, fortem uirũ, aut temperantem, aut iustũ euadere potuisse? Quæ tam excellens natura, quę tanta ingenij uis in ullo esse potuit, quæ inter tot uitiorum illecebras non corrumperetur? Quare necesse est disciplinam fuisse in Suevorum ciuitatibus probabilem, qua tanquam in ludo Principes ad honestatem instituti sunt, quaq; adducti exteri iudicarunt hanc nationem uirtute ac industria imperij molem sustinere posse. Neq; enim ignoratis, quid imponatur oneris cum isto titulo, aut quantum fidei, quantum consilij, quantum animi robur, quantam moderationem, quantam diligentiam in omni genere flagitent homines ab eo, cui libertatem suam, fortunas, salutem ac uitam committunt. Sed cum res foris gestæ, & leges quibus domi pax stabilita est, quæ quidem hactenus in publicis legum codicibus extant, multorum aliorum literis prædicentur, nolui hoc in loco diutius commorari. Propero enim ad nostra tempora, quæ si diligenter considerabitis, uidebitis profecto illos non solũ respondere iam maiorum glorię, sed etiam superiorum decora longe uincere. Esset autẽ infinitum totam Rempub. depingere, & omnia instituta, legesq;, pietatem in colendis religionibus, sæuitatem in cohercendis delictis, bellicarum rerum peritiam, animorum magnitudinem, ciuium inter ipsos æquabilitatẽ, exponere. Quæ cum angustia temporis prætermittere cogat, excerpam ex reliquis laudibus unam quandam partem, in qua uidere est

dere est, quàm bene de tota Germania mereri studeant. Cum annis iam aliquot nullum satis magnum aut firmum præsidium in Germania esset, aduersus subitos tumultus, & quotidiana latrocinia, ciuitates Sueuorum fœdus inter se tute & Cæsare autore fecerunt. Id fœdus diu iam tanquam in statione est, defendendæ publicæ tranquillitatis gratia. Multos improbos metu continet, quosdam etiam tumultus, armis & bello compressit. Quanta autem laus est, unam hanc nationem publicæ pacis tutelam suscipere, & salutis omnium causa suas fortunas, suam uitam in discrimen adducere? Sed hoc plane diuinum est, quod cum publico iure imperium sibi in alios uindicare possent, nam hoc ius imperij in terris semper fuit, cogere ad parcendum illos quos tuis laboribus tegas & serues, Sueui libertatem omnibus reliquunt, quibusdam etiam bello uictis amissam restituerunt: & cum faciant infinitos sumptus, laboresq; maximos subeant, nulla tamen commoda uiciſſim ab his, quos defendunt, recipiunt, suis fortunis publicos sumptus tolerant, ne cuiuis libertatem minuant, suo periculo omnium salutē propugnant. Quid honestius, quid moderatius cogitari potest, q̄ sine cupiditate arma tenere, & alios ita defendere, ut de libertate eorum nihil detrahas? Athenienses accepimus aliquandiu ad hūc modum Græciæ principatum tenuisse, ut cum permitterēt alijs ciuitatibus libertatem, ipsi tamen in excubijs essent, suoq; discrimine omnes tuerentur. Ea in re in primis magnum humanitatis, iusticiæ, & temperantiæ exemplum suæ specimen sapientissima ciuitas præbuit, quod sine cuiusquam incommodo publico pacem custodijt. Cum autem summos honores Athenis, ob eam causam

reliqua

reliqua Græcia decreuerit, sępe enim missę ex seruatis ciuitatibus coronæ, positæ statuæ, data Athenienſibus ciuitas, pars agri, ſocietas ſacrorum & connubiorum, & hoc genus ornamenta alia: debemus & nos, ſi non ingrati eſſe uolumus, pulcherrimum beneficium Sueuicæ nationis ampliſſimis laudibus uehere. Non ſatis intelligimus, quantum in pace inſit boni, ſi publicæ tranquillitatis cuſtodibus nullam gratiam habemus. Quoties enim paruos liberos adſpicis, quoties coniugem intueris, toties meminiſſe te oportuit, illorũ incolumitatem aliqua ex parte te his debere, qui ocium nobis faciunt, cum aliarum honeſtarum rerũ gerendarum, tum alendæ & educandæ ſobolis. Populus Romanus, non ſæpe uictis gentibus libertatem ſeu αὐτονομίαν conceſſit. Græcis id honoris habuit, poſt bellum cum Philippo Macedone geſtum immunitatem donaret, & ut ſingulæ ciuitates ſuis legibus uiuerent, permitteret. Ea de re, cum decretum à Senatu populoq; Romano factum, T. Quintius Imperator in Nemeis, quo ex more ad ſpectaculum tota Græcia conuenerat, uoce præconis recitari iuſſiſſet, audiſſentq; gratiſſimum præconium uniuerſi, Dij immortales, quantis honoribus adfectus Imperator, q; gratis ſermonibus Romanũ nomen celebratũ eſt, Eſſe unam eam in terris gentem, quę ſua impenſa, ſuo labore ac periculo pro libertate aliorũ bellum gerat, detq; operam, ne quod toto orbe terrarum iniuſtum imperium ſit, & ubiq; fas, lex, potentiſſima ſint, ita iudicarunt Græci, non aliud maius beneficium homines hominibus præſtare poſſe, q; quod accepiſſent à Romanis. Quid enim certa pace gratius eſt, præſertim ſi coniuncta ſit cũ libertate? Nõ minus igitur laudis in Germania merẽtur

Sueui

Sueui, qui suo præsidio pacem alijs gentibus sine iactura libertatis earum muniunt, quàm merebantur, uel Athenienses, uel populus Romanus apud Græcos immunitate donatos: Nam ter à Maximiliani morte Germaniam maximis periculis magna fœlicitate liberauerunt. Fauet enim Deus iusta bella pro publica salute gerentibus. Quare grata nobis memoria Sueuici fœderis esse debet. Hoc enim ocium, quo frui uobis hactenus licuit, & hęc studia, quę omnia nobis de manibus excutiuntur, simul atque aliquis motus bellicum canere cœpit, istorum armis defensa sunt. Quantum autem studium rei militaris sit in ea gente, quanta uirtus, quanta scientia gerendi belli, non ignoratis: Neq; enim alia natio celebriores duces habet. Porro cum foris Sueui & fortitudine incredibili, & summa iusticia in defendendis uicinis utantur, quid dubitemus quales domi sint? Nisi enim domi ciuitates haberent bene moratas, nec sumptus, nec milites suppeterent: aut quomodo milites parere armati scirent, qui domi parere legibus non didicissent? aut quomodo tolerare militiæ difficillimum laborem, & graue Martis opus, ut Vergilij uerbis utar, si domestico ocio ac luxu effœminati essent? Habent igitur & ciuitates, legibus ac iudicijs diligenter constitutas, & tranquillitatis urbanæ tuendæ cura non alibi maior est. Lex est enim in Sueuicis urbibus, ut si in rixa aliqui gladios strinxerint, ac uel puer, uel muliercula, procul etiam inclamans pacem imperet, capite puniatur, qui audito nomine pacis, insuper ferire audet. Cum nulla tam sęuera lex in reliqua Germania sit, æstimari potest, quanta diligentia uulgus Sueuorum coherceatur. Et ad tranquillitatem urbium hoc

quoque facit, quod urbana multitudo minus aliquanto ocij habet, & frugalior est, quàm in uicinis nationibus. Magnum ibi scelus est, & inusitatum, conspici ebrium. In diuersorijs magna mundicies est, & fides hospitum summa, nec magis domi suę peregrini, quàm apud illos tuti sunt. Quid autem gratius accidere peregrinanti potest, quàm talis hospes, ad quem tutum sit diuerti, apud quem securus acquiescat, qui comitate, qui mundicie itineris tædium leniat? Gens ipsa minime idonea ad fallendum, in primis gaudet fidem suam peregrinis probari. Sic inter suos etiam uiuunt, nulla diuturna odia sunt, nullæ insidiæ: quanquam enim ingenia sint ferociora, tamen facile placantur, & quia nihil dissimulare didicerunt, insidiari non norunt. Cæterum non deesse eis ingeniorum acrimoniam, inde adparet, quod celebertimos, maximeq; strenuos mercatores habent. Neque desunt ibi, qui & ament & colant literas: Hæc enim natio Albertum procreauit, quo ex nostris hominibus nemo uberiorem naturalium rerum cognitionem habuit. Nonnihil uero laudis intulit eò & Capnio, uersatus in Græcis & Hebraicis literis difficillimis temporibus, & cum peregrinarum linguarum studia nondum in Italia satis florerent. Accepi enim ita Venetum quendam Oratorem olim de eo prædicasse. Nam cum apud Cæsarem Friderici Legatus sui Principis esset Capnio, cumq; Venetæ ciuitatis Oratoribus, qui per id tempus eò uenerant, frequenter esset, accidit aliquando, ut Capnio forte pulcherrimæ Græce scriptum Enchiridion noui testamenti in manibus haberet. Quod cum uidisset Venetus, & animaduertisset, non esse eudem Græcarum linguarum

Capnionem

Capnionem, conuersus ad suos Collegas, ait: Videte quæso in Germania hunc uirum propter cognitionem literarum in admiratione esse, quas nostri tam pertinaciter cõtemnunt. Et nobilitauit egregijs monumentis Sueuiam Stoflerus Mathematicus, cum primis, & diligens & eruditus, cuius quia beneficio quotidie utimur, duxi eius hic mentionem esse faciendam: fastos enim multorum annorum confecit & digessit, in quibus componendis dici non potest, quantum laboris fuerit ei exhauriendum: Est enim immensi negocij, motus syderum exacte supputare. Nulla temporum discrimina, nullas mensium uices nossemus, nisi hunc laborem uir ille optimus sumpsisset. Porro simile quiddam pecudum uitæ fuerit, non habere descriptum annum in certa spacia, non arandi, serendi, plantandi, aut aliarum rerum iusta tempora nosse. Habent & artifices ingeniosissimos: hi enim plasticen sculpendi artem, quæ prorsus amissa fuerat, renouarunt. Sed desino omnia persequi, nam ego non omnes laudes, sed præcipuas Sueuicæ gentis recensere uolui. Magnam commendationem habet generis nobilitas, & maiorum uirtus, nam ex bonis uiris natos, uerisimile est, aliquam paternæ uirtutis similitudinem referre. Audistis autem uetustissimos Sueuorum à Cæsare prædicari, & præclarum iudicium postea de Sueuis Germania atq; Italia fecerunt, quando ad eos Imperium detulerunt. Nostris uero temporibus, nullo modo tenere tantas Respublicas, tamq; florentes & pacatas possent, nisi omnibus belli ac pacis artibus instructi essent, nusquam in urbibus tranquillitas maior, nusquam minus latrociniorum est, quàm in horum agris. Vicinis adeo non

sunt graues, ut sæpe eos maximis periculis liberauerint, reddantq; procul etiam istis tuta omnia. Domi uero pax perpetua, multarum honestarum artium studia excitauit atque alit. Quæ cum ita sint, faueamus illorum laudibus, easq; sine inuidia prædicemus. Nam cum uirtute nihil melius aut pulchrius sit in quauis gente, iuxta meretur amari. Non enim unio minoris est precij argento insertus, quàm si in auro gestetur. Sed ut superbi atq; inhumani ingenij est, in priuata consuetudine uitæ, se tantum mirari, & ita sibi arrogare omnia, nihil ut alijs reliqui faciat, ita iniustus est, qui unam gentem sic amat, ut nihil exteris tribuendum putet. Hoc potius ad mutuam inter nos charitatem, & beneuolentiam alendam faciet, si quę in unoquoq; fuerint laude digna, ea candide miremur atque complectamur.

Dixi.

ENCOMIVM FRANCIAE M. Irenæo autore.

NOBILITATE GENERIS, VIRTVTE, & dignitate pręstanti, Danielo Stibaro, M. Irenæus S. D.



VM nuper in patriam uenissem officij causa, uirũ optimũ, tuiq; amantissimũ, Ioachimum Camerariũ comitatus, adeo amanter à te exceptus sum, ut multum me tibi debere iudicarim. Quare cũ significationem aliquam mei erga te studij extare uellem, tibi potissimũ hanc oratiunculam de Francię laudibus dedicandã esse censui: quam eo tibi arbitrabar nõ ingratam fore, q̃ his exercitijs et literarum studijs te pręcipue fauere scio. Nec uero quid q̃ hoc tuo loco atq; ordine cũ in Reipub. gubernatione uerseris, dignius est, q̃ ciuiũ studia excitare, & literas tueri atq; ornare. Intuetur in te iuuentus in patria, tuamq; autoritatem existimat literarũ studiosis magno præsidio esse. Nisi enim tui similes uiri præstantes uirtute & autoritate, literis opem ferrent, quę barbaries, quanta uastitas ad posteritatẽ futura sit, ipse optime intelligis. Itaq; hanc oratiunculã ita tibi mitto, simul ut patrociniũ meorũ studiorũ tibi cõmendem. Nihil dulcius, inquit Homerus, unicuiq; esse, patria sua: Quare nemo nõ fauet suæ patriæ prædicationi. Sed cũ tam tenuis oratio argumẽti amplitudini nequaq̃ respondeat, fortasse consiliũ ędition is huius multi reprehendẽt. Nec id ego ambitiose defendã, illud tantũ opto, exercitationẽ hanc meã, & in dedicando officiũ, tibi probari. Bene uale.



Tsi uereor, ut satis uerecundè facere uideat, quod in hunc ornatissimum cœtum doctissimorum iuuenum produci me patior, cum neq; à doctrina, neque ab eloquentia ita instructus sim, ut aliquid afferre possim dignum uestris auribus, tamen quoniam scitis nos autoritate præceptorum cogi, ut in hunc locum prodeamus, quam detrectare nobis nō est integrum, peto à uobis, ne me fiducia ingenij sed officio adductū, hoc onus suscepisse iudicetis.

Cum autem hæc ipsa declamandi consuetudo potestatem nobis faciat de uarijs rebus dicendi, ego quoq;, cum autoritate præceptorum mihi hæ partes mandarentur, non incommode me facturum existimabam, si de patriæ meæ, Francię uidelicet, antiquitate & laudibus quædam colligerem.

Etsi autem uidebam historiam nostræ gentis multo esse longiorem, quàm ut una oratione explicari posset, tamen quia sciebam hanc totam declamandi consuetudinem ideo institutā esse à præceptoribus, ut adolescentum ingenia exerceantur, & ad res maiores præparentur, malui operam sumere in colligendis patriæ laudibus, q̄ in alio quodam argumēto. Primum enim neminem tam inhumanum aut ferreum esse existimo, qui nō intelligat qualecunq; studium ornandæ patrię bono uiro dignissimū esse, quemādmodum & Poeta inquit:

Et pius est patriæ facta referre labor.

Deinde cum multarum utilitatum causa summo studio peregrinę historię inquirantur, quanto magis decet nos operam dare, ut domesticas cognoscamus? Nam hæ magis afficiunt animos nostros, propterea quod sicut

aliarum

aliarum rerum, ita etiam gloriæ maiorum nostrorum hæreditas ad nos pertinet. Magis autem afficimur nostris bonis, q̃ alienis. Minime igitur negligenda sunt nobis domestica exempla, præsertim cum multi Francorum Principes omni uirtutum genere ita excelluerint, ut cum præstantissimis ueterũ Regum conferri possint. Prodest eò etiam res maiorum tenere, quia in hac Imperij forma, multa ex recentioribus historijs iudicari solẽt, in controuersijs iuris publici & religionum.

Sed initio ueniam à uobis peto, si expectationi uestrę non satisfacere potero. Est enim perdifficilis nostrarum historiarum explicatio. Nam si Græcas aut Romanas historias recitarem, quanto me labore leuarent eloquentissimi & sapientissimi scriptores, à quibus & res & genus orationis mutuari possem? In nostris autẽ res procul exuarijs & indisertis scriptoribus quærendę sunt. Deinde & in elocutione mihi sudandum est: Carent enim literarum lumine, ac pleræq; res honestæ indignis modis contaminatæ sunt scriptorum ineptijs.

Has difficultates cum animo prospicerem, diu mecum dubitabam, an hoc argumentum pertexerem: sed uicit amor patriæ, ac perpulit, ut hæc qualiacunq; colligerem. Idq; eò feci libentius, quod sentiebam me mirificam capere uoluptatem, ex tractatione huius argumenti, & cogitatione uirtutis maiorum nostrorum, à qua cum considero quantum Germanici Principes hac ætate degenerarint, non possum non deplorare horum temporum infœlicitatem. Nam maiores eorum non solum uiribus quæ non desunt nostrę ætati, sed multo magis animi magnitudine, consilio & concordia fines Imperij protulerũt, & barbaris nationibus domitis totam

Europam

Europam pacarunt, & pacem legibus, disciplina, religione munierunt & ornarunt, fuitq; tanta admiratio sapientiæ, iusticiæ, & fortitudinis eorũ, ut exterę nationes nullis Regibus salutem suam cõmittere mallent, quàm nostris. Quam ob causam Italia illud Augustum nomẽ summi Imperij à Græcis ad nostros homines transtulit. Hos uoluit esse duces publici cõsilij inter omnes Reges, & prȩcipuos custodes, non solum regnorum omnium, sed etiam Ecclesiæ, quibus iudicijs quid potest ullis Regibus contingere glorioſius? Hoc igitur decus nunc adeo non tuemur, non solum ut foris non retineamus antiquam Imperij possessionem, sed ut Turcas in Germania, & ob oculos nostros impune grassari sinamus. Interim pleriq; aut per ignauiam dedunt se uoluptatibus, aut impediti priuatis adfectibus, non referunt consilia sua ad communem salutem, quod Principibus uiris & heroico genere indignissimum est. Has querelas dolor mihi expressit, & si sciebam eas non congruere orationis exordio.

Cum autem deceat nos Germanos uere Germanos, & mutuo amore deuinctos esse, spero uobis quoq; Franciæ laudes non ingratas fore, cum hæc natio communi Germanico nomini magno sit ornamento, & multas res gesserit, quibus Germaniam reddidit illustriorem. Ego quoq; nostros homines ita ornabo suis præconijs, nihil ut de aliena laude decerpam, sed potius ex Francicis aliqua præconia ad alias nationes deriuabo.

Equidem non ualde improbo studium illorum, qui ignotas origines, ad clarissimos heroas, aut etiam cœleste aliquod numen, ut ipsi loquuntur, referunt, ut cogitet posteritas, diuinitus constituta esse regna, amet patriam,

etiam, maiore cura defendat leges à maioribus acceptas, ipsis etiam Regibus, tanquam propagatis à diuina stirpe, numen aliquod ineſſe exiſtimet. Nam & ipſe ita ſentio, regna diuinitus conſtitui, nec gentem ullam, aut Regem, ſine cœleſti motu atq; adflatu, Reſpublicas fundaſſe, & legibus ac diſciplina munijſſe, & ſaluti poſteritatis fœliciter conſuluiſſe. Hæc enim ſunt cœleſtia beneficia, quæ Deus per ſummos heroas impertit humano generi, ut & ſacræ literæ docent, & ſapientiſſimi Philoſophi fatentur. Ita Lacedæmonij cum haberent Reges ab Hercule ortos, diligenter cauebant, ne qui propagati ab alia ſtirpe ſuccederent. Fuit & Macedonicis Regibus Hercules generis autor. Sed omitto exempla, quę ſunt innumerabilia.

Cum autem Franci tantos habuerint ſucceſſus, & regnum in Gallia conſtituerint, quod legibus & inſtitutis longe præſtat omnibus regnis totius orbis terrarũ, nec uero aliud ullum regnum hodie eſt antiquius, ubi una gens poſſeſſionem ſui regni, & quaſi ſedem maiorum ſuorum diutius tenuerit, quid dubitemus diuinitus excitatam eſſe hanc gentem, & heroica uirtute ac fœlicitate tantis auctam incrementis? Hoc conſilio arbitror quoſdam ad Hectorem retuliſſe Francorum originem. Sed hæc fabuloſa omittamus, dum illud tamen teneamus, Deum fuiſſe ducem huic genti, in auſpicijs regni, & maximis rebus gerendis, & ſubinde heroicos uiros in hac natione extitiſſe, quorum ſingularis fuit uirtus & fœlicitas. Sunt autẽ heroicę naturę initium uerę nobilitatis.

Verum ſi quid in uniuerſum habet commendationis patria, Francos uetuſtiſſimos ſcitote nõ peregrinam in Germania, ſed uere Germanicam gentem eſſe. Sunt

autem propriæ quædam dotes, ut aliarum gentium, ita Germanorum. Existimantur esse aperti, ingenui, amantes candoris, & ueritatis, constantes, tenaces promissorum, reuerentes religionum, excellunt fortitudine, & in primis delectantur gloria militari, abhorrent à crudelitate, & à fœdis libidinibus. Si qua igitur nobilitas est, quam in commune habet gens Germanica, aliquid laudis adferet Francis patria. Adeo enim non fuerunt dissimiles cæterorum Germanorum, ut aliquibus uirtutibus etiam reliquas nationes superarint.

Sed quam initio regionem tenuerint, dicendum est. Porro ut in iudicio finium regundorum adiudicatione cõtrouersia dirimitur, cũ certi fines ostendi nõ possunt, ita gentium sedes, cũ origo ignota est, pleriq; attribuunt ijs locis, ubi gentes rebus gestis magis inclaruerunt. Constat Francos, moto bello aduersus Romanos, late in secunda Germania uagatos esse. Ideo quidam sedes eis tribuerũt uicinas Sicambris & Caucis, id est, Geldris & Frisijs. Itaq; sub Constantio scribuntur occupasse Batauiam, & pyraticam in mari exercuisse, & longe lateq; Galliæ littora populati esse. Sed mihi posterius descendisse propius Belgicum uidentur, ac propemodum adsentior ijs, qui certam tribuunt sedem in ripa Germanica, supra Coloniam Agrippinam, in ea regione, quam Catti tenuerũt, siue ea est Hassia, siue etiam uicinia superior, ut ex Ptolemæo apparet, quæ nunc habet Franciæ appellationem. Inde prolatis Imperij finibus, partim Mœni ripam occuparunt, partim effusi sunt in Vbios ac in Belgicum, unde sæpe repulsi à Romanis Imperatoribus, tandem tamen in Galliam peruaserunt. Nam Imperatorum primus Aurelianus cum Francis ad Mogun-

tiam

tiam conflixit, cũ nondum procul à patria discessissent. Quare credibile est, Francos tenuisse initio loca, nõ longe distantia à Moguntia. Postea late uagati circa Coloniam Agrippinam, penetrarunt in Vuestualiam. Proinde Marcellinus Francis adiungit Camauos, quos fuisse Vuestualorum partem constat.

Apparet & ex Ausonio, has gentes non procul dissitas fuisse, cum ait:

Accedent uires, quas Francia, quasq; Camaues
Germaniq; tremant, tum uerus habebere limes.

Inde progressi populis ad Albim usq; imperarunt. Quare Claudianus inquit:

Vt iam trans fluuium non indignante Cayco,
Pascat Belga pecus, mediumq; ingressa per Albim
Gallica Francorum montes armenta pererrent.

Conflixit & Iulianus cum Francis ad Iuliacum. Itaq; eadem huic genti supra Vbios tribuimus seu in Cattis, seu in uicinia. Postea infra Coloniam Agrippinam late uagata est. Quod uero pars Francorum, Salingi uocabantur, recentior est appellatio illorum, qui à Mœno ad Salę fontes progressi, penetrarunt in Turingiam, & cum Turingis diuturna bella gesserunt: Ptolemęus enim ad Salam collocat Tyriohemos, quos esse Turingos nomen ipsum testatur.

Porro nomen uidetur fuisse non unius gentis, sed multarum, quæ coniunxerunt se ad defendendam Germaniæ libertatem: Constat enim hodie Francum dici liberum, à nostra appellatione, die freien ancken, id est, liberi iuuenes, sicut nunc appellamus milites die freien knecht. Ergo siue una gens fuit, siue multarum nationũ bellicosissimi homines, apparet libertatis autores extitisse,

tisse, non procul à Rheno et ab Vbijs, homines excellen
ti uirtute & iusticia præditos, qui Imperium Romanum
quod illis temporibus erat alioqui tranquillum, & toti
orbi terrarum formidabile, lacessere armis ausi sunt, &
repressi toties, nunquam tamen animis fracti, fortunæ
aut uirtuti Imperatorum cesserunt. Nec uero ulla gens
dimicauit cum præstantioribus Imperatoribus q̃ Fran-
ci. Quæ enim ætas habuit duces bellicosiores, quàm fue
runt Aurelianus, Probus, Diocletianus, Maximianus,
Constantius & Constantinus? Horum uirtute & fœlici
tate cum aliæ prouinciæ tumultuantes facile reuocaren-
tur ad officium, tamen Franci etiam uicti, iugum nunq̃
acceperunt, nunquam arma abiecerunt, tantus amor pa
triæ fuit, tantum seruitutis odium. Quanta igitur uirtus
in maioribus nostris fuerit, inde facile æstimari potest,
quod ut Romani bellum cum Carthaginensibus de Im
perio uaria fortuna, annos circiter quadraginta, sed per
interualla, gesserunt, ita Franci Romanos, toti iam orbi
terrarum dominantes, armis exercuerũt annis amplius
centum, inde usque ab Aureliano ad Theodosium, do-
nec non modo libertatem recuperarunt, sed etiam po-
titi Gallijs, Belgica & Celtica, post Theodosium regna-
re ibi cœperunt. Nec minus negocij fuit tueri possessio-
nem Galliarum, cum ferocissimæ nationes eas appete-
rent, Burgundi, Alemanni, Hunni, quàm antea fuerat,
eripere eas Romanis. Quare nisi fortitudine, scientia rei
militaris, tolerantia laborum, deniq; etiam iusticia & di
sciplina excelluissent, tanta certamina tot annorum su-
stinere non potuissent.

Recensui opinionem de Francorum ortu, auspicijs re
gni Francici, quæ maxime probatur eruditis. Cum autẽ
non mo do

non modo Belgicum inuasissent, sed etiam à Mogun-
tia progressi, occupassent uicinas Mœni ripas, fuit ea re-
gio propria Francorum sedes in superiore Germania,
quam aduersus Alemannos, qui Sueuiam & Heluetios
tenebant, non sine acerrimis prælijs defenderunt. Itaq;
illa Francorum arx opposita Alemannis, retinuit Fran-
ciæ nomen. Hæc est causa, cur regio ad Mœnum Fran-
cia etiamnum adpelletur. Sed Auentinus negabat Fran
cos ad Mœnum nouos esse colonos, & sentiebat hos
esse primos autores gentis, hanc esse ueră patriam gen-
tis Francicæ, propterea quod Strabo Βρέγχους ponit in-
ter Noricos & Vindelicos, quo in loco & Suetonius
Brencos fuisse testatur, inde paululum progressos atbi-
trabatur ad Mœni ripas, & deinde Romanis bellis in
Belgicum pertractos, à qua sententia profecto non mul-
tum abhorreo, nec inuitus hunc honorē tribuo nostris
ciuibus, ut ἀυτόχθονας non colonos ex alijs ortos genti-
bus esse existimem. Contendebat etiã Auentinus apud
Ptolemæum pro Brennis quos inter Noricum & Vin-
delicium collocat legendum esse Βρέγχους. Et citatur Par
thenius uetus scriptor, qui Francos ait esse ἔθνος ἀλπέων,

Sed plus laudis est in uirtute, quàm in origine. Cum
igitur res gestæ ostendant fuisse gentis Francicę excellen
tem uirtutem, simus hac laude contenti, & de generis
origine disputare aliquando desinamus.

Occupata Gallia, fœdus cum Romanis sub Iustinia-
no fecerunt, quare non modo belli iure, sed etiam ex fœ
dere Galliam tenent. Et uirtute ac fide perfecerunt, ne
Romanos pœniteret societatis Francicæ. Nam Attila
Francorum auxilijs ingenti prælio uictus, & ex Narbo-
nensi Gallia expulsus est, quam adhuc Imperatorius

præfectus Aetius tenebat. Teſtantur igitur hiſtorię, Francos tunc ſocios Romani Imperij, non uectigales factos eſſe.

Accedit ad ueterum Francorum laudes hæc quoque, quod cum audiſſent doctrinam Chriſtianam de uero cultu Dei, & admoniti agnoſcerent barbaricos ritus & εἰδωλομανίαν plenam eſſe turpitudinis & ſceleris, cupide amplexi ſunt Chriſtianã religionem, eamq; magna pietate coluerunt. Nec ſine cœleſtibus ſignis ad pietatẽ uocati ſunt: Nam Ludouicus, qui primus inter Reges amplexus eſt Chriſti doctrinam, hoc ſigno confirmatus eſſe fertur: Habebat coniugem Chriſtianam, quæ cum eum ſedulo hortaretur ad ueri Dei agnitionem, & commemoraret, nullam eſſe uirtutem digniorem Regibus, q̃ uera pietate Deum colere, & ſi inflexit eius animum, tamen non ſtatim perſuaſit, ut baptiſmo initiaretur. Gerebat autem Ludouicus ille bellum cũ Alemannis perdifficile, cumq; in poſtrema pugna, quæ ſupra Coloniã Agrippinam commiſſa eſt, turbata & inclinata Francorum acie, uictoria uideretur penes Alemannos futura eſſe, ibi Ludouicus clypeũ ad cœlum tollens, inſpectante exercitu, Chriſtum inuocauit, & Deum confeſſus petiuit, ut oſtenderet ſe exaudire inuocantes, & profligaret hoſtes, uotumq; fecit, ſe ſtatim parta uictoria, baptiſmo initiaturum & ſe & exercitum, deinde fugientes reuocauit. Teſtatus igitur Chriſtus ſe implorãtes opem ab ipſo iuuare, reddidit animos militibus, ac reſtituto prælio, tanta ſtrage Alemãni uicti ſunt, ut deditione facta, Francis parere cœperint. Hoc initium fuit Regibus Francicis colendæ pietatis Chriſtianę, circiter annũ Chriſti 470. quam quidem poſtea annos amplius mille, tanta conſtantia

ſtantia retinuerunt, ut Eccleſiæ Chriſtianæ ſæpe dubijs temporibus magno præſidio fuerint, eamq; ob cauſam Chriſtianiſſimi appellati ſint. Nec armis tantum defenderunt religionẽ, ſed multo magis ornarunt eam ſcholis, & propagatis ſtudijs in Gallia & Germania.

Hactenus de auſpicijs regni Francici, & quaſi de prima ætate dixi. Poſteri deinde non ſolum retinuerũt paratas opes, ſed etiam auxerunt, ac non modo potentia creuit, ſed etiam acceſſerũt maiora ſtudia ciuilium artium, religionis, doctrinæ, iuſticiæ, diſciplinæ. Itaq; cum facile æquitate & lenitate Imperij pacem domi tuerentur, foris ad communem Europæ defenſionem bella neceſſaria gerebant. Carolus Martellus repreſſit Saracenos, deleta ingenti eorum multitudine, adeo ut Hiſpaniæ partem tunc amitterent. Pipinus pacauit Italiam, & Pariſijs conſtituit curiam iudicum, quã uocant Parlamentum, quo nullum eſt ſapientius, ac melius conſtitutum iudicium toto orbe terrarum. Ab his ſummis uiris ortus Carolus Magnus, auxit auitam & paternam gloriam. Neq; enim tantum armis pacauit Italiam, ſed etiam domitis Longobardis iura & leges dedit, ut ad poſteritatem Italia quieta eſſet.

Cum igitur appareret Francicos Reges & magnitudine Imperij, & uirtute cæteros Reges in Europa uincere, eſſetq; aliquo cuſtode publicæ tranquillitatis opus uniuerſę Europæ, ac præcipue Italię, cuius poſſeſſione Græcos Longobardi depulerant, bono cõſilio Romana Eccleſia Carolum appellauit Imperatorẽ, ut ei defenſionẽ Italiæ atq; Eccleſiæ commendaret. Quod autẽ illuſtrius teſtimonium uirtutis Francicæ commemorari poteſt, quàm hæc iudicia exterarum nationum, quæ nõ modo

auxilium

auxilium à Francis implorauerunt, sed etiam existimarunt se illis imperantibus libertatem suam posse retinere? Quare magnam fuisse iusticæ opinionem de nostris hominibus necesse est. Fertur illud Græcũ, τὸν φράγκον φίλον ἔχε, γάτονά δε ὀ, acute fortassis: Nam crescentem Francorum potentiam formidabant Græci. Sed tamen Italia non amicum modo ac uicinum, sed etiam dominum habere Francum propter uirtutem & æquitatem Imperij non recusauit. Vt autẽ Carolus belli gloria par fuit summis Imperatoribus, ita pacis artibus optimos æquat Principes. Academiam Bononiensem, antea à Theodosio constitutam, instaurauit, duasq; nouas ipse addidit, alteram in Italia Papiensem, alterã in Gallijs Parisiensem, ut ferè extincta optimarum artium studia rursus excitaret, & doctrina religionem ac Respub. muniret & ornaret. Nec uero obscurum est, quàm præclare meritus sit de toto orbe terrarum his scholis constitutis, quarum præcipua operà iam annis septingentis conseruatæ sunt literæ. Hæc est uera laus summi principis, pacem restituere, religionem, iusticiam, disciplinã tueri, ornare, & ad posteros propagare. Quàm dissimiles sunt ab hac imagine exercitus illi, qui his proximis annis Italiam fœda populatione dilacerarunt, nec gerunt bella hoc fine, ut postea religiones & literarum studia excitent, sed ut æternam barbariem & ũastitatẽ efficiant? Quanto fuerunt fœliciora Francorum Imperia, qui saluti omnium gentium consuluerũt, & religionem ac literas magna cura prouehere conati sunt?

Sequitur tertia Francorum ætas, cum Gallia à Germania auulsa est, post id tempus fuerunt tamen in Germania Francorum Duces, qui uetustam Francorũ sedem in

utraq;

utraq; Mœni ripa, & magna parte regionis Rhenanæ te nuerunt. Nam Francia noſtra olim aliquanto latius pa tuit, nunc ferè Scalenon figurã efficit, cuius latus ſeptentrionale porrigitur ab ortu uerſus occaſum, à Salæ fontibus uſq; ad oſtium Mœni in Rhenum influentis. Latus meridianũ ab oſtio Mœni ad flumen Altmylium, à meridie magna ex parte præcingitur ſylua, quæ à uaſtitate nomen habet. Orientale latus ab Altmylio ad Salę fontes porrigitur iuxta montes Sudetes. Nec procul receſſit à ueteribus uicinis, quorum Strabo fecit mentionem. Nam & hodie Vindelicos à meridie attingit, & ferè ab ortu aſpicit Noricum. Habet ad Mœnum ſitas metropoles, Bambergam, Vuirceburgum, & Francofordiam. Hic tractus in ripa Mœni hodie retinet in Germania Franciæ nomen. Olim bona pars ripæ ad Rhenum à Spira uſq; ad Coloniam uocabatur Franciæ Ducatus. Moguntiæ enim quiſpiam è uetuſtiſſimis Ducibus ſepultus eſt cui nomen Meingos, & Cunradus, qui condidit templum Spirenſe, non procul à Spira regiam habuit Lympurgam.

Peperit autem & hęc tertia Francorum ętas laudatiſſimos Principes, Henricum Bambergenſem, qui Belgicum recepit, & expulit Italia Saracenos: deinde Conradus recepit Burgundiam, & eam Imperij partem, quam uocant Arelatenſem, & domuit Pannonas. Poſteri eius, artificijs Pontificum Romanorum, impliciti ſunt ciuilibus bellis, ſed tamen res geſſerunt maximas. Henricus quartus ſæpius acie dimicaſſe ſcribitur quàm C. Cæſar. Poſtea extincta ſtirpe Ducum, noſtra nobilitas & ciuitates, ne externos dominos acciperent, neue libertatem ſuam amitterent, ſummum Principatũ magna ex parte

transtulerunt ad Episcopos, quorum diu fuerunt æquio ra Imperia, & minus periculosa libertati. Pars regionis & Burggrauijs Noribergensibus parere cœpit, inuitata, ut opinor, & nobilitate & uirtute familię. Nam Burggra uij Guelfis orti sunt, qua uix est ulla uetustior in Germa nia nobilitas, fuitq; par nobilitati uirtus: possem enim commemorare multos, qui res maximas gesserunt, sed prætereo cæteros. Alberti fortitudo & fœlicitas in præ lijs tanta fuit, ut Germanici Achillis cognomine cele bretur.

Nec uero extincta sunt in nostris hominibus studia uirtutis, etiam si fata Imperium Europæ ad alias gentes transtulerunt. Nam equitatus Francicus, peritia rei mili taris, disciplina, fortitudine, genere armorum, non cedit reliquis nationibus Germanicis, quæ equitatu pollent. In ciuitatibus uero iudicia legibus & iure cõstituta sunt, gens ipsa cũ natura amat candorem, fidem, iusticiam, liberalitatem, tum uero domestica & publica disciplina ad uirtutem & omnia humanitatis officia assuefieri so let. Cumq; ingenia sint minime fucata, uix inuenias ali bi firmiores amicitias.

Etsi autem in tanta corruptione publicorum morum ubiq; plurimum est uitiorum, tamen ubi minor est igna uia, consuetudo laboris multa uitia arcet, & adfert ho minibus duriciem, ut minus appetant inconcessas uolu ptates & luxum. Est autem utraq; Mœni ripa admodũ ferax & culta, quare Franci agriculturæ dediti sunt. Hoc durati labore luxum aspernantur, ac magna ex parte est, ut ille inquit:

Nostra operum patiens, paruoq; assueta iuuentus.
Nonnulli & mercaturam exercent, sed magis crebrõ

œcono-

œconomicam, quæ uitæ necessaria est & plena humanitatis. Quid est enim laudabilius, & uitæ utilius, quàm deuinciri inter se homines mutua rerum necessariarum communicatione? Huius rei copiam soli fertilitas suppeditat, quod frumenti tantum gignit, ut uicinis etiam impertiamus. Vinum autem uberius apud nos nascitur, quare procul in regiones longinquas euehitur. Pro hoc salem & metalla nostri reuehunt. Etsi autem uenæ auri atque argenti apud nos interdum inueniuntur, tamen nostri contenti agricultura, non scrutantur eas. Ferrum tantum eruunt & excoquunt, quod magis necessarium est ad uitæ usus, & copiosius gignit nostra regio. Extrema ora horridior est, itaq; pleriscq; locis re pecuaria sustentantur homines. Noriberga uero, nã hanc quoq; in ora Franciæ recte collocari arbitror, floret cum excellentium artificum frequentia, tum mercatura, quæ non absimilis est œconomicæ: Euehit enim artificum operæ, nec sine hac negociatione suppeterent artificum officinis sumptus. Quare & hoc genus mercaturæ à Platone laudatum, & autoritate legũ in Digestis grauissime comprobatum est. In agro Bambergensi mira est hortorum amœnitas & fertilitas, in quibus si non, ut in Alcinoi hortis, punica mala, fici, & oleę nascuntur, tamen ingens est copia multorum fructuum, qui uitæ sunt utiles. Et ut cæteros omittam, latissimos campos γλυκυgίζα occupat, cuius magnus est usus in multis remedijs. Cumq; gentes propius ad Arcton accedentes, propter frigora & intemperantiam habeant crebriores tusses, & destillationes, & pulmonum incommoda, quibus medetur maxime γλυκυρίζα, multum debent uicini nostrę regioni, quę remedium eis præsentissimum suppeditat.

Est & ars ac ratio colendi digna admiratione, quæ adhibetur in plantanda & propaganda γλυκυζίζα: Certat enim ars cum natura mirifica æmulatione.

Hactenus de gentis ingenijs ac moribus, & de soli bonitate breuiter dixi, quę Physicam habet causam non obscuram. Vt enim cæterę regiones, quæ tanquam ualles præcinguntur montibus ac iugis, melius irrigantur defluenti ex saltibus pingui humore, ita & Francia fit uberior, procincta hinc saltu Turingico, istinc saltu Sueuico. Et rigatur fluminibus ambitiose eam peruaganti-bus, Mœno, Tubaro, Laso, Regnicio.

Nonnihil & cœlestes causæ adiuuant soli bonitatem, & hominum ingenia. Cum enim Ptolemæus uniuersæ Germaniæ attribuat primum trigonum, uidelicet Arietem, Leoné, & Sagittarium, ac adiungat διποδεκατον τρίγωνας Iouem & Martem, horum uis maxima est in media Germania. Francia autem ferè umbilicus est Germaniæ. Quare & solum minus est horridum, cum à Ioue, & ut oppositi trianguli natura fert, à Venere temperetur. Et studia moresq; hominum non obscure imitantur Iouis & Martis naturam: Sunt enim in gubernandis ciuitatibus acres & industrij, leges & disciplinam, si qua natio, nostri maxime amant, ignauiam iudicant esse turpissimam, quare nobilis iuuentus militiæ cupida est, & passim castra sequitur. Nec domi ætatem in ocio agunt, sed habent assidua equestria exercitia. Est item Francia sinistro humero Bootis recte subiecta, qui agriculturæ studium excitat: & quoniam aliqua ex parte refert Mercurij & Saturni naturam, addit uim ingenijs. Proinde non solum in uulgaribus, domesticis, aut ciuilibus negocijs, singularis est in nostris dexteritas, sed etiam

etiam in literis & reconditis artibus multi excelluerunt, quos enumerare longum esset. Sed tamen silentio præterire illos, quorum extant monumenta utilia Reipub. esset hominis ingrati.

Quis uestrum non amat nomen Regiomontani? quis non ueneratur eum, ut numen aliquod diuinitus in terram missum, ad instaurandam ueram Philosophiam de motibus cœlestibus? Nullius enim industria plus præstitit in eo genere doctrinæ restituendo nobis, quàm Regiomontani: qui cum ingenio & eruditione in Mathematis excelleret, uideretq; sine cognitione Græcarum literarum præstantissimos scriptores Mathematum non posse intelligi, dedidit se Græcę linguę, ac secutus Bessarionem Græcum Cardinalem in Italiam, magna cum laude ibi & docuit suam Philosophiam, & homines Græce doctos uicissim audiuit, lustrauit bibliothecas, inquisiuit optimos autores, ut Ptolemæo, quem illustrare cupiebat, situm & squalorem detergeret. Itaq; magna uarietate monumentorum nos instruxit, enarrauit autores ueteres, difficiles artis quæstiones agitauit, ædidit tabulas, ut posteritas retinere artis possessionem posset. Porro doctos homines intelligere decet, quantum sit beneficium, tradere doctrinam de motibus cœlestibus. Amissa enim uera anni descriptione, qualis barbaries, quantæ tenebræ in historijs, religionibus, imò in omnibus uitæ actionibus secuturæ essent? Quare Regiomontano gratiam omnes gentes debent, nosq; ipsius causa Franciam, in qua tantum ingenium natum est, magis amare decet. Cumq; hæc natio minimum habeat seruilium ingeniorum, in studijs etiam ostendit ingenuitatem, odit sordes & aucupia, quæstus

in literis, ac plurimi amplectuntur honestas artes, doctrinæ ac ueritatis amore. Ideo multi apud nos etiam in ijs artibus excelluerunt, quæ uulgo iacent spretæ, quia non faciunt, ut dicitur, πρὸς τὰ ἄλφιτα. Et quoniam nostri sunt in primis κοινωνικοί, eruditi non solum suæ oblectationis causa doctrinam colunt, sed liberaliter impertiunt alijs etiam ea quæ didicerunt. Virtutem esse ducunt, operam ad propagandas & conseruandas artes conferre. Itaque nunc Schonerus magno cum labore prouehit Mathemata. Quàm multos in hac parte Philosophiæ excellentes Noriberga genuit? cuius ciuitatis genius peculiariter fauere huic Philosophiæ uidetur. Clari sunt æditis monumentis Pircamerus, & alter Vuernerius, quem uere artificem fuisse, eruditissimæ ipsius obseruationes de motu octauæ sphæræ testantur.

Sed dicam de alijs artibus. Poeticam in Germania excitauit primus Conradus Celtis, natus in nostra Francia: qui cum uenam haberet satis fœlicem, & esset expolitus ijs literis, quibus ad carmen cõponendum opus est, nõ contentus uulgari eruditione, adiunxit Philosophiam, & cum excitandæ iuuentutis causa, tum uero etiam erudiendæ, passim refersit sua poemata Physicis & Astronomicis locis. Hæc argumẽta uel præcipue conuenire poematis recte sensit, norat enim uetera exempla Hesiodi, Empedoclis, Arati, Manilij, uiderat & luculentum poema recens Pontani. Quare & sibi & patriæ honestum fore putauit, si & ipse in uersibus Philosophiam complecteretur.

Habuit recentior ætas Poetam summo ingenio Hutenum, qui nisi immatura morte extinctus esset, ad scribendi

bendi facultatem plus eruditionis & iudicij adhibitu-
rus erat. Sed quanta in eo uis ingenij & naturæ ubertas
fuerit, ostendunt & in inueniendo acumen, & in expli-
cando uerborum splendor & copia.

Prætereo plurimos, quorum eruditio & ipsis decus,
& patriæ ingentes utilitates attulit. Sed facerem iniuste,
si non in hac commemoratione laudum patriæ, com-
plecterer præceptorem meum, Ioachimum Camera-
rium, præsertim cum non solum eius studia, sed etiam
optimi mores exemplo nobis esse debeant. Neminem
enim uidi, in quo magis luceret id, quod proprie uoca-
tur ἀθικὸν, hoc est, quædam à uera ratione profecta in
omni actione moderatio, quàm in isto. Cum & iusticia,
reuerentia religionis, & continentia eximia præditus
sit, tum uero maxime eminet in eo amor ueritatis, quæ
uirtus homine Philosopho maxime digna est. In disci-
plinis uero totum orbem artium complectitur, nemo
ex nostris hominibus Græce doctior est. Quare pari fa-
cultate Græce & Latine, carmen & solutam orationem
scribit. Et hanc scribendi facultatem consumit non in
materijs uulgaribus, sed Philosophicis, edidit eruditissi-
ma poemata, Aæoliam & Phænomena. Quanta au-
tem uirtus est, quod hanc suam industriam confert ad
publicam utilitatem, & ad iuuanda studia, & ad or-
nandam Christi Ecclesiam? Ac ne quidem in cæteris
rebus deest eius officium Reipublicæ. Cum prudentia
& diligentia excellat, multa ciuilia negocia sustinet.
Hunc & in instituenda studiorum ratione, & in mori-
bus imitandum nobis proponamus. Neque enim mi
nus ornamenti literis addidit ipse uitę sanctitate, quam
ei peperit eruditio. Porro nimis prolixa futura esset

oratio,

oratio, si recensere omnes conarer. Quare & si prætereo cæteros, tamen animo tacitus ueneror omnes, qui aliqua egregia uirtute de hominum uita, & de patria bene meriti sunt.

Hæc de Franciæ laudibus collegi, nihil detrahens de aliarum gentium gloria, quare ut meam orationem boni consulatis, uos etiam atq; etiam oro. Existimabo autem me non exiguum operæ precium feciſſe, si quis hæc encomia audiens, magis amabit Franciam uel propter cæteras dotes, uel quia tot lumina doctorum uirorum, qui de omnibus gentibus bene meriti sunt, genuit. Cumq; nomen Francicum initio multis gentibus commune fuerit, hæ laudes ad alias nationes etiam aliqua ex parte pertinent. Itaque opto, ut alant mutuam inter nationes beneuolentiam, non accendant odia, quę debent abeſſe à Germanis, quos ipſa appellatio Germanitatis cum ad candorem, tum ad fraternum amorem adhortatur.

Dixi.

DE MISERIIS PAEDAGOgorum Oratio.

IN Aesopi apologis queritur apud Iouem asinus de suis ærumnis, quotidianis se operis confici & enecari: sed est querela pædagogorum de suis miserijs iustior profecto, si res ad calculos reuocetur, quàm asini. Quis enim ullo in pistrino asinus tantum mali pertulit, quantum mediocris pædagogus in uno atq; altero docendo tum laboris exhaurit, tum molestiæ perpetitur? Quo in genere uitæ, quia mihi aliquandiu uersari contigit, & experiri quàm sit calamitosum, libuit in præsentia de pædagogorum miserijs dicere, & communia mala nostri ordinis deplorare: Est enim quædam in malis uolupras, libere conqueri, sicut Ouidius ait cũ scripsit:

Expletur lachrymis egeriturq; dolor.

Proinde cum alios æquis animis de alienis negocijs dicentes audiatis, & mihi quęso meam agenti fabulam, uerumq; dolorem repræsentanti operam date. Et si ille apud Terentium, cum dicit, hominem se esse, nihil humani alienum abs se esse, recte iudicauit, humanum esse alterius miseria affici, debetis profecto & uos uice mea cõmoueri, & querelam meam patienter audire, mihiq; ueniam dare, sicubi diutius iusto in commemorandis malis nostris cõmorari uidebor: Nam ubi dolet, aiunt, ibi manum quisq; habet. Ego cum per inopiam ingenij sentirem me nil hucadferre posse, quod magnopere delectaret, & me quotidianæ uitæ consuetudo huius argumenti admoneret, gessi scilicet meo dolori morem, & hanc materiam sumpsi pro uitili tractandam. Ex qua

equidem nõ ingenij laudem, sed in hac carnificina quæ dam curarum solatia captabam, plane mihi requies, nõ fama petita est. Nec me sinebant hæc mala diligentius elaboratam orationem huc adferre. Sed dum dolori obsequor sine ordine incondita pleraq; effudi, idq; con donabitis, opinor, mihi facile, si qua miseratio mei tan get. Neq; enim uacabat animo sic occupato uerborum habere accuratiorem delectum. Sed exordiar aliquan do causam, quam animus meminisse horret, luctuq; re fugit, & querar apud uos de conditione pædagogo rum, quo genere hominum nulli mihi, ne quidem in er gastulis udentur in fœliciores. Primum enim cum tra ditur pędagogo puer docendus, & ad humanitatem ac uirtutem informandus, uidete quæso quàm duram pro uinciam plenamq; miserrimi laboris ac periculorum ca piat. Non ante matura ætas pueri uidetur ut mittatur in ludum literarium, q̄ cum domestica indulgentia corru ptus est, & uitia tum intelligit tum degustauit, is nõ mo do nullum amorem literarum aut admirationem, sed acerrimum erga illas odium, contemptum pręceptorũ, turpissima exempla domo adfert. Cum eiusmodi mon stro præceptori decertandum est. Si doceas, peregrina tur animus pueri, et ut optime succedat, sexcenties idem inculcandum est, dum illi inuito hæreat in animo: cum paululũ modo despexeris, rursus ex animo illa omnia toties decantata puero effluunt. Si reddere cogas quæ didicit, tũ uero uideas plane ludibrio haberi pręcepto rem. Nam puero, ut est contumacia, uoluptas est admi sisse aliquid, quod urat & exerceat pręceptorem. Si quis cogatur docere camelum saltare, aut asinum fidibus lu dere, nonne illum egregie miserum dicas, qui frustra

maximum

maximum laborem sumat? At id tolerabilius est, quàm nostros pueros docere. Nam ut nihil promoueas in camelo aut asino exercendo, certe illi nulla iniuria cumulant molestiam. At isti belli pueri cum strenue defatigarunt nos, quàm sunt insuper in nos contumeliosi? Inuenias qui palam ausit conuitium facere præceptori, & manus auriculas imitatur mobilis albas. Et eiusmodi mores domo ad præceptores adferunt, nihilo reuerentius antea parentes tractauerunt, quàm nunc magistros tractent. Et paulatim uertit in naturam mala consuetudo, ut corrigi & emendari hæc uitia nunquam possint. Quid est si non hæc est miseria, perpetuis curis ac labore in docendo frustra consumi et enecari? Deinde pro tuis meritis etiam ludos deliciasq; & quidē puero fieri? Pingunt apud inferos Sisyphum immane saxum in aduersum montem uoluere, quod tamen è summo iam uerti ce rursum labitur, & plani raptim petit æquora campi, significariq; scribunt eo commento, irrito labore multos mortales confici. Mihi multo clarius repræsentari uideretur inanis opera, si pingeretur ibi pædagogus cū eiusmodi puero, qualē paulo ante descripsimus. Quanto enim maius negocium est pædagogo cū Sisypho, nec tamen maius operæpretium fit. Illius in uersando saxo simplex labor est, & cura uacat, pædagogi uide mihi cū multiplex negocium sit. Nunquam nisi coactus à præceptore puer librum in manus sumit: ubi acceperit, oculi atq; animus expatiantur. Ibi tanquam calcaria adden da quæ admoneant officij. Enarrat aliquid præceptor, iam illi delicato somnus obrepit, & securus in utranque aurem dormit, dum se pædagogus dicendo rumpit. Nouum ibi negocium fit pædagogo expergefaciendi

discipuli. Dictata repetuntur, experrectus adolescens iu betur adijcere animum ad ea quæ traduntur, uerum nō est cura Hippoclidi, foris est animus tanq; in alio mundo, in ganeis, in alea, in pernicioſi sodalitij ludis. Tantū abest, ut meminisse aliquid studeat, ut eam legem quæ de conuiuijs extabat apud Græcos, μισῶ μνάμονα συμπότλω. ipse de scholis latam putet, & incisas non in æs, sed insculptam animo circumferat μισῶ μνάμονα μαθήτλω. Itaq; si postridie dictata reposcas, quia perfluxerūt aures omnia, nil tenet. Ibi magistro redit labor actus in orbem. Orditur pristinam cantilenam, nec semel repetit, donec isti truncо unum atq; alterum uerbum infligatur. Quis est tam cornea fibra, qui non stomachetur, tantum operę se perdere, præsertim cum interea & ualetudinis iactura facienda sit? Nam atteruntur & labefiunt corporis uires, non modo dicendi labore, sed etiam cura doloreq; animi, quem, quia non respondent nostræ diligentiæ studia puerorū, indignitas rei parit. Seculum in his miserijs consumitur, dum iste primas literas didicerit. Nec putet se iam defunctum esse pædagogus, hæc tantum nostræ Tragœdię præludia sunt, restat Epitasis multo ęrumnosior. Infinitus labor est, os puerile formare, & ad Latinam linguam assuefacere: Nam cū lingua expoliatur consuetudine bene loquendi, eamq; ad rem disertorum commertia multum momenti adferunt, primum, ut est negligentia, conuertunt ex proximo, hoc est, à patria lingua omnem sermonem, Latine loqui, quia id difficilius erat, ne quidem conantur. Deinde quia sui similibus delectantur, eruditorum commertia procul fugiunt. Apud unum præceptorem Latino sermone utendum est, ad quem cum uentum est, Dij immortales

mortales, quale spectaculum cõmittitur? Puer aliquan diu in statuę modũ prorsus mutus est. Postea ubi se colligere cœperit, ac meditari uerba, quia animus perturbatus est, oculi superciliaq; peruertuntur, si uideas, dicas comitiali morbo arripi: peruertitur & os uelut Cynico spasmo fœdissimo rictu. Post ubi diu secum luctatus est, tandem uocem ędit. Sed ne deprehendatur, si quod forte existet solœcum, stridet obscure. Quidam ingeniosi sunt in postrema syllaba & casu dictionis obtuendo ne percipiatur. Iubet præceptor clara uoce pronunciare, ille iterat & uerba cadentia tollit. Exaudit iam prœceptor, sed nihil nisi uerborum portenta. Nec autores qui prælęguntur redolet sermo, nec cum Grammaticis præceptis conuenit. Hic demum sentit se miserum esse pædagogus: Nam cum ex studijs puerilibus non alius fructus petatur, quàm ut expedite loqui possint, hic uidet sibi operam & oleum in dicendo perire, in tam prodigiosa discipuli infantia. Sed quantæ difficultates exorbendæ sunt, dum huic uitio mederi studet? Dissimulandus ei dolor animi, iracundia reprimenda est, comitate puero perturbatio animi sedanda, blande inuitandus est ad loquendum. Sępe trahendi longius de industria sermones, ut consuetudinem Latine loquendi puero faciat. Hæc una res cum plus satis adferat molestię, tamen multo magis exercet præceptorem stylus, quem, ut Latina lingua fiat puero familiaris, adhibendum esse uidet, ut usu scribendi confirmatus tuto loqui possit. Non enim unum remedium ad excutiendum istum ueternũ puerilibus ingenijs satis est. Sed cum nihil perinde ad parandam quàm uberrimam sermonis copiam conducat atq; assiduus stylus, non alium laborem tamen perinde

recusant susc̃ipere atq; scribendi. Nihil est opus hic recenſere causas: Etenim nota uobis natura hominum nostrorum. Immane quantus labor est perpellere, ut uel toto semestri unum epistolion scribant? Ego uero comperi non aliam crucem nobis esse acerbiorem, q̃ cum istis cessatoribus quotidie rixari, cum officij monentur. Neque uero unquam cogi potest, ut unum uersum scribat, nisi præceptor adsideat, dictet argumentum, suppeditet uerba. Iste cum inueniendi cura uacat, tum ægre dictata excipit. Sero hac consuetudine eò promoueris, ut suo Marte conetur scribere, si tamen unquam conatur. Nam illum crede uirgula diuina ad uirtutem incitari, qui uel sero per sese conatur aliquid componere. Quis nõ malit in pistrino molere, q̃ hanc tam molestam plenamq; stomachi peruicaciam gerere? Sed fac istum tandem cœpisse scribere, plurimum operæ in emendatione scriptorum ponendum est. Est enim sceleratus præceptor qui hac in re cessat, si Horatio credimus, qui negat bonum uirum esse, qui cum censor fiat alieni scripti, uitia non reprehendat, Est enim notus uersiculus:

Vir bonus & prudens uersus reprehendet inertes.

Primum autem in corrigendis sermonis uitijs oculatus præceptor non simplicem laborẽ sumit, dum Grammatica errata mutat, dum obscure & ambigue dicta perspicue explicat, dum impropria corrigit, dum horridis addit nitorem, & figuris illuminat, & gratiora blandioraq; facit. Porro relegere inepte scripta puerorum molestum est quamuis patienti præceptori, quanto magis emendatio fatiget? ptęsertim cum plerunq; ratio etiam cur quippiam mutarit, indicanda sit. Tum castigandi acrius qui negligẽtius scripsere, hortandi alĩ ut inceptũ cursum

cursum urgeant. Neq; uero tantum sermonis uitia mon
stranda sunt, sed in his qui iam nonnihil promouerunt,
rerum etiam habenda ratio, & uoluntates regendæ.
Quosdam enim conuitia delectant, in alijs est ridicula
uanitas, & inanis iactantia, & ferè mores stylus arguit.
Hæc uitia cum uires accipiunt, nec è teneris animis euel=
luntur, hærent in senibus summa cum turpitudine. Ex=
pendite quæso, constent hæc mediocribus præceptori=
bus, uel si dociles habeant discipulos, & tamen nostris
ferè aut ingenia desunt, aut deest uoluntas discendi. Du
plicatur autem labor, cum summa ui ad officium cogen
di sunt. Nam ut in acie parum fœlix Imperator, si mili=
tes habeat primum ignauos, deinde quos non pudeat
fugere, postremo qui nõ obtemperent, sed pugnent in=
iussi, locum capiant ex suo arbitrio, non seruent ordines:
Etenim apud Thucydidem egregius quidam Impera=
tor dicit ad bene pugnandum requiri, ut uelint milites,
ut fugere pudeat, ut obtemperent Imperatoribus: Ita in
hac scholastica militia miserrimis curis præceptor con=
ficitur, cum docendos susceperit, qui primum non fla=
grant ulla cupiditate discendi. Nihil enim in omni uita
egregium effici potest, nisi animus studio eius rei quam
affectat, ardeat, & ad eam magno quodam motu atque
impetu rapiatur. At nostri turpiter frigent in discendo,
nec accendi ulla ratione possunt, magis cogi uolunt tan
quam pecudes. Deinde nec laudis amore nec pudore
extimulantur. Porro cum hominum naturę proprie pu
dor insitus sit, quid esse nostros pueros dicã, quos adeo
non pudet insciticę? ego uerius monstra hominum dixe
rim, quàm qui mutilis membris aut cæci nascuntur. Est
enim leuius malum, mutilo pede esse, quàm humana

mente

mente carere: Isti enim simpliciter humana specie beluinas mentes tegunt, quos in re turpissima flagitiosissima q; sui nihil pudet. Postremo nunquam quisquã tam fœlix præceptor fuit, cui ita obtemperarit discipulus, ut præscriptam discendi rationem secutus sit, ut ad hos autores euoluendos alligari se passus sit, in quibus eum solis uersari atq; commorari tanq; domi suæ præceptor uolebat, ut ad tempus scripta absoluerit, ut ea quæ edidicit statis horis memoria repetiuerit, ut sermone castigatore apud sodales usus sit. Nostri quidem nihil horũ præstant, in carcerem se includi citius patientur, q; in uno autore detineri. Varietas grata est illi ætati. Itaq; uaria, sed plerunq; deteriora legunt, si tamen aliquid legunt. Iam fodere malunt quàm memoriam aut linguã exercere. Sic sunt pueri in genere, alij magis, alij minus ignaui. Nam etiamsi quis indole generosa est, tamen ea ætate parum in animis roboris est. Et quemadmodum longus labor est infantiũ corpora firmare, gestando, alijsq; mollibus exercitijs, sic infantia ingeniorum non nisi seró curatur, postquam diu summa comitate docueris & adsuefeceris, nec aliter tractaris atq; suos alumnos nutrículæ tractant. In tanta inertia istorum, cogitate quid animi præceptori sit, nimirum idem quod Imperatori, qui abiecta uictoriæ spe, intelligit hosti salutem, tum suam tum patriæ scelere exercitus sui proditam esse. Consumitur acerbissimis curis, uidens tam male locari grauissimos labores in iuuentute formanda.

Dixi hactenus de ærumnis, quas in docendo tantum perferimus, restat altera officij nostri pars longe difficilior superiori, cura regendorum morum. Quid ibi mali non uidet præceptor? Primũ ætas illa natura ad uitium

propensior

propensior est. Et Plato scripsit, nullam beluam intracta biliorem esse puero. Itaq; tantopere sudabit præceptor in regendis his, qui domi summa diligentia parentum ad religionem & ad bonos mores instituti sunt, ut leonem aut ursum experiatur facilius posse gubernari, q̃ hos. Et tamen in scholas quotquot ferè mittuntur, pessimos mores, turpissima exempla adferunt, ut refingendi sint de integro. Est autem difficilius, praua quę semel insederunt, dedocere, quàm recta docere. Scitis enim Musicũ illum gemina mercede docuisse, qui ante sub alijs magistris male assuefacti erant. Pugnamus ergo cum ingenijs puerilibus, quæ per sese ferocissima sunt, præsertim in Germanis, & domestico usu corrupto. Videte enim istos bonos parentes, quorum multi se Euangelicos uocant, cum in ea ætate prima esse tradendæ religionis cura debeat, hi ne quidem sacras preces, Decalogum & hoc genus alia domi docent, pleriq; parentes contemptum religionis docent. Tam corruptum hoc nostrum seculum est, ut iure possis dicere, deceptum esse Satyricum, cum dixit:

Nil erit ulterius quod nostris moribus addat
Posteritas.
Omne in præcipiti uitium stetit.

Neq; enim dici potest quanta accessio scelerũ omnis generis, nuper adeo ad uetera uitia facta sit. Domestica disciplina perijt, quæ tamen nobis pueris erat mediocris. Magna diligentia domi tradebantur elementa pietatis. Nunc alia res est, ridentur sacra, eamq; summam sapientiam ducunt. Et quia Dei metus exemptus est animis puerorum, ruitur in omnia uitia, quorum ego iam memoratione non delector. Proinde cum in scholam

uentum est, necesse est sumi in docendis primis pietatis gymnasmatis operam. Sed quid discerent infecti ante impijs opinionibus? Sed ut mediocriter succedat, tamē in officio retinere quantus labor est? domi retinere, arcere à corruptis sodalibus, à ganeis, ab alea, & reliquis similibus? Hoc qui potest, illum ego non hominem, sed planè Deum quendam cœlitus in terras publicæ salutis causa delapsum esse pronunciauero. Mille artes excogitant pueri fallendi præceptoris. Et in pluribus tantus furor est, ut palam contemnant imperium. Quia enim à literis perpetuę ferię sunt, ocium & docet & alit uitia. Est enim ueriſſima sententia, quam reliquit scriptam Columella in pręceptis quę patrifamiliàs pręscribit, Nil agendo fieri, ut homines male agere discant. Iam ubi domo tanquam è carcere refractis repagulis fugerit adolescēs, miserrimę curę subeunt animum præceptoris. Quæ ille in fabula Mitio sibi uenire in mentē dicit de filio, eadem præceptorem sollicitum habent, ne ille uspiam ceciderit, aut perfregerit aliquid, aut uulnus acceperit, & hoc genus alia: Quare iam cogitat sibi summa ui coercendū esse discipulum. Et cū hactenus à plagis abstinuerit, hic demum ad ferocitatem castigandam promuntur uirgę. Nam nostri homines nō nisi plagis coacti, sicut de Phrygibus in prouerbio est, imperata faciunt. Hic ille miser supra tot mala carnificinam cogitur exercere, rem miserrimam, quæq; uel in primis noceat ualetudini nostræ. Nemo enim tam ἀπαθὴς est præceptor, quin ex contumacia adolescentium commoueatur, quemq; non perturbet in uerberando impetus? Quid iam de cura ualetudinis puerorum dicam? quid de sumptibus moderandis? quid de rationibus sumptuum perscribendis? quę, ne

quę, ne nimis longum faciam, cogor omittere. Etenim

Non mihi si centum linguæ sint oraq; centum,
Omnia curarum percurrere nomina possim.

Postq; præceptoris labores recensui, nũc uidete quę uicissim pro his tum merces tũ gratia redeat. Hæc uero est Tragica catastrophe: Superiora omnia ludũ & iocũ dices fuisse, prout hęc mala sunt quę restãt cõmemoranda.

Primum merces adeo est exigua, ut Satyricus ea de re questus scripserit:

Pœnituit multos nanq; sterilisq; cathedrę.

Iure sterilem cathedram dixit: Nam fossorem pluris q̃ præceptorẽ conducũt. In his miseriis algemus, uiuimus siliquis & pane secundo, & uix nos à fame defendimus. Videtis enim meã maciem, uidetis ut lacer incedã, quẽ si fortuna feciſſet uel bibliopolã, scitis qualesit id genus, ego iam auro onustus incederem, tanq; aliquis Satrapa.

Deinde summa ingratitudo puerorum est, qui non modo nullum se à nobis beneficium accipere dicũt, sed neminẽ peius de se mereri arbitrantur q̃ nos. Qui nihil discunt, nos perinde ut literas accerrime oderunt uelut suos carnifices. Quidam alij leuiter degustatis literis, cũ iam aliquam induant eruditionis persuasionem, sic placent sibi (nam id solet ea ętas) ut præceptores nihil mo-rentur, seq; iam ad summũ fastigium eruditionis peruenisse putent, ubi ex alto nos despiciant. Et nõ modo nõ uident q̃ curtam habeant supellectilem, sed ne id quidẽ expendunt, quibus acceptũ ferre debeant id quantumcunq; est quod didicerunt. Nec ego interea recito q̃ uaris contumelijs nos adficiant, ut suspendant naso, postcis sannis petant, si quid moneamus. Videte quęso q̃ misera conditio nostra sit. In eam ætatem beneficia nostra

collocantur, quę nondum benefacta intelligit, tantum abest, ut mutuo amore nos cõplecti, aut gratiam habere pro nostris officijs queat: Sic pereunt nobis beneficia nostra magis q̃ ullis mortalibus. Nam etiam cũ senuere discipuli, quia beneficij memoria, non solet esse diuturna, nemo iam præceptorũ meminit, quidam etiam malam gratiam reddunt, ut Nero fecit. Neq; puerorum parentes pluris nos faciunt q̃ ipsi pueri. Non expendunt depositam à se liberorum curam nobis imposuisse. Tota enim regendi docendiq; pueri prouincia nobis tradita est plena sollicitudinibus & periculorũ. Ipsi domi suę secure suum negocium agunt. Et iam cum mercedulam dederint, ut exprobrãt nobis suum beneficium? Si quid recte fecit filius, nihil laudis adscribitur præceptori. Si quid peccauit, accusatur præceptor. Diogenes cum adolescentis gestũ in edendo reprehẽsurus esset, pędagogo impegit colaphũ. Sic isti, quicquid peccãt liberi, transferunt culpã in præceptores. Talis gratia nobis summis laboribus & curis redditur. Si quis huc cõferat pro nostris oĩa uitę genera, inueniet in nullo tantũ calamitatũ quantũ in nostro, planeq; affirmare ausim, nos oĩm mortaliũ longe ærumnosiores esse, qui cũ summos labores obeamus, in summa tamen inopia uitã ægre traducimus, & interim nullo non contumelię genere adficimur à discipulis, ab illorũ parentibus, deniq; ab his, de quibus præclare meremur. Neq; quisq̃ opinor uestrum est tam ferreo pectore, qui si hęc consideret, uehementer misericordia nostri cõmoueatur. Supersunt autem multo plura mala, sed ego defessus sum hac cõmemoratione, & rempus uetat prolixiorem esse orationem. Itaq; ut finiam, sunt mihi in hoc extremo actu discipuli nostri commonefaciendi

nefaciendi, ut quoniã audierũt sua uitia accusari, ignauiam, contemptũ literatũ, amorẽ uoluptatũ atq; ocij, ingratitudinẽ, admoniti à nobis dent operã ut hæc emendent, ita & nobis minuetur labor noster, & ipsi domum summa cũ laude redibunt, & adferent egregium instrumentũ rei familiaris cõseruandę, dignitatis cõparandę, & Reip. gerendę. Nam cũ uacui domũ redeunt, quid accidit? quia nihil didicerũt, nullius usus sunt in Rep. domiq; cũ summa ignominia uiuunt. Deinde quia in ocio multa uitia contraxere, ea hęrent in illis, potant, amant, latrocinantur, ut publicũ odium urbis fiant. Exitus autẽ his moribus respondet, alij inter pocula occidunturr, alij suas fortunas in alea perdunt, alios perdidere amores. Possem infinita exempla recitare, si sineret tempus. Sic enim Deus pœnam sumit de his, qui primũ Deo autore adhibiti ad discendũ, nõ faciunt suũ officiũ. Nam quod parentes iussere, id Deus tanq; sua iussa fieri uoluit. Deinde malam gratiam bene meritis præceptoribus reddũt. Noli enim putare ullum esse scelus, quod perinde offendat Deum, atq; ingratitudo: sic enim scriptũ est, Fore ut non recedat malum à domo ingrati. Quantũ autẽ Doctoribus debeatur, tum inde existimari potest, q; in uicẽ parentũ succedũt, & illorũ affectus erga pueros induũt, tũ etiam Paulus cõmonet cũ ait, Duplici honore dignos esse Doctores. Proinde si cupitis ut fortunet uobis Deus uniuersum uitæ uestrę cursum, date operã, ut uicissim ea præstetis quę ille à uobis exigit, ut gnauiter obeatis prouinciam uobis à parentibus cõmissam, et ut præceptores uestros amanter cõplectamini, & religiose colatis, ut & nostra studia & nostrum amorem erga uos augeatis, & mala nostra uestra commoditate mitigetis. Dixi.

DE VTILITATE FABVLARVM Oratio.

NOn dubito, quin ut quisq; modestissimus est, ita maxime miretur, idq; merito, quid mihi puero, nondum primos oblito uagitus, in mentem uenerit, cur hic in corona doctissimorum iuuenum dicere constituerim. Neq; uero ipsi frontis adeo perfrictę sumus, ut in hoc auditorio, uel mutire ausimus, ni cogant honestissimę rationes. Nam cum huc prodire turpe sit, nisi cum eloquentia, tũ autoritate, locum cũ decoro tueri possis, uerererq; fore ridiculus, si tale quiddam hac ætate susciperem, quę quid possit, quantum sapiat, nemo ignorat. Iam ut eruditionem non desideres, primam in puerilibus ingenijs laudem uerecundia meretur, in qua ni sentiam q̃ longo absit hæc theatrica ostentatio, nę ego planè stupidus sim. Sed uicit has rationes præceptoris mei autoritas, qui de ingenio meo periculum facturus, hanc dicendi prouinciam iniunxit, quam si recusassem, parũ pius uideri potuissem. Sic enim existimo, præceptori uel in re iniqua probũ adolescentem parere oportere. Itaq; malui quiduis uideri, q̃ præceptorum autoritatem detrectare. Quæ pietas mea, facile, ut spero, me ab omni calumnia liberabit, impetrabitq; à uobis, ut boni consulatis, quòd nonnullo meo periculo præceptori morem gerere studeo. Interim quo me cõsilio periclitari uoluerit, ipse uiderit. Iussit autem, ut de fabularum laude dicam, quod argumentũ in speciem quidem puerile est, & huic ætati aptum. Cæterum si quis propius contempletur, intelliget ei prudentissimorũ hominum eloquentiam

uix parem

uix parem esse. Quæ enim literarum, quæ uitæ pars non aliquid à fabula mutuatur? Sed nos pro ingenij nostri modulo rem agemus, modo puerilem orationem audire non sit molestum. Efficiam autem, ni spes me fallat, ut intelligatis, non aliud genus literarum utilius esse repertum, q̃ fabulas. Quod ut uerisimile fiat, primum causas aperiemus, cur à maioribus cõfictas esse iudicemus. Videbant illi cõmunẽ mortales conditione, non corporibus modo, sed animis etiam imbecillibus nasci, eamq; legem, opinor, ita sanxit natura, ut educandæ tuendæq; sobolis curam in parentibus augeret. Os primum inerme & edentulum est, sero admodum lingua, manus, pedes officium suum facere incipiunt. Estq; tanta in tenero corpusculo imbecillitas omnium membrorum, ut ni uagiret infans, uiuere penè nesciretur. Et huic corporis modo singulari beneficio natura conuenientẽ alimoniam in maternis uberibus cõdidit, quod solidioribus cibis nõ statim os firmum sit. Itaq; materno lacte infans tantisper alitur, dum uiriculę firmiores factę, solidiorem cibum admittant, suntq; autores Medici, qui integro biennio solo lacte alendos censent, paulatim postea solidioribus datur, nec ille tamẽ aliquandiu, nisi præmansus. Iam & alumnę manu infantis ore interitur, priusq; huius manus officio suo fungi potest. Omitto quanta industria, quantaq; cura collocati in cunas in crepundijs gestari soleat, ut mẽbris habitus suus, lineamentisq; decor aliquis paretur. Atq; hac corporis conditione, falsor ego, nisi natura uelut spectaculo quodam animorũ imbecillitatem adumbrauit, monuitq; quanta cura excitari, instituí, ac erudiri rudes puerorum mentes uelit. Est enim & sua his infantia: Videmus q̃ sero agnoscant domesticos

mestícos etiam, spéq; metúq; uacant, nullo rerum absen
tium sensu tanguntur. Proinde sapientes uiri naturę uim
propius contemplati, haud equidem sine mente reor,
sine numine diuum, uiderunt animis suo quodam lacte
opus esse. Quęso te, nonne ridiculus fuerit, si quis infan
tem anniculum per urbes aliquot circũferat, prędpiarq;,
ut illarum situs, item hospitum nomina accurate obser
uet, meminerit q;, ut domum rediens, æqualibus recense
ri possit? Ad eum modum ineptire iudico, qui talia pue
ris proponunt, quę captus illorum nondum assequitur.
Est omnino ueritate nihil uenustius, nihil amabilius,
sed longius à conspectu, & ab oculis hominum recessit,
quàm ut cerni temere, agnoscíq; possit. Suntq; pueriles
animi ad eam tanquam per gradus quosdam ducendi,
inuitandíq; uarijs illecebris, ut subinde propius conside
rare liceat rem quidem omnium pulcherrimã, sed heu
nimium obscuram ignotamq; mortalibus. Et perinde
atq; qui se ab infantibus amari uolunt, sacharo aut simi
libus rebus inuitant, ita lenocinijs quibusdam commen
danda ueritas est, & rudibus animis insinuanda. Excoo
gitarunt itaq; prudentissimi homines fabellas, quæ pri
mum admiratione excitarent, ceu ueternum quendam
dormientes puerorum animos. Quid enim magis no
uum nobis uidetur, q; lupum cum equo, leonem cum
uulpecula, quercum cum cucurbita hominum more col
loqui? Taciti apud nos miramur, qui sensus, qui sermo
bestiarum fuerit: paritq; hæc admiratio uoluptate quan
dam propius cognoscendę rei, iuuatq; discere, quam ob
causam hęc conficta sint. Ibi paulatim animus excitatus,
erigit se in contemplationem rerũ humanarũ, & agno
scere uirtutum uitiorumq; discrimina incipit. Deinde
altius

altius insidunt, cum uerbatum sententiæ eorum argumentorum, quæ cum admiratione excepimus, & uelut aculeos relinquunt in animis, quibus accendimur cura quadam perueſtigandarũ earum rerum, quę nouo commento tradita sunt. Hoc opinor consilio, primum confictas fabulas, quod nulla dicendi ratione excitari supinæ puerorum mentes citius posse uiderentur. Fortasse hoc etiam agebant fabularum autores, ut amœnis argumentis ingenia puerorũ mitiora redderent: Ineſt enim in ea ætate, sicut in recentibus pomis, acerbum quiddã, & ferum, quod nisi humaniore institutione corrigatur, in barbariem quandam & beluinam sæuitiam abit. Videmus enim hoc docendi genere usos esse quondam grauissimos & sapientissimos homines, quod nunc quanto malo publico è scholis exulet, non facile dixerim. Homeri Poetæ prudentiam tantopere mirantur eruditi, ut supra cõmunem mortalium sortem uehant, planeq; sentiant, diuina quadam ui mentem illius percitam fuisse. At is pueris, quos in Græcia passim docebat, bellum ranarum & murium scripsit, ut simul teneros animos lepidissima fabula delectaret, simul doceret quantum præstaret dissimulare quàm ulcisci iniuriam, quàm sint incerti turbarum ac bellorũ omnium exitus, nec raro accidere, ut ab inferioribus potentiores uincantur, sæpe malum omne in autoris caput uergere. Nam cũ mures nonnulla sanè iniuria prouocati, armis illam uindicare q; dissimulare mallent, nimiumq; suis uiribus aduersus imbelles ranas fiderent, donarunt superi uictoriam imbellioribus, et belli autores pertinacię sue iustissimas pœnas dederunt. Quæso quid æque retulit puerilibus animis inseri, atq; odium bellorum ac turbarum,

tolerantiæ ſtudium, & hoc genus alias humanitatis artes? Heſiodum tanta fuiſſe prudentia apparet, ut carmē eius diuinum uideri uoluerint, qui ſenſerunt eum calamis à Muſis acceptis uatem eſſe factum. Is uero cū perſuaſiſſimum ſuis ciuibus eſſe uellet, nihil fœdius, nihil immanius eſſe uiolentia ſeu iniuria, rem ipſam uelut in tabula depinxit, compoſito de accipitre & luſcinia apologo. Docebat hic quoq; Græcam iuuentutem, & non ſunt contemnendi ſcriptores, qui Aeſopicas fabulas ab ipſo confictas prodiderunt

Dixi quo cōſilio putem repertas eſſe fabulas, poteſtq; ex hoc uelut fonte precium earum & utilitas æſtimari. Neq; enim tam prudentes uiri fabularū autores his nugis unquam delectati fuiſſent, niſi ad erudiendas puerīles mentes, plurimū conducere ſenſiſſent. Quid, quod non modo pueris, ſed celeberrimis etiam ciuitatibus fabulæ ſalutares fuerunt. Cum plebs Romana cum patribus diſſideret, ſeceſſumq; eſt in ſacrum montem, nec ſæuiore ulla oratione flecteretur, miſſus eſt Agrippa, qui uniuerſam multitudinem lepido apologo, de uentre, & reliquis hominis membris, ita cepit, ut ſtatim liberet in gratiam cum patribus redire. Demoſthenes grauis Orator, cum Macedo ea conditione cū Athenienſibus fœdus facturus eſſet, ut illi Oratores ſibi dederent, qui perpetuis concionibus animos ciuium aduerſus ſe exacerbarent, iniquiſſimam conditionem Reipub. feſtiuo quodam apologo diſſuaſit, quanquam ab ea non ita multū plebs diutino bello uexata abhorreret. Nam cū docere uellet in hoc poſtulari Oratores, ut urbs deſtituta Oratorum præſidio, Regię tyrannidi pateret, mira lu ce & perſpicuitate, Macedonis conſilium ante oculos

multitu-

multitudinis posuit hoc commento: Lupos quondam cum pastoribus pactos esse, nihil se posthac hostile cauſis illaturos esse, si sibi canes dederentur. Placuit stultis pastoribus conditio, canesq; dediti sunt. Proinde ubi lupi uiderunt excubias caularũ sublatas esse, libere grassari in gregem cœpere. Hæc fabula cum docuisset quanti referret Oratores seruari, Rempub. tantisper seruauit, dum hoc consilium ualuit. Miram quandam fabulæ uim inesse, uel hæc exempla testantur: Necesse est enim efficacissimam orationem fuisse, quæ implacabiliter iratis ciuibus Romanis arma è manibus extorsit, quæ Athenienses grauiter afflictos adduxit, ut quanquam una uoce pacem omnes flagitassent, bellum tamen & pacem mallent. Eat mihi nunc aliquis & prædicet uel Mercurij uirgam, qua finxit uetustas animas orco euocatas esse, uel Orphei cytharam, qua syluas & saxa traxisse ferunt, mihi quidem non minus admiranda esse Musica uidetur, qua cõcitatæ multitudinis uis sedatur, atq; ea quę bestias & saxa demulsit, & haud scio, an qui illa de Mercurio Orpheoq; finxerunt, significare uoluerint peculiari quodam dicendi genere rudes mortales & feros adhuc mansuefactos esse. Quod si uerum est, consentaneum est id apologo effectum esse, quo orationis genere facillime capiuntur imperitorum mentes. Certe qui populis suis legem condiderunt, multa apologis simillima posteris reliquerunt. Quid enim illa Lycurgi scena? nonne apologum repræsentabat, cum exemplo duorum catulorum doceret, naturam & ingenitam uim institutione ac assuetudini uinci? Non libet hic peregrinas leges, peregrina instituta recensere, cum in sacris literis tam multum extet apologorum, ut satis appareat, ipsum cœleste

numen ita iudicasse efficacissimum hoc orationis genus, ad flectendos hominũ animos esse. Quæso te, quæ potest laus amplior contingere apologis, quàm quod eos cœleste numen etiam approbat? Iamdudum, opinor, puerilium uos nugarum pertædet: Et ego partes meas esse sentio, ne diutius uos obtundam: Quanquam mihi quidem adeo arridet argumentum, ut nulla unq̃ oratione arbitrer satis laudari posse. Quod est enim dicendi genus, in quo perinde cum summa utilitate summa gratia coniuncta est? Vere nimirum dixit Horatius, Omne tulisse eum punctum, qui miscuit utile dulci. Quæ enim oratio, mores, studia, ingenia hominũ propius expressit quàm apologi? idq̃ tanta cum gratia, ut nullis epodis incantari citius hominũ mentes possint, q̃ cupiant apologi. Proinde æquales meos adhortor, si qua orationis meæ est autoritas, ut ad discendos apologos se toto pectore conferant. Sunt qui nescio quibus obscuris autoribus tractandis ingenia atterunt, & magno labore desipere discunt. At apologi fœliciſſime excitant, exhilarant, & erudiunt pueriles mentes. Ad hæc cum extent Latinę, orationẽ etiam uelut molliore quodam succo alunt. Adeo siue moribus formandis præpta quæris, siue recte loquendi exemplum,

nulli commentarij præstiterint

utrumq̃, q̃ apologi,

fœlicius.

Dixi.

Præfatio

PRAEFATIO IN HESIODVM, Phil. Melanch.



Vod in Plautina fabula histrio præfatur, iustam se rem uenire oratum & facilem, id ego multo rectius hoc in loco præfari possum, dum non ut ille ioculare adulterium in scenam adfero, sed grauissima uitę præcepta, quosdam etiam de natura rerum, de syderum ortu & occasu locos. Decreui enim Hesiodi ἔργα & ἡμέρας enarrare. Id ego poema postulo, ut summa cura diligentiaq; studeatis cognoscere. Qua in re, & nihil iniquum, aut indignum uobis, aut ab officio alienum flagitem, quanq; uidere uos magna ex parte existimem, exponã tamẽ mei consilij rationem. Ego semper operam dedi, ut eos autores uobis proponerẽ, qui simul & rerũ scientiam alerent, & ad parandam sermonis copiam plurimum cõducerent. Nam hę duę partes cohærent, & sicut Horatius inquit, amicè coniurarũt, ut altera alterius opem ferat ac nitatur. Neq; enim benedicere quisq;, nisi pectus cognitione optimarũ rerum instructum habeat, potest, & rerum scientia manca est, si lumen orationis adhibere non possimus. Et ut ad certa sydera nautę cursum omnẽ dirigunt, ita in his nostris studijs hucomnia referenda sunt, ut & scientiam recte de mõribus, deq; natura rerũ iudicandi & explicandi res graviores, mediocrẽ quandam facultatem nobis paremus, utilem uero ad utrunq; Hesiodum, quanquam rustici autorem carminis, Quintilianus esse iudicauit. Prior operis pars tota est ἠθική, continens uitæ ac morũ leges, profuturas uobis ad consuetudinem uitę, & ad iudicandum de cõmunibus humanitatis

manitatis officijs, nam de religione non dico. Quod si putamus lũrisconsultorum commentarios, aut Philosophorum disputationes discendas esse, ut in ciuilibus negocijs facilius prospicere possimus, quid ęquũ quid iniquum sit, & ex istorũ literis colligenda esse simulachra iusticię, æquitatis, aut aliarum uirtutum censemus, iuuet eadem ab hoc Poeta petere, ex quo permulta mutuati sunt illi ipsi legũ scriptores & Philosophi. Et est quædá ex fontibus illa, si possis haurire, uoluptas,

Nã quáq; sapor est, (ut ait Ouid.) oblata dulcis in unda,
Gratius ex ipso fonte bibuntur aquæ,
Et magis adducto pomum decerpere ramo,
Quam de cælata sumere lance iuuat.

Nam & reliqui scriptores, qui morum prȩcepta & leges tradidere, propter infantiam & sermonis inopiam uim uirtutis ac formam germanam nõ potuerunt nobis ob oculos ponere. At Hesiodus expressam quandam imaginem uiuis illustratam coloribus, nec adscititio uitiatã fuco, planeq; talem, qualẽ Appellis color in fabulis spectandam exhibet. Porro ut architecti tenent in animo inclusas certas formas ædificiorũ, quas imitentur in ædificando, & ut insidet in mente pictoris species pulchritudinis eximia quędam, quam intuens, in eaq; defixus, ad illius similitudinem artem & manum dirigit, ita & nos oportet formam quandam uirtutis animo insculpere quam cõtemplemur, & in consilium adhibeamus, quoties de moribus, deq; hominum officijs iudicabimus, id ita fiet, si optimarum autorum præcepta diligenter cognouerimus, & ex illis certam quandam omniũ officiorum rationem collegerimus. Et ut ferunt Zeusem cũ Helenam Crotoniatis pingere decreuisset, ex omni numero

mero uirginum eius urbis quinq; delegisse, ad quarum exemplum Helenam pingeret, Ita ex lectissimis autoribus debemus certam rationem uirtutis excerpere, quæ consilia omnia nostra regat & gubernet. Mihi autem in primis ad eam rem utilis Hesiodus uidetur, quia inter gnomologos scriptores citra controuersiam principem locum tenet. Neq; enim nuda præcepta tradit, sed aliàs in encomijs uirtutis, aliàs in insectandis uitijs commoratur, & quod officiosissimũ est ad absterrendos animos hominum à turpitudine, grauiter & religiose docet, diuinitus bonos præmia pro benefactis ferre, improbos scelerum suorum pœnas luere. Animaduertit enim prudentissimus uir, natura nos duci, ut statuamus numine quodam hæc mortalia gubernari, esseq; Deum iniuriæ ultorem, & bonorum assertorem. Itaq; multo grauius de moribus præcipit Hesiodus, q̃ Philosophi ulli, qui ceu gigantes in fabulis cœlum excindere conati, Deum ab administratione rerum submouent, & religione animos hominum liberant. Diogenes dicebat Harpalum, qui prędo fœlix illis temporibus habebatur, cõtra Deos testimonium dicere, quod in illa fortuna tam diu uiueret. Quanto φιλοσοφώτερον Hesiodus docet prope adesse Deos hominibus, ac uidere malefacta nostra? Vos quæso ametis hoc poema, & familiare uobis faciatis, quod quidem diuinũ esse, uel hoc argumento sit, quod ferunt Hesiodo pastori calamos à Musis donatos esse, quibus iam afflatus cecinit hæc præcepta. Apparet ex Ciceronе solitos olim sic pueros ediscere, ut certas preculas nostri pueri docentur. Et Græci tanti fecere, ut in Helicone adseruarint in plumbo descriptum poema.

Hactenus de prima Hesiodici carminis parte. Posteriot

rior magna ex parte φυσικὴ est, de natura terræ ac frugum, de tempestatibus, de syderum motibus, quarũ rerum perliberalis & iucunda cognitio est. Nam cum hominum causa, & ad usus nostros hæc rerum natura condita & fabricata sit, flagitium est uelle totius pulcherrimam ædificij rationem contemplari, præsertim cum ea cognitio plurimum momenti adferat ad ualetudinem conseruandam, & ad pleraſq; alias uitę partes regendas. Quis est tam ferreus, quem si in theatro sedeat, cum ludi fiunt, nõ aliquando incessat spectandi cupido? & cum nullum spectaculum, nulli ludi, plus uoluptatis aut utilitatis adferre spectatori possunt, q̃ hęc naturæ uarietas, mihi rectius uiua cadauera q̃ homines uidentur appellandi, hi qui neq; mentem, neq; oculos ad naturæ consi derationem cõuertunt. Postremo ad parandam scientiam bene dicendi, non parum confert Hesiodus, nam lectis uerbis utitur, quæ tempestiue usurpata, & orationi dignitatẽ adferunt, & scientię pondus addunt. Quantum putas accedit orationi grauitatis hac auxesi penè tragica, cum Reges διοτρεφέας appellat? quàm grata compositio est χαροδίκαι? Sunt hoc genus sexcentę figurę, quas non libet hic enumerare, ne quid amittant gratię ex integra oratione, uelut à corpore membra auulsa. Quid de tota orationis structura, deq; sententiarum figuris dicemus? quæ tantopere probantur Fabio, ut huic decernat in mediocri genere dicendi palmam, & Princeps Latinorum Poetarum Virgilius, & Ouidius lectissimos locos in sua opera transtulerint, iudicarintq; non leue ornamentũ inde accedere suis poematis. Reddet haud dubie & nostram orationem locupletiorem & uberiorem, nec male collocabit operam, si quis ad

Græcum

Græcum exemplar, ea quæ nostri inde excerpserũt, con tulerit, nam illa utriusq; linguæ proprietas certius depre hendetur, & figuræ uerborum & sententiarum animad uersæ clarius cernentur. Profuerit etiam, si locum aliquem floridiorem tuo Marte Latinis uersibus exposueris, quæ exercitatio dici nõ potest, quantum acuat iudicium, quantum item ad alendam sermonis copiam, & cõparandam scientiam explicandi rẽs obscuras faciat: Sed hęc inter enarrandum obiter monebimus. Quærat aliquis, quid hęc tota ratio discendi ad pietatem conducat? Est in promptu quid respondeam, ad immutandã mentem, imbuendaq; religione nihil conducit, nam id efficit cœlestis spiritus per sacrum sermonem, sed ad cognoscendum sermonem sacrarum literarum, Græcis literis opus est: deinde ut de sermone rectius iudicemus, & ut dogmata religionis enarrare & explicare, quoties poscit hoc publicus usus, possimus, uarie subigendum est ingenium, & omnibus disciplinis excolendũ. Nam ut neglectis filix innascitur agris, ita in ingeniis nisi reputgentur elegantiore literatura, uelut inutiles herbæ natę, uim mentis omnem strangulant & enecant, ne aut pernidere res obscuras aut publicare, & in apertam lucem proferre queant. Magna quædam uirtus est eloquentia, & ut ille in Tragœdia dixit, rerũ domina, quo de obscuris rebus ordine ac dilucide dicamus. Ea nemini sine magno usu earum artium, quæ humanitatis appellatione continentur, uariaq; exercitatione contingit. Hæc mea ratio est, cur has artes profuturas etiã studiis religionis existimem, qua de re non dicam hic longius, ne uidear ὄνος κρέμβιν, quod dicunt, adferre, cum aliàs hanc causam egerim. Vos autem quantum possum hortor, ut

quemadmodum initio dixi, constituatis ipsi uobiscum, quem fructum ex studijs petere uos cõueniat, & ut eam rationem studiorum ingrediamini, unde plurimũ utilitatis ad uos priuatim & ad Rempub. redit.

Est aliquid quo tẽdis, inqt Pers. & in qd̃ dirigis arcũ,
An passim coruos sequeris testaq; lutoq;,
Securus quo pes ferat atq; ex tempore uiuis.

Ita mihi multi postquam bonam uitæ partem in studijs consumpserunt, nondum expendisse uidentur, quid agant, aut qua in re collocent laborem, quam messem à studijs expectent, ea uero non simplex insania est, fitq; ut dum diu didicere, nihilo certius de religione, deq; alijs rebus iudicent, quàm uulgus. Et siquando Respub. uocem uel consilium eorum flagitat, tum uero magis muti sunt quàm pisces. Verum ut uiator primum constituet, quo habeat iter, ita nobis in studijs ante omnia erat de fructu studiorum deliberandum: Postea ineunda ratio compendiaria peragendæ fabulæ. Ita cognoscendi legendiq; scriptores omnes, ut de religione, deq; natura teneamus certum quiddam quod promamus, quoties usus uitæ poscit, & paranda est copia sermonis, quam possis, cum aliqua res controuertitur, explicare animi sensa. Hunc putate scopum studiorũ uestrorum propositum esse, ad quem omnes cogitationes animorum uestrorum dirigatis.

Dixi.

PRAEFATIO IN HESIODVM, à Francisco Vinariensi recitata.

CVm de enarrando Hesiodo deliberarem, inter cæteras difficultates quas mihi id negocij susceпturo propositas esse intelligebam, in mentem hoc quoq; ueniebat, non defuturos esse, quoniam nõ ita multo ante is Poeta in hac schola luculenter enarratus est, quibus, si relegeretur, fastidium repetitio adferret. Video enim nõ aliter atq; uulgo aiunt, nouas cantiones gratissimas esse, ita uos auidissime ad eos autores cognoscendos, qui minime noti ac peruulgati sunt, confluere. Quanquam igitur uerebar, ut acceptur esse tis poema, quod gratiam nouitatis paulo ante exuit, tamen confirmauit me eorũ iudicium, de quorum consilio Hesiodum enarrandum suscepi, qui quod eius Poetæ cognitionem maxime frugiferam & liberali ingenio dignissimam esse statuebãt, sæpe relegendum esse iudicabant. Nam cum magnam utilitatem habeat relectio, & diligentius expendantur, & altius introspiciantur ea quæ retractamus, sunt enim, ut scitis, Δευτέραι φρουτίδες σοφωτέραι, fore arbitrabantur, ut neminem pœniteret, Hesiodum ex interuallo regustasse & propius cognouisse, cuius de omnibus officijs tam honesta præcepta sunt, tam multæ sententiæ, quę ad abditas & abstrusas in natura res cognoscendas faciunt, ut nunquam de manu deponendus uideatur. Nam qui numerat potius quàm longum catalogum autorum audierit, quàm supputat quid ex quoq; lucrifecerit, is sciat se in studijs infœliciter uersari. Neq; uero

multum utilitatis adferre scriptor ullus potest, semel tantum uelut à limine salutatus. Et Hesiodum ueteres non tantum putauerunt semel atque iterum legendum esse, sed ediscendum omnibus pueris, qui liberaliter instituebantur, ut Columella testatur, proponebant. Ego igitur his causis adductus sum, ut susceperim hũc Poetam rursus interpretandum. Sed quoniam cupio uobis etiam persuadere utilem operam uos in eo repetendo sumpturos esse, aliquanto latius huius mei iudicij ratio mihi exponenda est, & dicendum, quomodo legere ueterum scripta conducat. Qua de re dum dico, quæso me diligenter attendite. Nam qui in discendo nihil aliud consilij habent, nisi ut multa legant, hi mihi tanquam uia lapsi, toto cœlo errare uidentur.

Proinde sic statuo, paucos quosdam, eosq; optimos ex illo magno librorum numero eligendos esse, quibus à prima pueritia innutriti, omnes eorum sententias, ut digitos ac ungues nostros, teneamus, & sermonem eorum, quàm proxime fieri potest, nostra oratio referat ac redoleat. Animaduerto autem hanc orationem in reprehensionem quorundam imperitorum, qui uarietate lectionis doctrinæ famam aucupantur, incursurant esse, quime desidiam iuuentutis nouo quodam paradoxo alere uociferabuntur, cum audient me uariam & multorum lectionem improbare. Ego uero si quam nouam legem nullo autore, sine grauibus testibus ferrem, iure culpandus essem. Neq; enim uel ætas mea uel eruditio, uel autoritas eiusmodi est, ut sumere mihi apud uos præcipientis personam ausim: uerum ea quæ à doctissimis uiris tradita meminimus, quæq; mediocri harum literarum, in quibus uersamur, usu cognouimus, in medium

uero legere se putet autorem is, qui obiter tantum inspexerit ac salutauerit. Nam quemadmodum aiunt, amici sensum deprehendi non posse, priusquam cum eo multos salis modios ederis, Ita diu multumq; habendus est in manibus autor, iterum atq; iterum euoluendus, dum fiat satis familiariter notus, dum illius sententiæ, illius uerba sic insideant tibi, ut cum opus est, non procul accersenda aut quærenda sint, sed ultro se tibi offerant. Contra, quemadmodum immodicus cibus, quia concoqui non potest, in crudos humores degenerat qui nō modo non alunt corpus, sed naturalem etiam succum strangulant, Ita cum multa legeris fortassis fiet, ut confusaneam quandam doctrinam tibi compares, sed illa magis hebetabit ac obruet ingenium quàm perpoliet. Nihil enim certi, non res, non uerba, in tanta uarietate lectionis reliquum tibi facies. Verba undequaq; emendicanda erunt, quoties dicere institueris, quorum mira dissimilitudo erit, neq; magis inter se similes sententiæ erunt ex uarijs locis autorum nullo iudicio aut delectu transscriptæ. Deniq; in tota oratione uelut ęgri somnijs uanæ fingentur species, ubi non pes non caput uni est. Cum igitur hæc incommoda secum afferat illa tumultuaria lectio, quid tandem rei est, cur non ingrediamur meliorem aliquam legendi rationem? cur non doctissimorum hominum præceptis obtemperemus? Neque enim ignota est uobis sententia Plinij præcipientis, ut suicuiusq; generis autores diligenter eligantur: multū enim ut ait, legendum est, non multa, quod sic accipiendum esse nemo dubitat, sæpe multumq; eadem esse relegenda, nec esse distrahendum animum uarietate autorum. Idem monet Seneca, certis enim ingenijs, inquit,

immorati

uero legere se putet autorem is, qui obiter tantum inspexerit ac salutauerit. Nam quemadmodum aiunt, amici sensum deprehendi non posse, priusquam cum eo multos salismodios ederis, Ita diu multumq; habendus est in manibus autor, iterum atq; iterum euoluendus, dum fiat satis familiariter notus, dum illius sententiæ, illius uerba sic insideant tibi, ut cum opus est, non procul accersenda aut quærenda sint, sed ultro se tibi offerant. Contra, quemadmodum immodicus cibus, quia concoqui non potest, in crudos humores degenerat qui nō modo non alunt corpus, sed naturalem etiam succum strangulant, Ita cum multa legeris fortassis fiet, ut confusaneam quandam doctrinam tibi compares, sed illa magis hebetabit ac obruet ingenium quàm perpoliet. Nihil enim certi, non res, non uerba, in tanta uarietate lectionis reliquum tibi facies. Verba undequaq; emendicanda erunt, quoties dicere instituetis, quorum mira dissimilitudo erit, neq; magis inter se similes sententiæ erunt ex uarijs locis autorum nullo iudicio aut delectu transcriptæ. Denicq; in tota oratione uelut ęgri somnijs uanæ fingentur species, ubi non pes non caput uni est. Cum igitur hæc incommoda secum afferat illa tumultuaria lectio, quid tandem rei est, cur non ingrediamur meliorem aliquam legendi rationem? cur non doctissimorum hominum præceptis obtemperemus? Neque enim ignota est uobis sententia Plinij præcipientis, ut suicuiusq; generis autores diligenter eligantur: multū enim ut ait, legendum est, non multa, quod sic accipiendum esse nemo dubitat, sæpe multumq; eadem esse relegenda, nec esse distrahendum animum uarietate autorum. Idem monet Seneca, certis enim ingenijs, inquit,

immorari

immorati ac innutriti oportet, si uelis aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat. Nō Delphicū ullum oraculū uerius esse experiemini, si uestra studia ad calculos uocabitis & ratiocinabimini, quantū lucri attulerit aliquādo unus autor ter aut quater relectus, & ad id conferetis ea, quę ex multis alijs libellis obiter inspectis in animo hęserunt. Intelligetis enim multo uberiores fructus uos ex uno illo libro, quàm ex reliqua tota bibliotheca percepisse. Accedit huc, quod sicut alias artes imitatio docuit, ita in his nostris studijs, nisi ad aliquod certū exemplar dirigamus animū, nihil efficiemus dignum laude. Videtis enim eos qui sculpere, qui pingere, qui cantare discunt, eligere aliquem magistrū, cuius esse quàm similimi studeant. Neq; uero exigunt hanc diligentiā inferiores artes, & non flagitant eandē hę maximę uitę & regendarū Rerumpub. artes, in quibus uos uersamini. Nō enim satis intelligitis quid oneris sustineatis, si nō cogitatis has literas ad quas adhibiti estis, comparandas esse tum ad priuatā uitam recte instituendā, tūad ciuitates regēdas, adiudicia tenēda, ad religiones conseruandas, deniq; ad omnes uitę partes gubernādas. Quare si alię mediocres, et tanquā secūdę classis artes percipi nō possūt, nisi ad certa exemplaria manus dirigatur, quāto minus has difficiliores cōsequemur, nisi proposuerimus nobis aliquem ad imitandum, quem tota mente atq; toto animo intueamur, qui regat omnia consilia nostra, uel in dicendo, uel etiam in rebus gerendis. Nonne grauissimus Poeta Vergilius, cum significare uellet, quæ esset optima ratio Principis ad eximiam uirtutem instituendi, fingit Euandrum adiungere adolescentem filium Aeneæ, & præcipere gnato, ut inde à prima puericia

Aeneam

Aeneam effingere & imitari studeat. Sic enim ad Aeneam ait, cum illi puerum commendat:

sub te tolerare magistro
Militiam & graue Martis opus, tua cernere facta
Adsuescat, primis & te miretur ab annis.

Sensit enim Poeta artem illam imperandi, unã omniũ longe præstantissimam, neminem adsequi posse, nisi se ad alicuius summi uiri imitationem totum componat, cuius dicta, facta, consiliaq; omnia ob oculos posita habeat, ad quæ suum ipse cursum dirigat. Quanquam autem hæ nostrę artes dignitate longe infra bene imperandi scientiam positę esse existimentur, tamen difficultate illi pares esse nemo dubitare potest, si modo expenderit, quanti negocij sit, tam multarum rerum cognitionem, præterea mediocrem quandam facultatem dicendi & exponendi, quæ recta esse perspexeris, parare. Est enim profecto una de difficilimis artibus uel mediocris eloquentia. Quare si in leuioribus artibus sine imitatione effici nihil potest, eloquentiam ne putabimus nos sine illo adminiculo consequi posse? Ciceroni non uidetur: Nam apud hunc Antonius ante omnia præcipit, ut eligamus aliquem, cuius nos similes esse uelimus, & summa contentione animi effingamus, atq; imitemur in illo ea quæ maxime excellunt. Quod si igitur imitatio tantopere necessaria est, nec imitari quenquã possimus, quem non penitus notum habeamus, non relinquitur dubium, quin diu legendi sint aliquot optimi libelli. Vt enim qui semel oppidũ aliquod prætrectus est, non omnes urbis uicos, non ciuitatis mores, non hominum loci eius ingenia statim didicit, ita consilia ac sententias, aut sermonis compositionem in autore, qué

semel

semel percurristi, nõ statim animaduertere potuisti, sed diu in eo cõmorandum est, si uoles altius introspicere. Iam ut eius aliquam similitudinem adsequaris, ut uerba illius in promptu habeas cum opus est, ut sermonis compositio non sit illi absimilis, hoc uero sine perpetua lectione effici non potest. An nõ uidemus pictores cum uultum alicuius depingunt, quàm sæpe respiciant ad exemplar? quàm cõtentis oculis omnes lineas contemplentur? Ita nobis nunquam deijciendi oculi erunt ab eo autore quem perdiscendum in manus accepimus, quemq; imitandum esse aliquo modo duximus. Non disputo nunc de tota imitandi ratione, sed hoc monere tantum uolui, oportere nos in his studijs nostris habere certas quasdam sententias semper ob oculos, ex quibus uel de moribus uel de rebus alijs iudicium faciamus, & ad quas referamus nos, quacunq; de re disputabimus. Deinde quædam struendæ componendæq; orationis tenenda forma est & character, similis ueteri & pure Latino sermoni, quorum utrunq; deest istis, qui unum hoc studium habent per omnes autores graſſandi. Nam cũ sine delectu omnes sententias congerant, nõ potest fieri, ut habeant certas aliquas propositas, quas in iudicando sequantur. Deinde citius tota rerum natura mutabitur, quàm fiet ut iusta orationis structura utantur hi, qui non ad aliquorum ex ueteribus imitationem sese contulerint. Itaq; uidemus eorum orationem, qui quanquam multa legerint, tamen in componenda oratione, cum nullam ueterem formam imitantur, persimilem esse mendici pallio, cui passim lacerato, omnis generis panniculi assuti sunt. Nam tota istorum oratio ex dissimilimis & uerbis & sententijs congesta, aliàs longas habet

circunductiones, aliàs abrupta quędam & mūtila membra, aliàs obsoletas & ab ultima antiquitate petitas figuras, quas non intelligat si reuiuiscat ipsa Euandri mater, aliàs uocabula noua & in media barbarie nata. Porro cum illa dissimilitudo obscuritatem pariat, & maximū uitium orationis sit obscuritas, quis tale dicendi genus non oderit? quis non fugiendum uelis, ut ita dicam, & remis sentiat? Quæ cum ita sint, quis non fateatur satius esse, paucos scriptores, sed optimos subinde legere, eosq; familiarissimos nobis facere, quàm tumultuaria lectione per omnia bibliopolia uagari, præsertim cū hoc nitij habeat ea res, ut in multos malos libros opera collocetur, unde uelut contagione aut prauas opiniones, aut corruptum sermonis genus contrahas, quæ postea dediscere immensi negocij est, præsertim si statim rude & recens ingenium infecerint. Nam si motus corporis nitiosus, qualem in Alexandro notauerunt, consuetudine duratus, corrigi postea nulla ratione potest, quæ spes est ex animo pernicioſas opiniones, cum iam alte radices egerunt, euelli posse, aut emendari sermonis uitia, quorum naturam tibi feceris? Danda igitur opera est statim ut optimis imbuamur, & perinde atq; uenena cauenda sunt & procul arcenda, quæ sunt optimis dissimilia. Habetis mei consilij rationem, cur ut quisq; autor optimus est, ita sæpissime relegendum esse existimem, quod quisquis sequendum sibi esse statuet, is re ipsa experietur unam hanc esse ad solidam eruditionem comparandam uiam, aliorū uero laboribus ac uigilijs fructum minime respondere. Sed cum Hesiodum semper doctissimi homines plurimi fecerint, ex eo genere autorū mihi esse nisus est, qui non semel tantū inspiciendi sunt:

Quare

Quare eum, quanquam non planè ignotum uobis relegendum sumpsi. Neq; meum consilium reprehendetis, opinor, si cogitabitis, quantas utilitates, tametsi exiguus libellus, adferre queat. Et quia principio in omnibus negocijs constituendum est, quæ utilitas ex unoquoq; genere laboris petatur, nos quoq; monebimus, quid expectare ac flagitare commodi ex Hesiodi lectione debeatis. Est enim ex omnibus autoribus uel uerborum uel rerum scientia petenda. Hesiodus autem Græce discentibus magnum uocabulorum numerum suppeditat. Et quoniam alicubi hilariores descriptiones cõtinet, etiam hi qui Latine discunt ab eo quædam honesta exempla copiosi sermonis, & rationem quandam ornandarum sententiarum mutuari possunt. Nam & si lingua diuersa sit, tamen uoluntate Græcis Latini, in disponenda, amplificanda, atq; illustranda oratione similes sunt. Itaq; duo summi apud Latinos Poetæ, Vergilius & Ouidius, non modo locos eius quosdam imitati sunt, sed multos uersiculos penè ad uerbum expresserunt, quorũ exempla nos commonefaciunt, quomodo ad nostros usus, non tantum certi quidam flosculi ex huiusmodi autoribus decerpendi sint, sed in omni sermone inueniendo prudentia, in explicando proprietas, perspicuitas, & copia, in disponendo diligentia imitanda sit. Sed de hac parte quia satis dici, nisi inter enarrandum conferantur Latina cum Græcis, & omnes figuræ digito ostendantur, non potest, nolo in præsentia longior esse, sed in interpretatiõe uelut in re præsenti indicabimus, quos locos hinc sumpserint scriptores Latini, & quid imitari, quidq; excerpere ipsi debeamus. Etenim tametsi adpateat propter utilia præcepta magis q̃ propter uerborum

ornatum in admiratione hoc poema fuisse, tamē quan tumuis res salubres nemo legisset, nisi cōmendationem quandam habuissent ex genere sermonis, & gratiam elegantia carminis addidisset. Neque profecto uetusta tem ferre potuisset, nisi rerum grauitati uenustissimum genus uerborum tanquam illecebras quasdam adiunxisset. Non est autem obscurū quantum amarint Gręci hoc carmen, quanta cura adseruauerint, quia Pausanias ait se uidisse in Helicone antiquissimum monumentū plumbeas tabulas, in quibus hoc poema scriptū fuerit. Sed uenio ad alteram partem, & exponam quid ad rerum scientiam lectio eius conducat, in qua profecto nō minus quàm in uerbis elaborandum est. Quia non modo inanis est oratio, nisi res honestas et utiles contineat, sed etiam copiam omnem dicendi rerū scientia genuit. Non Dij tantū mali permittant, ut cadat in eos eloquentia, qui nulla uirtutis præcepta, nulla officia, nullas uitę leges, nullas religiones norūt, quiq; nullam naturalium causarum ac euentuum cognitionem habent. Nam & Horatius eum qui à rerū cognitione non satis instructus est, negat idoneum esse ad scribendum, cum ait:

Scribendi recte sapere est & principium & fons.

Et multis uersibus exponit postea, quarum rerum scientiam requirat in eo, qui se disertum perhiberi uelit. Proinde ita inducite animum, ut sentiatis uobis in hoc curriculo studiorum, primum magnam quandam & copiosam uerborū supellectilem parandam esse, ut explicare, cum de grauibus rebus alij docendi à uobis erunt, cum dignitate res obscuras, eisq; lumen addere possitis: deinde etiam omnium rerū percipiendam doctrinam esse, quæ tum ad nostram uitam recte instituendam,

tum ad

tum ad orationem illustrandam conducunt. Etenim cum aut de natura rerum, aut de moribus, aut de religionibus in hac ciuili uitæ consuetudine sæpe docendi sint homines, erit planè ὃν & πρὸς λύραν, is, qui quanquam mediocris uerborum copia in numerato sit, tamen res non satis perspectas & exploratas habet. Neq; enim dicere quisquam de re parum nota perspicue potest, ut & apud Platonem Socrates inquit, & sæpe monet Cicero, & Horatius cum ait:

Verbaq; prouisam rem non inuita sequentur.

significauit, fieri non posse, ut se ultro magno numero offerant uerba, nisi causam bene meditatam habeas. Quod cum ita sit, non sunt prætermittendi libri, qui de rerum natura, aut de moribus præceperunt. Neq; tamē legendi omnes, sed eligēdi optimi, quiq; alere eloquentiam possint, quia ferè in barbaris scriptoribus non tantum sermonis spurcicies, sed etiam alia uitia sunt. Pleriq; res quas profitentur non satis notas habuerunt, pleriſq; ratio docendi defuit, & si rerum peritia nō defuerit, qua de re nunc longius dici nō potest. Hesiodi autem prior libellus totus ἠθικὸς est, posterior dum agriculturæ præcepta tradit, ortus & occasus syderum, multaq; alia quæ ad naturam cognoscendam faciunt, complectitur. Requiretis igitur ex priore libello morum præcepta, quoniam nisi certis legibus & sententijs moniti & adsuefacti, honesta à turpibus discernere didicerimus, & ample cti ea quæ decent, fugere contraria conemur, recte instituui uita non potest. Honestissimæ quæq; grauissimæq; de omnibus officijs sententiæ ob oculos esse positæ debent, ad quas omnes uitæ partes, uelut ad Cynosuram cursum suum nautæ dirigunt, comparemus. Sed quo-

niam Hesiodi præcepta quibusdam ideo parum probantur, quia gentilis homo uidetur aliena & pugnantia cum nostra religione docuisse, hic error uulgo eximendus est. Quanquam autem longior est illa disputatio, quàm ut hic explicari tota possit, tamẽ iudicaui operæprecium me facturum esse, si exponerem quæ uis sit, quæq; autoritas eorum præceptorum, quæ tum Hesiodus, tum alij multi sapientes & docti uiri cum animaduertissent, nobis à natura proposita esse, deprehensa exposuerunt, & in literas retulerunt, ut commonefacerent eos, qui propter infirmitatem ingeniorum aut ætatis, aut etiam consuetudine in tot malis exemplis depraua-ti, cernere ipsi eadem non possent. Proinde sic statuemus, nihilo minus diuina præcepta esse ea quæ à sensu communi & naturæ iudicio mutuati docti homines gentiles, literis mandarunt, quàm quæ extant in ipsis saxeis Mosi tabulis. Est enim in confesso humanę menti diuinitus insculptas esse quasdam leges de moribus, quales sunt: Neminem lædendum esse: colendos esse parentes: bene merentibus habendã esse gratiam: Magistratibus parendũ esse: alendos & defendendos esse eos qui nostræ fidei commissi sunt: pacta seruanda esse. Has cum sani quidam homines deprehensas offenderint imperitis, quid est cur non & uocemus diuinas leges, & pareamus eis tanquam diuinæ uoci? Neque ille ipse cœlestis Pater pluris à nobis fieri eas leges uoluit quas in saxo scripsit, q̃ quas in ipsos animorum nostrorum sensus impressérat, quasq;, ut Paulus ait, in cordibus hominũ scripserat, de quibus sic inter se omnes homines consentiunt, ut nulla tam fera barbaries sit, nulli tam perdite mali, qui non & sentiant & fateantur recta esse

esse, quæ illæ sententiæ præscribunt, quicq; cum non obtemperarunt, non ipsi peccatum accusent ac damnent suum, quicq; non uereantur numen existere aliquod, cui uel si nulli unquam mortales resciscant factum, pœnas daturi sint. Nulla tam immanis natio est, quæ non tacita maleficos, crudeles, ingratos oderit ac aspernetur, probetq; ea quæ societatem inter se generis humani deuinciunt. Nam & hos qui hospites mactant, qui senes patres trucidant, qui nullam coniugiorum fidem colunt, si admoneantur, natura fateri cogit, indigna se hominibus facere. Iam in his qui sibi alicuius flagitij cõscij sunt, cruciatus & terrores tanti mentẽ exagitant, ut adpareat diuinã quandam uim esse, quæ admissi sceleris pudere cogat, quæq; impendentis supplicij metũ incutiat. Sunt igitur in humanis animis certæ de moribus leges, quæ tum priuatam uitam regunt, tum constituere ac tenere Respub. iudicia exercere, & societatem hominũ defendere docuerunt. Et ut fatemur nos diuinitus conditos esse ac propagari, ita dubitare non debemus, quin è cœlo in hanc uitã attulerimus illas uitæ leges, & illos igniculos, qui & ostendunt honesta, & admonent semper præesse numen & inspectare omnia hominũ consilia ac facta, deq; sceleratis supplicij sumere solere. Paulus alicubi huiusmodi sententias ueritatem Dei adpellat, cum uellet significare has opiniones non errore quodam à maioribus per manus esse traditas, nec temere uel obrepsisse nobis, uel in animis hærere, sed adeo mentibus nostris infixas esse, ita, ut eiici aut erui nulla ui possint. Ego cum expendo autoritatem harum legum, & animaduerto, quàm religiose coli eas Deus postulet, commoueor profecto, & earum scriptoribus magis capior: agnosco

agnoſco enim non ſine mente, ut ille ait, ſine numine diuum, hęc ab illis nobis uiuendi præcepta tradita eſſe. Quare non ſatis intelligunt horum ſcriptorum conſilia, qui non perſpiciunt unde tot honeſta præcepta, tot graues ſententiæ manarint. De religione aliter docent nos Chriſtianæ literæ, ſed de ciuilis uitæ conſuetudine, cõmunibus naturæ præceptis parere nos Chriſtus uoluit: Neq; uero nihil ad Chriſtianum pertinet ciuilis uitę conſuetudo. Non ſunt igitur prætermittenda, ſi qua docti & periti homines ea de re monuerunt. Nullius autem Philoſophi cõmentarios Heſiodo prę ferri uelim, tanta eſt & grauitas in docendo & ſimplicitas. Illi ſępe, dum ad uiuum omnia reſecare ſtudent, dum odioſe rixantur, altercando ueritatem amittunt. Nam, ut alia omittam, pleriq; Philoſophorum, Deum adminiſtratione rerum ſubmouent, negantq; ei res mortalium curæ eſſe. Neq; animaduertunt, ab ipſa natura nos commoneri, eſſe aliquam mentem, quę hæc humana regat, bonos ſeruet, improbos puniat. Melius igitur Heſiodus, qui iniuſticiæ præceptis flagitioſis grauiſſimas pœnas interminatur, præmia bonis pollicetur. Venit mihi in mentem Luciani, qui, ut ſolet, per iocum cum Heſiodo expoſtulat, cur, cum pollicitus ſit ſe ſcripturum τὰ ἐόντα καὶ τὰ ἐσόμενα, præſentia & futura, nihil tamen prædixerit, nulla rerum futurarum uaticinia reliquerit. Ego uero nõ tam uaticinari duco Chaldęos illos, quos uocant, qui prædicunt, uter in alea, ſeu ludo talorum uicturus ſit, aut etiam, qui tempeſtatum uices præuident, quàm Heſiodum ex conſilijs hominum exitus & caſus coniectantem. Ea diuinatio & ex certiſſimis orta cauſis eſt, & bono uiro digniſſima, qua & multos alios & Platonem

tonem usum de Dionysio uidemus, quando calamitosum Tyrannidis exitum prædixit. Neq; aliud prędictionum genus ad uitam utilius est: cui si Nero, si Domitianus, & pleriq; alij fidem potius adhibuissent, quàm uanis promissis ariolorum, in tantas calamitates non incidissent. Nos uero cum Hesiodum audimus commemorantem, quæ supplicia improbis impendeant, non humana aliqua, sed diuina uoce nos à turpitudine abstreteri, & ad uirtutem colendam inuitari existimemus.

Dixi de argumento prioris libelli, posterior ortus & occasus syderum, & pleraq; φυσικὰ continet. Et quia solent in scholis quidam technici libelli de natura rerum proponi, quales sunt uel de sphæra commentarius, uel Aristotelis μετεώρα, uel de cœlo: uidetur mihi in his etiam aliquis locus Hesiodo tribuendus esse, quia temporum uices, ortus syderum, dierum spacia, mira diligentia annotauit, uideturq; inter primos apud Græcos Astronomiam attigisse. Nec eius artis contemnendus autor Aristoteli & Plinio usus est, qui aliquoties eius testimonium allegant. Est autem cum omnium naturæ partium, tum maxime cœlestium motuum, et syderum perliberalis cognitio. Nec mihi iniuria Plato dixisse uidetur, non homines, sed suillum pecus esse, quicunq; nullo eius artis studio tenentur. Nemo enim fuit unquã sanus homo, qui etiamsi alias artes hominum industria excogitatas esse iudicaret, nõ uideret tantam esse Astronomiæ præstantiam, ut neminem nisi Deum autorem eius & repertorem faciendum putaret. Itaq; & Manilius Ethnicus scriptor, negat potuisse fieri, ut res tam procul à nobis positæ deprehenderentur, nisi hominũ animis diuinitus monstratæ essent. Sic enim ait:

Quis foret humano conatus pectore tantum,
Inuitis ut Dijs cuperet Deus ipse uideri.

Sensit enim quandam diuinitatis similitudinem esse, illarum rerum noticiam potuisse consequi. Non libet autem hoc tempore utilitates huius artis enumerare, sunt enim propemodum infinitæ, & quædam ita sunt ob oculos positæ, ut etiam ab indoctis cerni queant.

Cum igitur Hesiodus grauissimarum rerum præcepta contineat, & ad mores formandos, & uitam recte instituendam, & ad cognitionem rerũ naturalium conducat, quis non dignissimum lectu iudicare queat? Ego uero etiam sæpe relegendum, & ad uerbũ ediscendum esse censeo. An si in excellentibus picturis contemplandis nunquam oculi exaturantur, sed quo diutius in eis hęrent, eo magis admiratio uidendiq; cupiditas crescit, quis enim nostrum, quoties in templum uenit, non toties resistit ad eas tabulas quas ibi uel Durerus, uel noster Lucas posuit, nõ idem accidat in egregio poemate considerando? Truncum ac caudicem illum profecto dicere nihil uereat, cui satis est semel aut iterum excellens & ornatum carmen legisse. Proinde, sicut apud Virgilium mirabili cupiditate ac lætitia intuetur cœlo demissum clypeum Aeneas, & argumentum in eo celatum diligenter considerat, cum quidem eum non modo operis uarietas, sed etiam illa rerum futurarũ præstigia & commouent & detinent, deniq;

Expleri nequit, atq; oculos per singula uoluit,
Miraturq; interq; manus & brachia uersat.

Ita & nos nunquam satietas aut fastidium legendi Hesiodi capiat, sed in eum assidue oculos defigite, omnes locos diligentissime excutite, & sententias eius uobis ita fami-

ita familiares facite, ut quoties aliqua de re deliberabitis, in mente uobis illa honestissima præcepta ueniant. Multum etiam sermo uester ab illo transferat, ac mutetur. Nos quidem quantum in hac ingenij atq; eruditionis mediocritate præstare possumus, dabimus operam, ne quem pœniteat nobis enarrantibus hunc Poetam operam dedisse.

Dixi.

PRAEFATIO IN AESCHINIS ET Demosthenis Orationes, Phil. Mel.

NOn ignoro equidem, quantum onus subeam, quamq; ancipitem ac difficilem rem suscipiam, cum interpretationem harum orationũ Aeschinis ac Demosthenis polliceor. Neque enim mediocris est ingenij prudentissimorũ Oratorum consilia, uirtutesq; in oratione perspicere, nec uulgaris artificis, diuinas illorum sententias, Latinis uerbis repręsentare, & tanquam imaginem aliquam Græcę orationis exhibere. Quid quod causam ipsam sine Græcarum historiarum cognitione, sine scientia legum & morum Atticorum, ne adsequi quidem possis. Nos uero pręter cæteras difficultates mira inopia commentariorum etiam laboramus. Accedit huc, quod in alijs artibus ac literis, tractatione & studijs

honestum, multa è tenebris eruta lucem accepere. Græca qui excolerent & illustrarent, defuerunt hactenus in hac natione. Quæ cũ apud me cogito, sentio equidem, in quod me discrimen conijciam, cum summorũ Oratorum laudatissimas conciones propono. Nolo autem longiore oratione temeritatem excusare, aut de mearũ uirium imbecillitate ambitiosius dicere. De animo ac uoluntate uere prædicare possum, me semper hoc spectasse, ut in hac schola studia honestarum artium excitarem. Neq; nunc ob aliam causam has orationes proposui, q̃ ut iuuentutem ad optimos autores & magistros, tum intelligendi, tũ dicendi cognoscendos inuitarem. Neq; uero alienum uidebatur, tanquam gustum illorũ facturis proponere eas orationes, quæ doctorũ omniũ consensu, omnibus in hoc genere scriptis præferuntur, è quibus, tametsi pleraq; nos fugiant, tamen possimus plurima decerpere, quibus studia nostra locupletentur. Notus est uersiculus:

Est quodam prodire tenus si non datur ultra.

Proinde spero me non difficulter à bonis uiris ueniam impetraturum esse, quod maius aliquanto negocium suscipio, q̃ hæ nostræ uiriculæ uideantur laturę: Neque enim infirmitatem meam dissimulo. Et tamẽ operam dabo, ut hanc cura, diligentia, & fide, quæ in primis in interprete requiritur, sarciam. Sed de meo consilio dicendum est parcius, quod de eo postea ex euentu iudicaturi sitis. Nunc officij sui commonendi sunt auditores, nam ut prudentes agricolæ non sumunt operam in exercendo sterili solo, ita in tractatione literarũ insania est, attingere autorem, qui nostris studijs nihil fœneret. Primum itaque constituendum est, quæcunq; ratio studiorum

diorum suscepta fuerit, quem fructum nobis polliceantur literæ. Ego uero sæpe aliàs monui, ita instituendum esse animum, ut duas has uirtutes, scientiam iudicandi de rebus humanis, & facultatem dicendi, meminerit sibi omnibus neruis parandas esse. Et ad has, tanquam ad scopum, oportet referre uigilias, lucubrationes, denique studia omnia. Nam qui aut non formarunt iudiciũ literis, ut intelligant rerum ac morum discrimina, quęq; in bonis, quæ in malis ducenda sint, aut non possunt ea quæ sentiunt, perspicuo sermone docere, hi mihi præter corporis speciem, nihil humani habere uidentur. Deinde ita inter se coniurarunt Eruditio, & Eloquentia, ut di uellere nullo modo possis. Nam & orationem rerum scientia ex se ueluti genuit, & oratio uicissim res ostẽdit. Iam cęcutire in rebus iudicandis necesse est eos, qui recte dicendi cura uacant, propterea q; nihil perinde mentẽ acuit, & excitat, atq; contentio illa & studium recte dicendi. Nõ est quod procul exempla petas. Nuper adeo qui Philosophiam profitebantur, non satis perspexerũt uim earum artium quas docebant, quia exponere perspicua oratione ea quę profitebantur, nemo conabatur. Proinde qui se ad literas discendas contulerunt, hi sibi persuadeant, & oleum, quod aiunt, & operam sibi peritura esse, nisi cum rerum scientia studium dicendi coniunxerint. Atq; hac de re aliàs diximus. Porro harũ orationum cognitio ad utrunq; multum conducit. Nam ut Philosophi præcepta de moribus tradidere, ita hæ orationes bonorum ac malorum ciuium exempla proponunt, quæ multo efficacius uirtutis studium nobis commendant, quàm frigidæ illæ præceptiunculę. Scipionem & plerosq; alios illustres uiros ait Salustius dicere

solitos, cum imagines maiorum intuerentur, uehementissime animum sibi ad uirtutem accēdi. Quę autem bone Deus marmora, quæ statuę conferri cum his orationibus merentur? quę aliàs improborum ciuium perniciosa consilia, aliàs honestas uoluntates bonorū ciuium ita depingunt exprimuntq; , ut nullius faciem imitari propius Apelles potuerit. Quare ita statuetis de his duabus orationibus, absolutissima quędam exempla, in illustri sita loco, nobis ostendi, quę cōmonefaciant, quid in communibus moribus mereatur laudem, aut reprehensionem. Nam in insectando Demosthene, ueram quandam imaginem sceleratę mentis fingit Aeschines. Contrà ille, cum uoluntatem optimi ciuis negat sibi defuisse unquam, boni uiri simulachrum sculpere uidetur. Explicantur præterea multa maiorum instituta, leges ac mores, multa exempla, quę sunt obiter causę aspersa, in his orationibus inuenies. Est enim sonus forensis huius dictionis, classico similis, & plenior aliquanto, quàm historię. Deniq; mihi uidentur omnes Reipub. gerendę rationes melius hic tradi, quàm in ullis Philosophorū disputationibus. Et cum historiam nemo non hoc nomine plurimi faciat, quod omnium ciuilium officiorū exempla tradat, quid huic orationū generi tribuemus, in quo exempla illa & consilia rerum gerendarum accuratius & copiosius? Nam cum ad pugnam hic instruatur oratio, fit, ut maiore negocio illustrentur omnia recte aut secus facta. Neq; uero præsentes tantum auditores spectabant, sed ad posteros extare has orationes uoluere testes suorū consiliorum, reliqueruntq; hęc, ut haberent posteri non modo, ut ait Thucydides, ἀγωνίσματα, sed κτήματα, hoc est, thesaurū exemplorum. Quid autem

autem de eloquentia horum dicam? Nam hæc præcipua laus est harum orationum. Equidem insaniam, si meo testimonio, meaq; uoce, accedere aliquid illorum laudibus existimem. Quare præconio Ciceronis contenti erimus, qui cum Aeschinem amplissimis laudibus ornat, tamen in Demosthenica oratione, tantam eloquentiam esse iudicat, quanta includi in animis hominum possit. Locos nonnulli decerpsere, unde specimen aliquod eloquentiæ istorum caperetur, sed uelut, si præclaram statuam dissoluas, quanquam insit in singulis membris suus decor, tamen minus clare percipi ac sentiri uenustas uidetur, quàm si integra statua, uideas suo quæq; loco collocata. Ita malim uos integras orationes oculis atq; animo cõtemplari, quàm sententiolas quasdam excerpere, è quibus reliqua oratio æstimetur, ut ex unguibus leonem aiunt. Nam si uniuersam tibi proposueris, ibi uero senties, non modo quibus uerborum aut sententiarum figuris, sed quo consilio etiam, & qua solicitudine dixerint, quàm callide in populi aures irrepant, quàm diligenter sese communiant, ubi alacrius procurrant in aduersarium, ubi referant pedem, ubi ludificentur hostem, quæ proprie causæ sint argumenta, quæ ornamenta obiter accedant, quomodo in locos communes à causa expatientur, quo genere affectuum ac sermonis in singulis causæ partibus utantur. Quæ omnia qui diligenter spectarit, ne ille omnium humanorum operũ nihil admirabilius oratione esse statuet. Quare uos adhortor optimi Auditores, ut diligenter has orationes cognoscatis, atq; intueamini, faciet ea res & ad animi iudicium formandum, & ad locupletandam facultatem dicendi.

Toto

Toto cœlo errant, qui hos Oratores, nihil nisi nugaces rabulas fuisse sentiunt: summis ingenijs prędi ti, maximo rerum usu, in grauissimis causis uersati perdidicerant, naturas multarum rerum, & uarias gerendæ Reip. rationes tenebant. Hoc illi instrumentum, hanc scientiam plurimarum rerum adferebant ad perpoliendam orationem. Nam quæ de fortuna Demosthenis dicit Aeschines, non sunt à plebeio ingenio profecta. Postq; enim omnem uirtutis laudem illi detraxit, uere ne, nihil ad nos, pergit fortunam insectari, & uetat Rempub. illi committere, ne priuata eius fortuna exitio sit urbi: uidit enim profecto uidit, non esse communem, ut uulgo putant, fortunam, nec ratione aut prudentia, quemadmodum Philosophi docuere, regi posse. Quàm crudeliter autem sæuit in aduersarium cum industriæ laude spoliat, fortunam etiam in omen uertit, ut ab eo tanquam à portento aliquo uoluntates hominum alienet. Quid Demosthenes, cum Cyrsili exemplum commemorat? non uidisse putatis, quanta uis esset honestatis, quantumq; pulcherrimi facti mentio, multitudinis animos, etiam in aduersa fortuna delectaret? Itaq; cum altissime introspexerint, & naturam rerũ, & uim uirtutis, & pręuiderint omnia dicturi sapientissime, dubitari nõ debet, quin ad erudiendos animos, eorũ tractatio plurimum conducat. Verum sunt, quibus parum religiose uideor facere, quod tantum tribuo ethnicis, sed cũ his nõ libet hoc tempore rixari, Tantũ opto, ut pietatem, cuius se prætextu uenditant, & ad religionis nomen confugiunt, tanquam in templa capitis rei, re prędare aliquando incipiant. Ego religioni nõ modo nõ officere has artes existimo, sed etiam ornamenta esse. Nam religio

πολιτικὴν

πολιτικὴν disciplinam, & ciuilia officia, quæ scientia humanarum literarum continentur, adprobat, & religiose coli iubet. Impietas est in solo cõremptu ciuilium morum collocare. Quid quod sine scientia linguarum, atq; dicendi artium, non possunt commode religionis dogmata tractari. Quanto rectius erat beneficijs cœlestibus religiose uti, atque diligenter excolere.

Neq; enim dubium est, quin diuinitus hoc tempore restitutæ sint literæ, ut in repurganda Ecclesiastica doctrina recte pios adiuuarent. Itaq; haud scio, an ulli religionem grauius lædant, quàm qui in literas passim inter imperitos, non aliam ob culpam, quàm quia non dicerunt, debacchantur. Idq; hoc molestius est bonis uiris, quia sanctissimum nomen Christi suo furori præexunt. Valeant isti, quando morosiores sunt, quàm ut patiantur se reprehendi. Vos interea officium uestrum facite, & pergite bonas literas sedulo discere, quæ cum ad religionem conseruandam, nonnihil momenti habeant, Christo gratissimum officium facietis, si strennue eas propugnaueritis.

Dixi.

PRAEFATIO IN PTOLEMAEI μεγάλω τῶ σύν- ταξιν.

APud Lucanum C. Cæsar cum Aegyptio sacerdote de cœlestibus motibus atq; effectibus colloquens, ostendit se nõ solum admirari illarum maximarum rerum doctrinam, sed etiam inter arma tubas & classica, ei aliquid impartire studij, Sic enim ait:

media inter prælia semper
Stellarum cœliq; plagis superisq; uacaui,
Eudoxi fastos noster superabit & annus.

Itaq; Repub. potitus, cum ingenti bello quassatam rursus erigere atq; ornare studeret, iudicia restitueret, legibus pacem ac disciplinam muniret, addidit egregium ornamentum, ex hac doctrina de motibus cœlestibus, quod & ipsum necessarium in uita ciuili esse uidit. Annum enim emendauit adhibito in consilium Sosigene, nec falso gloriatur se Eudoxi fastos superaturum esse. Tradidit enim nouam mensium descriptionem, nouamq; intercalandi rationẽ, cõmodiorem Aegyptiaca & Græca. Aliquanto post Augustus conturbatam in bellis ciuilibus anni ordinationem restituit. Post aliquot secula & Theodosius sapiens & bonus Princeps, non solum Imperij, sed etiam Ecclesiæ pace constituta, rursus emendauit fastos, quia tempora iam flagitabant correctionem. Nec uero recens est exemplum, Principes in Rebus pub. anni descriptionem iuxta motus cœlestes emendare. Solon etiam de Thaletis consilio notas æquinoctiorum certas constituit, & annũ Atticum

correxit.

correxit. Quodq; heroum nominibus pleræq; stellę insignitę sunt, hanc esse ueram causam arbitror, quod partim illi ipsi heroes, partim alij boni Principes ab ipsis orti, huic doctrinæ de motibus cœlestibus dediti fuerunt, eamq; illustrari ac propagari curauerunt. Ideo Pleiades dicuntur Atlantis filię, quod is monstrauerit quosdam ortus & occasus, habentq; nomen ipsæ stellæ, uel quia plures propius innatæ, tanquam unum lumen efficiũt, uel quia Pleiadum circuitus, hoc est, occasus & ortus cõmode ostendit anni initium & exitum, ueris & hyemis principia. Ab Atlante Orion acceptam doctrinam propagauit. Regnauit enim Orion in Tanagra Boetię, ubi sedes fuit Atlantis, ut scribit Pausanias, in qua ille sydera speculatus esse dicebatur. Hinc fabulę natę sunt de Orione amante unam ex Pleiadibus. Et quia oriente Scorpio occidit Orion, finxerunt postea ingenioſi homines Orionem à Scorpio interfectum esse. De Chirone & Hercule non obscure adfirmant scriptores, fuisse eos cœlestium motuum studioſos. Sed quid uetera quærimus, cum recentior ætas habeat exempla digna memoratu plurima? Aliquandiu studia huius doctrinæ uigue runt in regno Saracenico, cum Alexandriæ, tum alibi. Cumq; deessent Latinis hominibus fontes artis, uidelicet hic Ptolemæi liber, curauit eum Fridericus Imperator ex Arabico sermone in Latinum conuerti. Tunc enim & in Græcia quadam fatali calamitate studia ueteris Philoſophiæ conticuerant. Paulo post Alfonsus Lusitaniæ Rex, tantum lucis huic arti attulit, ut nomen eius propter tanti beneficij memoriam omnibus eruditis & prudentibus gratissimum & chariſſimum sit. Huic debemus præcipue, quod extat erudita anni descriptio,

quod non prorsus ignoramus Solem, ut apud Homerum Cimmerij. Ac magnitudo beneficij testatur nõ humano consilio suscepta esse hæc à Rege studia, sed Deũ ut consuleret hac in re uitæ hominum, impulisse animũ ipsius ad has artes iterum excitandas. Hęc exempla laudatissimorum Regum satis ostendunt, pertinere ad bonos & sapientes Principes curam huius doctrinę conseruandę. Etsi enim omnibus hominibus natura acres stimulos indidit, ad admirationem & considerationem cœlestium motuum, propterea ut nos de Deo & de immortalitate nostra admoneant, tamẽ multorũ animi occupati stultis aut prauis cupiditatibus, non satis exaudiunt naturæ uocem, quæ nos ad hæc studia incitat atq; hortatur. Sed sapientes Reges & studiorum gubernatores prospicere decet, ne tantum ornamentum uita hominum amittat. Hos intelligere decet & dignitatẽ harum artium & utilitatem. Quanquã enim scio & alios quosdam Principes hac ætate hanc doctrinam magnifacere, tamen quoniam tu eam ita colis, ut cum artificibus ipsis certare possis, hunc librum tibi præcipue dedicare uoluimus, quod arbitramur & tibi nostrum officiũ eo fore gratius, quia has artes intelligis ac amas, & defensionem huius Philosophiæ cupidius suscipere eruditos, q̃ alios. Etsi enim plena est dignitatis & suauitatis hæc Philosophia, & uitę hominum utilissima, tamen iacet neglecta, partim propter uulgi inertiã, partim quia desunt prędia huic honestissimo labori. Nonnullos etiam deterrent peruersa iudicia quorundã, qui habent doctrinæ titulos, qui nescio cur tantopere infesti sunt huic Philosophiæ. Primum enim dulce est, non modo illam certissimã motuum seriem atq; harmoniam consi

derare

derare, sed etiam in his ipsis demonstrationibus, quibus motuum illorum ordo deprehensus est, eruditissimas cogitationes, & mero quodam nexu cohærentes uidere, & quasi uestigia mentis intueri, euectæ ad rerum cœlestium considerationem. An non utraq; res ostendit & esse Deum, et nos conditos esse, ut inuestigatis cœlestibus motibus, intelligamus esse aliquam æternam mentem, opificem cœli & nostrorum animorũ, & gubernatricem omnium, quam cognoscere, cui parere debeamus, quodq; immortalitatem restare necesse sit, cũ certum sit nos eo nasci, ut perspicue diuinitatem agnoscamus, & ea fruamur. Cum igitur & per sese delectet consideratio pulcherrimarũ rerum in natura, & sit dux ad agnitionem Dei, mera prauitas est naturę in illis, qui hanc doctrinã aut uituperant, aut aspernantur. Sed utilitas, inquiunt, commendat artes. Assentior & probo id quod posuerunt in definitione artis Stoici, ut aliquam adferat una quælibet utilitatem ad uitam. Quæ est insignior stoliditas, quàm non intelligere quanta futura sit barbaries, si non teneatur certa anni ratio? Quę confusio negociorum agendorum esset, amisso hoc discrimine temporum? Quæ essent historiarũ tenebrę, sublata enumeratione annorum? Non mundi initia cogitari possent, non discerni religionum exordia, nõ Imperiorum mutationes: deniq; horribilis caligo omnes historias Ecclesiasticas & prophanas inuolueret. Atq; hac in re tanta utilitas est huius artis, ut sacræ literæ iusserint obseruari motus cœlestes, ad annorum spacia, & interualla constituenda. Cum enim inquit Deus condi stellas ut sint signa, & efficiant temporũ discrimina & annos, certe requirit obseruationem. Quantum enim erit

anni curriculum, quæ initia, qui exitus non obseruanti Solis cursum? Itaq; aspici Deus cœlum iubet, & motuũ leges contemplari, ac interualla temporum constituere. Nec leue argumentum est, fuisse magna studia obseruandorum cœlestium motuum apud primos parentes statim initio, quod singulari diligentia annorum & mensium seriem inde usq; à mundi primordijs annotarunt. Non enim adeo accurate anno duodecim menses statim attribuissent, metas cursus Solis constituissent, intra quas duodecim sunt congressus Lunę & Solis. Et ad has constituendas, arte reliqua opus fuit. Non enim sine aliqua cura & uia deprehendi uera æquinoctia potuerunt, quibus opus est, si certum anni initium tenere uolumus. Sed quid opus est longiore disputatione, cum nemini obscurum sit, necessaria esse ad plurimas uitæ partes, anni descriptionem? Restant & aliæ utilitates, prodest obseruatio motus Solis ad regionum distinctionẽ & cosmographiam. Cumq; cæterę stellę tanta arte regantur, nõ est consentaneũ nullos ad usus eas esse conditas. Explodenda est illa Epicurea Philosophia, quæ tollit finales causas, & affirmat earum omnes naturas ἄγειν καὶ φέρειν. Si igitur sunt finales causæ cæterarum rerum, cur non dicemus etiam esse pulchertimorũ corporum & perpetuorum motuum? Certitudo in motu, artem opificis indicat: Ars consilium ac causam finalem necessario complectitur. Itaq; & cæterę stellæ haud dubie suos habent tum effectus, tum significationes in elementis & ijs quæ inde gignuntur: Vt manifesta experientia, & omnibus seculis consentiens, testatur congressus siccorum syderum magnas siccitates, humidorum, humidas tẽpestates efficere. Ex hoc initio pleraq;

alia

alia uere sequuntur, quorum obseruatio in uita est utilis, si quis quærat physicas significationes sine superstitione, ut temperamentorum qualitates & inclinationes. Etsi autem non instituam ex hoc loco integram περὶ τῆς μαντικῆς disputationem, tamen illud affirmo indignissimũ esse homine erudito & prorsus βάναυσον, applaudere Epicuri deliramentis, ac fingere nullius causa tam certas leges motuum omnium Planetarum constitutas esse. Pindarus inquit:

σοφοὶ γὰρ μέλλοντα βροτῶν ἄνεμον ἔμαθον.

Sapientiam esse ait, tempestatem uenturam triduo ante prospicere. At hæ significationes magnas mutationes non modo tempestatum, sed etiam ciuilium rerum denunciant, ut ostendũt euentus qui comitantur eclypses, & magnas Planetarum coniunctiones. Nec illa signa pugnant cum religione: cum enim Deus ea & proposuerit & gubernet, ab ipso regi euentus statuamus, eosq; mitigari illis qui ad eum uera pietate confugiunt, credamus. Sed non dicam hoc loco plura de parte diuinatrice, ad motuum doctrinam redeo. Quæ potest esse μαντικὴ utilior, quàm quod ipsa motuum doctrina testatur esse Deum, ut supra dixi? & quædam pædagogia est ualde utilis ad confirmandas honestas & pias opiniones de Deo in animis hominum? Quantam uim habet hęc cogitatio in mentibus nõ male institutis, consulat suum quisque animum, quod si faciet, fatebitur profecto non raro sibi prodesse ad confirmandas pias opiniones de Deo, hanc ipsam agnitionem artis in cœlestibus motibus. Sicut & Paulus testatur, Deum hoc opificium tanta factum arte eò proposuisse, ut hoc admoniti testimonio ipsum agnosceremus. Hanc utilitatem fortassis non magni

magni faciunt homines impetiti, sed quanta sit, ex eo iudicari potest, quod inter Philosophos soli illi fuerunt prorsus ἄθεοι, qui penitus abiecerunt cœlestium motuũ inquisitionem. Cæteros motuum certitudo confirmauit, ut non dubitarent esse aliquam mentem, rerum opificem, & gubernatricem, ut honestissime disputat Socrates, & in Philebo apud Platonem, & alibi apud Xenophontem. Amemus igitur hanc Philosophiã diuinitus monstratam, & conseruemus, nosq; in ea re Deo gratũ facere statuamus, qui cum nobis has pulcherrimas artes donauerit, postulat, ut eas excolamus, nosq; earum cogitatione ad pietatem exuscitemus. Proinde cum Ptolemæum accipies, inclyte Rex, commendari tibi defensionem cum cæterarum bonarum artium, tum uero etiam huius Philosophię statues. Multum autoritas & munificentia tua huic studio prodesse poterit. Nec obscura est hac in re uoluntas tua: Nam & aula tua & in Ecclesijs & in Academijs doctissimos homines ad rerum ac studiorum gubernationem prouehis, & in primis Regium esse ducis, tueri literas, quod quidem cum ob alias causas iure prædicatur, tum eo etiam, quia cum tibi magno sit ornamento optimarum artium scientia, uicissim illas abs te ornari decet.

Bene uale.

Præfatio

PRAEFATIO IN ARITHMEticam.

MODESTISSIMO ADOLESCENTI Iusto Ionæ, filio D. Doctoris Ionæ Phil. Mel. S. D.



Vm uideam te honestissimo consilio patris tui uiri optimi ac mihi amicissimi, ad literas adhibitum esse, & singulari diligentia institui, duxi hunc libellum cum inscriptione nominis tui ædendum esse, & ut ostenderem mihi consilium tui patris in te instituendo magno pere probari, & ut adhortarer cum te, tum cæteros adolescentes ad hanc Philosophiæ partem, cuius in hoc libello traduntur elementa, summo studio cognoscendam atq; colendam: Aeditur enim hic libellus, ut cæteris studiosis tecum communis sit. Quanta autem sit & dignitas & utilitas Arithmetices, nõ solum indicant testimonia doctorum hominum, sed etiam declarat quotidianus uitæ usus, in quo res loquitur ipsa, nõ posse homines numerandi scientia carere. Sed studiosi considerare debent, non solum quam utilitatem in doctis artes afferant, sed etiam quem locum teneant, & quem habeant usum apud eos, qui ad perfectam doctrinam aspirant. Merito autem plurimi facienda est Arithmetica, quia una patefacit aditum ad præstantissimam Philosophiæ partem, uidelicet, ad cognitionem cœlestium corporum ac motuum, Estq; χειραγωγὸς adeo commoda, ut ipsa præcepta reliqua artes sint facilimæ ac prorsus obuiæ. Econtra uero hac destituti uelut ἄμυητοι

ab alijs artibus procul arcemur & excludimur. Quare cum Arithmeticam discitis, eadem opera cogitabitis, uos maximam partem aliarum artium percipere. Illi uero pluſquam frigidus fuerit circum præcordia ſanguis, quem hæc ingens utilitas nõ inuitauerit ad hanc artem diſcendam, quæ quidem quia maxime cognata eſt naturæ hominis, facilime percipitur, ſi accedat mediocris exercitatio. Manus, inquit ille, cauſa eſt ſapientiæ. ſignificans artes non poſſe integre cognoſci, niſi manus præcepta imitetur atq; exerceat. Quod cum in alijs artibus ita ſit, tum uero præcipue Arithmetica magnam exercitationẽ requirit. Ideo memineritis adoleſcentes uſum ad præcepta adiungendum eſſe. Tu uero chariſſime Iona, hunc libellum accipe ξὺν ἀγαθῇ τύχῃ, & cogites hanc artem tibi etiam à teneris inchoandam & exercendam eſſe, ut præpares te ad maximarum rerum doctrinam, ad quam natura te duci iudicamus. Indoles enim tua perſpici poteſt iam in primis ſtudijs, & multa ſunt ſigna, quandam in te paterni ingenij ſimilitudinẽ propagatam eſſe. Quantum autem ingenio ualeat pater, ipſius in oratione ſplendor egregius, & fœliciſſima copia indicant: Quem tu quidem propones imitandum atq; effingendum omni ſtudio, tibiq; hanc Iſocratis ſententiam animo infiges: ἐγὼ δὲ μηδενὶ πώποτε ἀθλητῇ ὅτου προσήκειν ἐπὶ τὰς ἀνταγωνιστὰς ἀσκεῖν, ὡς σοὶ σκοπῶν, ὅπως ἐφάμιλλον γενήσῃ τοῖς σεαυτοῦ ἐπιτηδεύμασιν. Bene uale.

Menſe Iunio,

1536.



Præfatio

PRAEFATIO IN GEOMEtriam.

PHILIPPVS MELANCHTHON Ioanni Reiffensteyn S. D.



VLlum aptius ornamentum ueſtibulo huius libelli, qui aditum patefacit ad Geometriam, addi poſſe ſtatuebam, quàm ſymbolum, quod Plato in foribus ſcholæ ſuæ pinxiſſe dicitur, uidelicet, ἀγεωμέτρητος οὐδεὶς εἰσίτω. Multorum aũt coniecturas exercuit huius dicti interpretatio. Alij iudicant Platonem à ſchola tanquam pollutos & prophanos arcere imperitos Geometriæ, cuius elementa tunc omnibus qui liberaliter inſtituebantur, ſtatim à teneris tradi ſolebant. Alij transferunt ad mores, & ſignificatum putant Philoſophiæ ſtudioſis, ut Geometrica proportione mediocritatem atq; æquabilitatem quandam in omnibus officijs conſeruent, quemadmodum & in Gorgia cum reprehendit iniuſtam opinionem Calliclis, inquit eum negligere Geometriam. Etſi autem ſatis apparet ex ſcriptis Platonis, libẽter eum exempla Geometrica ad mores accommodaſſe, tamen dubitari non poteſt, quin in hoc ſymbolo ſimul aliquid de ordine diſciplinarum monuerit, & in Geometria præparandos eſſe ſenſerit eos, qui ad Philoſophiam acceſſuri eſſent. Eius ſententię multę graues cauſæ ſunt. Non enim tantum releganda eſt hęc ars ad mechanicos, qui ędificia, uaſa, aut alia exigua corpora metiuntur, & ſi ea etiam exercitatio liberalem

doctrinam continet, & magnas ad uitã utilitates affert, Sed Philosopho propter alias multas causas opus Geometriæ scientia: Inde enim oriuntur initia Physices. Et passim in omnibus partibus Physices plurimæ demonstrationes ex hac arte sumuntur, quales sunt primæ illæ, quæ ostendunt, mundum esse finitum, non esse plures mundos, nullum esse corpus infinitum, sunt enim hæc uera Physices exordia. Deinde cum demonstrationes Geometricæ maxime sint illustres, nemo sine aliqua cognitione huius artis satis perspicit, quę sit uis demonstrationum, nemo sine ea erit artifex methodi. Quare & Plato dixit, ob eam causam etiam discendam esse Geometriam, quia eius cognitio conducat ad hoc, ut aliæ artes facilius & rectius percipiantur. Sed maxime illustris utilitas est in metienda magnitudine terræ, & cœlestiũ corporum aclpaciorum. Estq; hæc summa laus Geometriæ, quod non hæsit in exiguis & his inferioribus machinis, sed euolauit in cœlum, & humanas mentes humi abiectas, rursus in illam cœlestem sedem subuexit, & admirandum mundi opificium, & gubernationẽ eius nobis monstrauit. Deniq; exulantes animos, in patriam ac familiaritatem cœlestium, atq; adeo ad agnitionem Dei traduxit. Magnam enim uim habet ad confirmandas honestas opiniones de Deo, in animis hominum, hæc ipsa doctrina, in qua mundi opificium & gubernatio spectantur. Cum igitur fontes huius præstantissimæ partis Philosophiæ de motibus cœlestibus, magna ex parte sint in Geometria, satis grauis causa est, quare Plato monuerit accessuros ad Philosophiam, ut Geometriæ studium adderent. Hoc existimo Platonem illa inscriptione præcipue significasse, quam hic recitaui, ut cũ

adolescentes

adoleſcentes adhortari cuperem, ad expetendam hanc artem, qua utendum eſt duce ad multas Philoſophiæ partes, adderet aliquid ponderis noſtræ orationi, Platonis autoritas. Quoties igitur in manus accipient hunc libellum ſtudioſi, & in fronte legent Platonicam inſcriptionem, cogitabunt ſe admoneri uoce Platonis, ſed uotis & iudicijs omnium eruditorum, ut maximarum utilitatū cauſa hanc artem expetant. Nec uero dubium eſt, quin naturas non diſtortas delectet per ſeſe menſurarum ratio, ut natura capimur numerorum collatione aut concentu ſonorū. Sed generoſa & excelſa ingenia, huius utilitatis magnitudo accendere ad hęc ſtudia, & inflammare debet, quod hæc ars aditum patefacit ad illam præſtantiſſimam Philoſophiam de rebus cœleſtibus, quæ quantum habeat dignitatis, quàm multipliciter proſit hominum uitæ, minime obſcurum eſt, præſertim ijs, qui non omnino abhorrent à ueræ ueterisq; Philoſophiæ ſtudijs. Scio has adhortationes apud eos qui ſordidis ingenijs præditi ſunt, nihil proficere, qui præſtantium diſciplinarum dignitatem non proſpiciunt, aut ſectantur quaſdam uendibiliores artes, quæſtus cauſa. Hos, cum dupliciter ſint ἀγεωμέτρητοι, uel maxime excludit Plato. Nam & mentes habent monſtroſas, & magno ſcelere turbant proportionem Geometricam, cum non tribuunt ſuam artibus dignitatem. Sed recta ingenia, etiam mediocria, incitari poſſunt ipſa artium admiratione, ſi admoneantur, deinde ſi accedat artifex, qui commode tradat. Ideo ſpero aliquorū ſtudia commoueri poſſe, teq; mi Ioannes, & tui ſimiles adhortor, primum, ut cogitetis aſpirantibus ad ueram laudem, cōtendendum eſſe omnibus ingenij atq; animi uiribus,

ut solidam & perfectam doctrinam uobis comparetis, quæ sit usui Reipublicæ. Hanc ad rem opus est toto choro artium, quæ ita inter se deuinctæ copulatæq; sunt, ut in singulis multa sint ex alijs uicinis artibus assumenda. Hæ uero duæ Numerorum & Mensurarum scientia, cũ in Physicis magnos habent usus, tum uero totam doctrinam de rebus cœlestibus pepererunt. Aristippum ferũt, cum amissis naufragio fortunis omnibus, ipse tamen cum paucis ad littus Rhodium saluus peruenisset in tabula, ambulantem in littore, Geometricas figuras in machinis quibusdam conspexisse. Quanquam autem mare & uiatico eos exuerat, & in loca eiecerat ignota, tamen conspectis illis figuris Geometricis, iussit socios bono animo esse, inquiens se uidisse hominum uestigia, gratulatusq; est sibi & reliquis, quod non in barbarum littus eiecti essent, confirmauitq; humanitatem erga hospites ac naufragos non defuturã illis hominibus, apud quos harum artium studia colerentur. Vtinam uero hæc hominum uestigia quę ibi in littore miratus est Aristippus, in scholis etiã frequentiora essent. Iacent enim desertæ & neglectæ hæ artes multis iam seculis. Nam proxima ætas iuuentutem ab hac uera Philosophia ad insulsissimas cauillationes abduxerat: Nunc postquam hæ explosæ sunt è scholis, annitendum erat, ut pura & natiua Philosophia traderetur, quæ conduceret ad solidam doctrinam consequendam. Nam hæc nostra ætas satis commonefacit nos, quantum opus sit Reipub. perfecta doctrina, quia multi passim, tum inopia iudicij, tum quia diserte explicare nihil possunt, sparserunt, aut defendunt opiniones absurdas & confusaneas, ex quibus in Ecclesia magna certamina, magnæ dissensiones

extiterunt

extiterunt. Nec finis horum malorum erit ullus, nisi ad ueram & eruditam studiorum rationem iuuentus reuocata fuerit. Hanc ad rem conferre operam hi qui prę sunt Ecclesiæ ac Reipublicæ profecto debebant. Sed eadem cura ad nostrũ officium pertinet, hoc est, ad eos qui docent, aut discunt in scholis. Nam & nostrum munus ad Rempub. pertinet: Diuinitus in hac statione collocati sumus, ut doctrinam utilem generi humano conseruemus & propagemus. Et flagitat hanc diligentiam Deus pariter à doctoribus & discipulis. Quare iuuenes cogitent se etiam Deo hoc officij debere, ut solidam & perfectam doctrinam expetant, profuturam Ecclesiæ ac Reipub. Quos in templa animos afferimus, eosdem decet in scholam afferre, uidelicet, ut ibi res diuinas cognoscamus, & alijs patefaciamus. Si quis uenit in scholam, tantum ut inde auferat particulam aliquam doctrinæ, quæ possit ad quæstum, aut ostentationem conferri, is sciat se polluere sanctissima doctrinæ templa. Itaq; si munus suum intelligent adolescentes, si scient quo animo uersari in studijs debeant, facile impetrabimus ab ingenijs non monstrosis, ut recte atq; ordine percipiant omnes artes, ut non inanem eruditionis umbram, sed ueram doctrinam auferre conentur. Quosdam deterret à mathematis difficultas, sed hi, quod est iniquissimum, ante pronunciant quàm inspiciunt, priusquam deguſtarũt elementa, abijciunt & damnant totum studium. Certe initia sine magno negocio percipi possunt, quæ usum habent in uita, & in multis artibus. Hæc saltem prius cognosci oportuit, quàm pronunciarent de difficultate. Deinde ordo qui præsertim in Geometricis est commodissimus, leuat laborem, & multum addit lucis. Postremo ubiq;

mo ubiq; traduntur demonstrationes, quæ & si in artis extrema parte, quasi in fastigio, longius recedunt ab oculis & conspectu nostro, ut urbes, quas procul uidemus, tamen in cęteris partibus, quia magis obuię sunt oculis, multo minus habent difficultatis. Extrema ignauia est, prius abijcere studium, quàm periculum feceris. Et mollities animi iniusta est, nihil laboris uelle susci pere in discendo, cũ quidem militia quædam sit, uersari in literis, & Respublica nobis maximarum rerum curam & conseruationem commendauerit, quas tueri sine acerrima contentione animorum non possumus. Quare excuscitent nos, & ipsa artium dignitas, & publica utilitas, & meminerimus his uirtutis studijs etiam fortitudinẽ adiungendam esse, quæ non sinat animos langueſcere pigritia, quæ per omnes difficultates, ut ita dicam, ui sibi uiam faciat. Ac generosæ & heroicæ naturæ, quę ad illas summas artes de rebus cœlestibus diuino aliquo adflatu, & ἐνθουσιασμῷ incitantur, facile has artes arripiunt, perinde ut hi, qui natura ad carmẽ idonei sunt, cito percipiunt syllabarum & pedum mensuras. Multum tamẽ, ut in cæteris artibus, etiam mediocria ingenia studio & diligentia assequentur. At si qui non totos se huic studio dedent, tamẽ his ad iudicia formanda, & ad intelligendos multos locos, qui in Aristotele & alijs laudatis autoribus obuij sunt, opus est cognitione elementorum Geometriæ. Aristoteles pulcherrime pingit iustitiam in quinto Ethicorum his Geometricis figuris, & species eius eruditissime discernit collatas ad Arithmeticam & Geometricam proportionem. Et traduntur eo in loco præcepta necessaria ijs, qui erudite de legum causis iudicare cupiunt. His plurimum affert lucis collatio sumpta

ab Arith-

ab Arithmeticis & Geometris. Sed quia interpretes, quorum quidem libri extant, non intellexerunt hanc collationem, non solum obscuratunt, sed planè corruperunt totam Aristotelis sententiam, non secus acsi aliquam excellentem Apellis picturam sordibus & cœno conspersissent atq; obruissent. Porro non solum turpe est interpreti, sed etiam molestum alijs lectoribus in tali loco tanquam in luto hęrere & fraudari sententia autoris. Aristoteles enim prudentissime duas iusticię species constituit, quarum altera personarum gradus in legendis Magistratibus, in imperijs, in ciuitate, & in familijs ordinat. Altera gubernat non solum contractus, sed omnes compensationes rerum, ut mercedes, damna, iniurias, pœnas. Iam cum explicatur quare in compensationibus requiratur Arithmetica proportio. In altera uero iusticia, legente Magistratus ualeat Geometrica, causæ iusticiæ ualde fiunt illustres. Ac sumpsit hanc ipsam collationem Aristoteles à Platone, qui cum summa uenustate & grauitate disputat, ęqualitatem in ciuitatibus efficiendam esse, quia æqualitas gignat mutuum amorem, ut dici solet ἴσον ἴσῳ φίλον. Sed ęqualitatem Arithmeticam ait in imperijs, in legendis Magistratibus turbulentam esse, Geometricam uero salutarem esse ciuitatibus. Nam Geometrica æqualitas est, cum gradus constituuntur, & delectus adhibetur, ut pro proportione tribuantur summa imperia optimis & prudentissimis ciuibus, & singuli intelligunt quam partem muneris publici sustineant, & in suo ordine manent, non conturbant proportionem. Hunc statum ita prædicat Plato, ut hãc Geometriam diuinam esse dicat, actum demum beatas fieri ciuitates, cũ Deus particulam huius Geometriæ

eis impertit, deniq; addit, ab hac Geometria proficiſci, quidquid eſt boni in rebus humanis, ut ſi in Eccleſia autoritas eſſet ſumma optimorum, ac doctiſſimorum, & per gradus ſuum officium ſinguli intelligerent, & facerent, & ſuam quiſq; ſpartam, ut dicitur, ornaret, imperiti cederent ſententijs eruditorum. Quid Eccleſia beatius eſſet, ſi hac Geometrica proportione conſtituta eſſet, quę & tyrannidem prohibet, & popularem licentiam? Nam in tyrannide gradus nulli ſunt, ſed pariter omnes boni opprimuntur. In democratia, dominatur æqualitas Arithmetica, iuxta quam omnes infimi ſine delectu cõſequuntur ſumma imperia, ſitq; ſtatus ille, quem maxime uituperat Achilles apud Homerum, cum ait, nolle ſe in ea Republica eſſe, in qua nullum ſit diſcrimen bonorum & malorum ciuium:

ἐν δ' ἴῃ τιμῇ ἡ μὴν κακὸς, ἠδὲ καὶ ἐσθλός.

Quid bonis omnibus accidere poteſt optabilius, quàm ſi Geometrica proportio, quę & tyrannidem & popularem licentiam prohibet, gubernaret Synodum Eccleſiaſticam? Nec uero ſine cauſa doctiſſimi homines delectati ſunt Geometricis ſimilitudinibus, incurrunt enim in oculos, uelut picturę. Quare cum intelliguntur, ualde illuſtrant diſputationes, & multa monent admiratione digna. Inuitet igitur adoleſcentes & hæc cauſa ad elementa cognoſcenda, quia magnos uiros uident amaſſe has figuras, & eorum ſcripta nõ poſſe intelligi, niſi deguſtatis his artibus: Etſi enim alię ſunt multo maiores utilitates, de quibus paulo ante dixi, tamen liberalibus ingenijs ſtimulum addit hoc quoq;, quod tales ſententias magnorum autorum & amant, tanquã precioſiſſimas gemmas, et uim earum penitus perſpicere cupiunt.

Iam hęc

Iam hęc ipsa exempla docent sententiam Platonicam, quam scripsit in uestibulo scholę, non inepte ad mores accommodari, ἀγεωμέτρητος οὐδεὶς εἰσίτω. Excludit à scholis eos, qui conturbant Geometricam proportionem, qui gradus honestorum officiorum nec intelligũt nec tuentur, qui sine lege inæqualiter, qua fert impetus, ruunt. Vetissimũ enim est illud Aeschyli dictum, alium hominem, alteri ciuitati conuenire, ἄλλον ἄλλη πρὸς πόλιν τέλαγμένον. Vt igitur illa fera & barbarica ingenia non conueniunt ciuitati Philosophicę, quia neq; miran tur artes, neq; doceri possunt: ita econtra prędita moderatis ingeniis, quia incitari possunt ad hæc optima studia colenda, conueniunt Philosophicę ciuitati. Tales inuitat Plato, ac simul significat, quæ natura capax sit Philosophię, quales mores apti sint his studiis, quæ ingenia ad amorem Philosophię accendi possint, & quo doctrinę genere principio opus sit. Quare studiosi, cum legent hanc Platonis inscriptionem ἀγεωμέτρητος οὐδεὶς εἰσίτω. meminerint se & Geometricam æqualitatem in moribus præstare debere, & ad cęteras artes adiungere Geometriæ studium. Vtrunq; est ingens ornamentum, & propter multas causas experendum. Ac tibi quidem, mi Ioannes, Dei beneficio contigit ingenium & natura moderatum, & quod ex picturis tuis animaduerti potest, aptum Geometriæ, planeq; conueniens ciuitati Philosophicę. Spero autem te & paterna & nostra cohortatione accensum, flagrare cupiditate cognoscendę illius pulcherrimę doctrinę de motibus & effectibus cœlestibus. Ad hanc gradus faciendus est per Geometriam. Putabis autem te etiam Deo gratum facere, cum his studiis operam dabis: Suauissime enim à Platone dictũ est,

θεὸν ἀεὶ γεωμετρεῖν, hoc est, ut ego quidem interpretor, gubernare omnia, & certissima lege cursus cœlestes, & totam naturam regere. Quare haud dubie probat studium eorum, qui quasi obseruantes illius cursus lineas, gubernatorem ipsum agnoscunt & uenerantur. Iacobus Milichius utili consilio coniunxit libellos Arithmeticos & Geometricos aptissimos scholis, scriptos à præstantibus artificibus, & in ea Academia, quæ aliquot seculis præcipuum fuit domicilium harum artium. Nam Viennæ, autore Peurbachio, propemodum renata est hæc Philosophia de rebus cœlestibus, & nunc magna cum laude possessionem eius uelut hæreditariam retinent & ornant ibi cum alij uiri doctissimi, tum etiam Ioannes Vogelin autor huius libelli de Geometricis elementis, quæ quidem ea breuitate & serie complexus est, quam sperauit maxime conducturam esse discentibus. Christus & tua, & reliquæ iuuentutis studia gubernet ad Reipublicæ salutem. Mense Augusto, Anno 1536.

Viro

VIRO DOCTISSIMO IOHANNI Schonero Mathematico, Philippus Melanchthon S. D.

CVm urbs Noriberga multis ciuilibus ornamentis abundet, hoc decus profecto non in postremis numerandum est, quod aliquot iam seculis perpetuò in ea urbe studia Mathematum magna cum laude floruerunt. Atq; ita genius urbis huic pulcherrimę parti Philosophiæ fauet, ut non solum aliunde accersiti sint à Republica homines doctissimi, qui eius doctrinę possessionem retinerent, sed etiam procrearit ipsa urbs multa fœlicia ingenia, quę in his artibus excelluerũt, colantq; has disciplinas non solum pauci quidam ocioſi, solis dediti literis, sed alij etiam multi, occupati tum priuatis negocijs, tum Reipub. procuratione. Meo quidem iudicio glorioſius est Athenis, q; Philosophiæ & omnium optimarum artium, quæ ad bene beateq; uiuendum necessariæ sunt, inde usq; à Platonis ætate ad Antoninorũ tempora annos ferè sexcentos domicilium perpetuum fuerunt, quàm quod principatum Græcię tenuerunt annos septuaginta, qui nõ solum nihil utilitatis attulit uenturæ ætati & reliquis gentibus, sed tunc quoq; Athenis ipsis calamitoſus fuit. Ne Miletum quidem tam ornatũ amplissimæ opes, quàm uir doctissimus Thales, qui nõ solum in ea urbe, sed in tota Ionia primus excitauit studia doctrinę de rebus cœlestibus, ostendit syderum motus, & certam anni rationem descripsit. Nec Alexandria nobilior est conditore Alexandro, cũ perpetua Philoso-

phiæ conseruatione & propagatione. Itaq; hæc doctri-
nę studia iure cõmemoramus inter præcipua urbis No-
ribergæ ornamenta. Hæc enim urbs fouit ingenium Io
annis de Regiomonte, habuit & ciues summis ingenijs
prędditos, qui has disciplinas tum coluerunt, tum etiam
illustrarunt, D. Ioannem Vernerum, D. Prępositũ Mel-
chiorem Pfintzing, D. Bilibaldum Pyrcamerũ, D. Cho
lerum. Nec ulla tam celebris est Academia, in qua ho-
die maior sit frequentia eruditorũ in hoc genere quàm
Noribergæ. Nec tantũ fruitur ipsa urbs uoluptate huius
doctrinæ, sed, quod est honestissimum, præclare mere-
tur de omni posteritate. Multa enim utilia monumen-
ta ædiderunt homines doctissimi, Ioannes de Regio-
monte, qui huius urbis hospitio & multis beneficijs
usus est, & alij ciues, quorum extant scripta. Hæc benefi-
cia Philosophiæ studiosos agnoscere decet, & huic urbi
gratiam habere ex animo, eamq; in primis amare, tan-
quam huius præstantissimæ doctrinæ hospitium. Etsi
autem possessionem huius laudis multi in urbe uestra
retinent, tamen hoc nomine tibi doctissime Schonere
plurimum debent studiosi, quod industriam tuam ad
has artes propagandas & illustrandas confers. Nam &
istic docendo multorum excitasti ingenia, & subinde
monumenta ædis, apta scholis, & magnopere utilia di-
scentibus. Nec uero quid quam est, ut ego arbitror, ho-
mine Philosopho dignius, quàm summa ope curare, ut
doctrina utilis uitæ tanquam publicum patrimonium,
ut Seneca uocat, conseruetur, & ad posteros explicata,
& non accisa aut corrupta perueniat. Debet enim Phi-
losophus ad optimarum artium scientiam uoluntatem
adiungere bene merendi de rebus humanis, præsertim
cum in-

cum intelligat has artes diuinitus ostensas esse non priuatę oblectationis causa, sed ad communem utilitatem, & norit Philosophum omnes actiones, & uitam omnẽ ad communem salutem atq; utilitatem referre debere. Maxime enim decet Philosophũ esse κοινωνικόν. Quanta autem sint merita quæ ad uitam confert, non difficile est iudicare. Videmus enim ipsas disciplinas, quę Mathemata uocantur, ad uitam necessarias esse. An carere possumus Arithmetica & Geometria? Qualis confusio esset, si anni descriptione carerent Respublicæ? Nulla extaret memoria rerum ueterum, deniq; mera barbaries esset talis uita. Reliqua Philosophia fontes continet legum & omnium honestorum officiorum: Est & magnum ornamentum religionis. Facis igitur honestissime, quod alijs doctrinam tantarum rerum, tamq; utilem uitæ sedulo impertis, quod æditione utilium scriptorum communia studia iuuas. Nonnihil autem debebit tibi ciuitas Noriberga, quod ex tuis monumentis apparet, huius Philosophiæ studia ibi uigere. Sed multo plus debebunt tibi omnes, quorum studia tuis laboribus & commouentur & adiuuantur. Est animi Philosophici, delectari ipsa uirtute, etiam si nõ cõtingant alia præmia pro laboribus. Sed si tempora erunt tranquilla Deo uolente, uoluptatem etiam magnam ex discentium studijs capies. Nam instructa idoneis libris iuuẽtus facilius ad hæc studia reuocari poterit. Vides autem aliquot locis, professores bonarum artium, quantum contendere possunt, ad colendas has disciplinas iuuentutem inuitare. Quod igitur hoc tempore ædidisti & expolijsti tua diligentia atq; industria Tabulas resolutas, egregiam operam nauasti, quia in scholis præcipue opus

est his

est his tabulis, cum theoricas, ut uocant, motuum cœlestium ad usum transferant, et monstrent facilem et compendiariam rationem computandi motus cœlestes. Quare sine eis theoricæ prorsus luce carent. Et cognitis his tabulis iam magnum fructum capere discentes ex hoc studio possunt. Nam quod extremum est in arte, ac finis doctrinæ de motibus, id compendiaria uia exhibet hic libellus, uidelicet ut possimus motus Planetarum statim computare aliquot seculorũ, seu præteritos seu uenturos. Hæc meta est artis, quam auidissime expetunt studiosi. Interdum desperatione abijciunt aliqui studia, cum non prospiciunt metam, cum non capiunt fructum aliquem ex suis laboribus. At cognitis his tabulis, non solũ eximitur animis desperatio, sed animaduersa tam facili computatione, spes & magnitudo utilitatis generosa ingenia ad discendum accendunt. Quæ est autem diuinitas, tam breui uia, tam paruo negocio consequi summam artis, et positum cœli considerare posse, quorumcunq; annorum? Quis non miretur tam breui libello tot annorum descriptionem includi posse? Mirentur alij ligneas columbas, aut alia opera automata: Hæ tabulæ multo magis sunt dignæ admiratione, quæ omnium siderum positus ostendunt, nec unius tantum anni, sed multorum seculorum. Hæc ea præfatus sum, ut admonerem iuuenes, qui hæc lecturi sunt, & quantum debeant Schonero iuuanti publica studia editione talium librorũ, quibus in scholis opus est, deinde ut utilitate harum tabularum excitati, ad discendum inuitentur. Illa admonitione hoc loco non putaui opus esse, ne se ab his artibus studiosi deterreri sinant, insulsissimis iudicijs indoctorum, qui totum hoc genus doctrinæ de re

bus cœ-

bus cœlestibus superbissime deridēt. Nam mediocriter eruditi in Philosophia, facile iudicare possunt, magnam cum dignitatem, tum suauitatem, et utilitates ingentes esse doctrinæ de motibus syderum. Hoc mirificū spectaculum, uidelicet, tot pulchra lumina, tam uarios cursus, qui miras uices certissimis legibus conficiunt, nō frustra posuit nobis ob oculos Deus, sed uoluit ut nos in de anni descriptionem & temporum spacia uicesq; sumeremus, & diuersa temperamenta annorum prospiceremus. Postremo, ut hic pulcherrimus ordo motus, & consensus moneret nos de opifice, hæc non extitisse casu, sed ab aliqua æterna mente esse orta, & gubernari. Quare generosa ingenia decet abhorrere auribus atque animis ab Epicureis illis, qui hanc certissimam motuū scientiam aspernantur. Magna uero etiam uis & utilitas est etiam alterius partis, uidelicet, doctrinæ prædictionum, quæ sumuntur à causis cœlestibus. Nam & Galenus autor grauissimus affirmat affici animantium corpora à lumine Planetarum, magnamq; uim omnium Planetarum esse in temperamentis & miscendis & turbandis. Et quidem grauiter reprehendit eos qui dissentiunt: Ait enim experientiam manifestam testari hanc uim esse syderum: Sophisticum uero esse, negare manifestam experientiam. Multa iudicari possunt ex positu astrorum de ualetudine corporum, de ingenijs & inclinationibus, deq; multis in uita casibus, de tempestatibus, de mutationibus Rerumpub. Plurimum autem tantarum rerum consideratio & animaduersio conducit prudentibus. Nec pugnat religio Christiana cū hac sententia, nec damnant has prædictiones sacræ literæ: Sunt enim pars quædam Physices, sicut Medicorum

prædictiones: Sumuntur enim à cauſis naturalibus. Diuinitus alia uis eſt indita Soli, alia Lunę, ut uis eſt alia piperis, alia maluæ, & pium eſt agnoſcere opera Dei & obſeruare uires illis inditas. Sed hęc diſputatio longior eſt, quàm ut hic tractari tota poſſit, & extant libri eruditiſſime ſcripti multorum qui Pici & aliorum ſimilibus calumnijs reſpondent. Illud tantum adijciendum eſſe puto, iniquum eſt pronunciare priuſquam cauſam cognoueris. At illi uituperant hanc doctrinam, qui ſimpliciter eam ignorant: Quare eorum iudicia merito deridentur. Non temere diſſentiendum eſt ab eruditiſſimorum & prudentiſſimorum hominum iudicijs, qui cum harum artium uim & uſum cognouiſſent, poſteris eas tanquam uitæ utiles tradendas eſſe putauerunt. Et arrogantia eſt cum ſumma ſtulticia coniuncta, uenari choragium aliquod gloriæ ex inſectatione artium, quæ ſunt graui autoritate doctorum & prudentum receptæ. Sed de hac controuerſia alibi diſputabimus prolixius. Bene uale doctiſſime Schonere, & perge de publicis ſtudijs bene mereri. Vuittebergæ menſe Auguſto, Anno 2536.

Præfatio

PRAEFATIO IN SPHAE-ram.

PHILIPPVS MELANCHTHON Simoni Grynæo uiro doctiſſimo, & amico ueteri S. D.



Vm in omnibus artibus proſit initio breuia quædam elementa tradere ad præparandos ſtudioſos, ad interiorem doctrinam, maxima profecto debetur gratia uiris optimis & eruditiſſimis, qui harũ pulcherrimarum diſciplinarum, uidelicet Aſtronomiæ, & Coſmographiæ Iſagogas nobis compoſuerunt, qui quidem non ſolum propter ipſarum artium dignitatem, ſed magis etiam propter rei difficultatem laudari merentur. Magni enim negocij fuit, magnæ prudentię, ex tanta tamq; multiplici rerum copia eligere ea quæ maxime in aditu ac ueſtibulo profutura eſſent. Hanc ob cauſam ſemper amaui mirifice libellum Iohannis de ſacro Buſto, qui mihi uidetur elementa in hoc genere complexus aptiſſime, ac plurimum uidiſſe in gymnaſijs homines doctiſſimos iudico, qui magno conſenſu prætulerũt hunc libellum alijs eiuſdem generis, & extate in omnibus ſcholis, & in omnium manibus uerſari uoluerunt. Victurus genium debet habere liber, inquit Martialis. Sed talis genius non contingit operibus, quę nullam habent utilitatis commendationem. Cum autem hic libellus tot ſeculis in omnibus ſcholis in tanta uarietate iudiciorum genios habuerit propicios, neceſſe

est eum rebus optimis refertum esse. Videmus enim pauciſſima ſcripta uetuſtatem ferre, præſertim in ſcholis, ubi moroſiſſime iudicari ſolet. At hic libellus multis iam ſeculis maxima cũ approbatione doctorũ omniũ legitur. Quare & nos curemus eum per manus acceptum à maioribus tradere poſteris, & tanquam opus publicum cõmunibus ſtudijs conſeruemus, ut in ſcholis aditum iuuenibus ad pulcherrimas artes, quarum elementa tradit, oſtendat. Nam ſi exiſtimamus illarum artium cognitionem utilem in uita eſſe, magnopere nobis hæc monumenta conſeruanda ſunt, quę aditum ad eas patefaciunt. Quis eſt autem tam ferreus, tam ſine ſenſu ullo, ut non aliquando ſuſpiciens cœlum, & pulcherrima in eo lumina intuens, admiretur tam uarias uices, quæ motibus conficiuntur, nec cupiat quaſi ueſtigia illorum motuum, uidelicet, certam rationẽ diuinitus oſtenſam, cognoſcere? Neq; enim res tam uarię, tamq; procul poſitæ aut inquiſitæ eſſent, aut acie ingenij humani perſpectę, niſi Deus ſtudia quorundam ſummorum uirorum & excitaſſet & prouexiſſet. Itaq; cum ducat homines natura ad has artes, prorſus humana mente carere iudicandi ſunt, qui pulchritudine illarum rerum, & cognitionis ſuauitate nihil afficiuntur. Ac præclare Plato ait, Aſtronomię cauſa oculos hominibus datos eſſe. Volebat enim ſignificare, in omnibus corporibus nihil eſſe pulchrius, quàm iſta cœleſtia lumina, & homines natura ad hanc pulchritudinem fruendam præcipue rapi, ac mihi quidem oculi ipſi cognationem uel maximam cum ſyderibus habere uidentur. Vt enim in mundo lucet Sol, ita in homine, quem nonnulli propter plurimas ſimilitudines μικρὸν κόσμου uocauerunt, ſua quę

dam lu-

dam lumina, uelut sydera condita sunt. Itaq; qui cognita illa lumina fastidiunt, non considerant naturæ opificium, eamq; ob causam digni erant, quibus eruerentur oculi, cum his ad hanc rem uti nolint, ad quam præcipue conditi sunt, præsertim cum illa cognitio admoneat etiã nos de Deo, & de immortalitate nostra. Neq; enim fieri potest, quin statuat humanus animus mentem aliquam esse, quæ regat & gubernet omnia, si animaduerterit illos ratos cursus & leges magnorum orbium & stellarum. Nihil enim tale casu, aut alia ui ulla sine mente existere, aut constare potest. Quare si Astronomia confirmat hanc de Deo opinionem in animis hominum, Plato non solum erudite, sed etiam religiose dixisse iudicandus est, Astronomiæ causa nobis oculos datos esse. Sunt enim certe ob hanc causam præcipue dati, ut ad quærendam aliquam Dei noticiam duces essent. Proinde ex Philosophis soli isti, qui Astronomiam aspernati sunt, ex professo fuerunt ἄθεοι, & sublata prouidentia, etiam immortalitatem animorum nostrorum sustulerunt, qui si attigissent hanc doctrinam, manifesta Dei uestigia in natura deprehendissent, quibus animaduersis coacti essent fateri mente aliqua hanc rerum uniuersitatem & conditam esse, & gubernari. Sed si quis etiam autoritatem requirit ex sacris literis, quæ hæc studia commendet, habet in Genesi testimonium grauissimũ, ubi scriptum est: Erunt in signa, tempora & annos. Quomodo autem conficiet nobis Sol annos, nisi obseruato curriculo, descriptis spacijs, atq; interuallis cursus ac temporum? Quare cœlestis illa uox hortatur nos ad obseruandos cœlestium corporum motus. Quid commemorem utilitates publicas, qualis futura esset hominũ

uita, si non haberemus descriptam temporum ratio-
nem, si non haberemus in historia, aut rebus gerendis
annorum numerum? Plus quàm barbaries, imò belua-
rum uita fuerit, nullam nosse antiquitatis seriem, nul-
lum temporum ordinem in præsentibus negocijs con-
stituere posse. In tanta insscitia, neq; religio ulla, neq; ci-
uilis status retineri posset. Cum igitur & natura nos
excuscitet, & hortentur diuina oracula, quanquam ille
etiam naturæ sensus, diuinus quidam afflatus, & quæ-
dam quasi Dei uox est, & magnitudo utilitatum inuitet
ad hanc doctrinam, diligenter eam colere studiosi ado
lescentes debent. Atque in hacre patriæ laudibus etiam
moueri eos conuenit, quia hæc doctrina cum aliquot se
culis sine honore iacuisset, nuper in Germania refloruit,
restituta à duobus summis uiris, Purbachio, & Regio-
montano, quorum alter ex Norico, alter ex Francis uici-
nis ortus est. Hos heroas singulari quadam ui diuinitus
ad has artes illustrandas excitatos esse, res testatur ipsa.
Quando enim tantum lumen habuerunt, postquam
hæc studia in Aegypto extincta sunt? Nam & si Arabes
desertam à Græcis possessionem magna ui inuaserunt,
adeo ut has artes in Occidentem & Hispaniam usq; pro
pagauerint, tamen eorum scripta ostendunt curiosam
nationem non tam elaborasse in obseruandis motibus,
quàm in diuinationibus, quarum adeo cupidi fuerunt,
ut non contenti Ptolemæi Astrologia, quæ pars quæ-
dam Physices existimari potest, sortes etiam & alia mul
ta prædictionum genera ἀναιτιολογητὰ cõmenti sint.
At nostri illi contulerunt omne studium ad præcipuam
doctrinæ partem, obscurissimas demonstrationes Pto-
lemæi eruerunt, & patefecerunt, & ut transmitteretur

ars ad

ars ad posteros, instruxerunt nos nõ unius generis commentarijs. Veteres laudant Architæ columbam, & uaria Archimedis opera: at longe admirabilius opus est breuis ille libellus Theoricarũ Purbachij, qui summam longissimi operis Ptolemæi cõplexus, positus orbium subijcit oculis. Quid dicam de reliquis monumentis, de integra epitome, de tabulis, in quibus ut absoluerent artem, usum præceptorum ostenderunt. Hactenus igitur huius doctrinæ laus penes nostros homines fuit. Nam autores illi semina huius doctrinæ spatserunt per Germaniam, non aliter ac frugum semina Triptolemus in Græcia diffipasse scribitur. Quare turpissimum nobis fuerit, tam honestam possessionem optimarum rerum amittere. Sed sunt nonnulli Epicurei Theologi, qui totum hoc doctrinæ genus stridẽt: nec solum prædictionibus fidem detrahunt, sed etiam uituperant motuum cognitionem, quos sinamus unà cum Epicuro ineptire. Sunt enim eiusmodi, ut magis opus habeant Medicis quàm Geometris. Est enim manifestum insaniæ genus, aspernari motuũ cognitionẽ, quę habet eruditissimas et firmissimas rationes, ut maxime alterã illam partẽ diuinatricem omittamus. Quanquã mihi neque Picus neq; quisquam alius persuaserit, sydera nullos habere effectus in elementis, & in animantium corporibus, præterea nullas significationes in hac inferiore natura. Nã experientia ostendit, ardentium stellarum congressus urere hæc corpora & siccitates afferre: rursus etiam congressus humentium syderum augere humores. Deinde uarie mixta lumina, uariæq; temperatæ qualitates, ut in pharmacis res dissimilimę, aliter temperatę, alios habẽt effectus. Ideoq; recte dixisse Aristotelem iudico, cum ait

hunc

hunc inferiorem mundum à superiore gubernari, & superiora causam motus inferioribus corporibus esse: & addit ratione prudentissime cogitatam. Cum initium motus sit à cœlo consequi motum cœli, & reliquis causam motus esse. Hæc enim sunt eius uerba, quæ ascribemus ut meminerint adolescentes tanquam oracului: ἔστι δ' ἐξ ἀνάγκης συνεχὴς πως οὗτος τῶν ἄνωθεν φορῶν ὥστε πᾶσαν ἄνωθεν τὴν δύναμιν κυβερνᾶσθαι ἐκεῖθεν, ὅθεν γὰρ ἡ τῆς κινήσεως ἀρχή, πᾶσιν ἐκείνην αἰτίαν νομιστέον πρώτην. Sicut enim in his nostris corporibus uita, seu primus motus qui in corde existit, ciet motũ in alijs membris, ita cum haud dubie motus cœli primus sit, reliqua corpora incitat, ut suos quosdam motus efficiant. Neq; uero quisquam recte institutus in Philosophia aliter sentit unquam. Nam & Medici qui solent in materia potius quàm in cœlo rerum causas quærere, tamen multa referunt ad syderum constitutiones, sicut ostendit libellus qui Hippocrati ascribitur, de aëre, aquis & locis. Atq; hæc non dissentiunt à Christiana doctrina, quæ & si docet nos omnia diuinitus gubernari, tamen non tollit naturales actiones ac significationes rerum, sicut in alendis corporibus apparet, quibus & si uitam ac motum Deus impertit, tamen ea foueri, ac pasci cibo, potu, & alijs rebus ad uitam tuendam conditis iubet. Ac prudentia digna Christiano est, dijudicare quę sint communes actiones Dei & naturæ, quę autem sint proprie supra naturam positæ. Et ut de homine proprie dicamus, sæpe mihi cogitanti tria uidentur genera actionum in homines cadere. Notissimũ est, quod à natura hominis proficiscitur, sensu ac ratione. Ad id pertinent inclinationes quæ sequuntur temperamenta qualitatum. Videmus

enim

enim dissimilitudines ingeniorum infinitas, quæ profecto pariunt dissimiles actiones, quemadmodum Poeta uere significauit, cum inquit:

Naturę sequitur semina quisq; suę.

Quid enim tam receptum apud Medicos est, quàm τὰ ἤθη & τὰ πάθη corporum dispositionem imitari? Idq; res loquitur, ipsa ἤθη in homine bilioso existere nulla posse, sed excitari in eo immoderatos impetus, quasi uentos, magna & uehementia πάθη, quæ difficilime possit ratio regere aut flectere. Si quis autem considerabit diuersas regionum naturas, & diuersarum gentium ingenia, quâ aliam causam huius dissimilitudinis ostendere poterit, quàm cœli naturam? Vnde facile iudicari potest in miscendis temperamentis corporum atq; ingeniorum inter alias causas etiam luminis naturam concurrere. Neque ego nihil educationem, consuetudinẽ, institutionem, leges atq; consilia in regendis inclinationibus istis proficere iudico, sed hæc quoq; pono in hoc genere actionum, quod à natura proficiscitur. Alterum genus est actionum, quæ supra naturam existunt in homine diuinitus. Hoc est enim Christianæ mentis, intelligere ac sentire diuinitus homines custodiri atq; gubernari. Etsi autem ita gubernat Deus, ut naturæ suas partes etiam aliquo modo relinquat, tamen multa corrigit in natura, & multarum rerum euentus concedit alios & quales proponit natura. Neque enim Moises beneficio astrorum seruatus est, cum euaderet uia per maria patefacta. Neque Petrus cum per Angelum è carcere educeretur, syderum beneficio liberatus est. Neque Paulus ex hoste Euangelij potestate astrorum pius factus est. Talium operum causam proprie ad Deum referendã esse,

nemo non intelligit. Sicut igitur naturę uires in alijs partibus eatenus recipimus, ne regnum Christi tollant, ita suas uires lumini eatenus ttibuemus, ne quid de gloria Christi detrahatur, cui cum omnia subiecta sint, iure etiam sentiendum est, stellarum uices ei parere oportere. Ac bonæ mentes hac sententia erigere se atq; confirmare debent aduersus tristes significationes, quę non raro mirabiliter animos in tanta naturæ humanæ imbecillitate perturbant. Atq; ut aliàs uerbum Dei anteferre nostris opinionibus debemus, ita aduersus has significationes animi uerbo Dei ac promissionibus diuinis confirmandi sunt. Idq; uulgata sententia docet, quæ citatur ex Ieremia: Nolite timere à signis cœli, quæ timẽt gentes. Neque enim negat Propheta signa esse, sed cum signa nominet, sentit ea res magnas atq; tristes minari. Consolatur autem pios, ne ea metuant, non quia nihil significent, sed ut confidant se diuinitus inter illa pericula tegi ac seruari. Sicut mortem timere Christus prohibet, non quia mors non sit aspera, sed ut sciamus nobis etiam in morte ipsum adesse Christũ, ut nos seruet. Erigenda igitur mens est supra uniuersam hãc corporalem naturã, uel si fractus illabatur orbis, nec patiendũ ut uerbum Dei, ut fiducia erga Deum nobis excutiatur, qua sicut muniuntur piæ mentes aduersus prę sentia pericula, ita muniendæ erunt etiam aduersus inimicas astrorum significationes. Sicut igitur aliæ partes Physices non lædunt religionem Christianam, ita neque Astrologia, nam hanc quoque partem Physices esse sentimus, officit pietati, si quis in loco utatur. Ac prę ter hæc duo actionum genera quæ recensui, reliquum est tertium genus actionũ, ad quas suscipiendas, animi contra naturam à diabolo

diabolo magno motu impelluntur. Neque enim aut astris, aut alijs naturalibus causis, sed diabolo recte tribuentur Neronis & similium Tyrannorum prodigiosæ libidines atq; parricidia. Itaque cum humani animi nõ uno tantum genere causæ moueantur, consequitur leges fatorum uarijs modis impediri, interdum afflatu diuino, interdum institutione, interdum deliberatione, interdum etiam in deterius flectiã diabolo. Præclare igitur inquit Ptolemæus, Astrologorum decreta non esse prætoria: Nam prætoris edicta populum parere cogũt, Illæ uero significationes non afferunt uim hominibus, &si non ubiq; sunt ociosæ. Atque harum rerum exempla suppeditant historiæ. Sed hæc disputatio longior est quàm ut hic explicari tota possit. Hæc enim ideo cõmemoraui, ne adolescentes in totum damnent hunc chorum artium, propterea quod imperiti quidam irrident diuinationes: Nam illa doctrina de motibus cognitionem habet suauissimam, & homine dignissimã. Et si quis adhibebit iudicium, intelliget alteram partem artis, diuinatricem uidelicet, perinde esse partem Physices, sicut Medicorum prædictiones pars quædam Physices esse existimantur. Neq; enim illa pulchertima corpora syderum frustra cõdita esse sentiendum est, præsertim cum ille ordo atque cursus summa ratione constet, adeo ut quędam quasi politia in cœlo, uelut in poemate depicta esse uideatur. Sol enim qui regnare uidetur, in medio orbe uehitur, stipatus senatoribus, bellatore, atq; oratore: habet & œconomas Lunam & Venerem, nam hæ præcipue dominantur in ciendis humoribus, quibus aluntur corpora. Cum autem & hic admirabilis ordo ac positus, deinde certissimæ leges cursus testen-

tur hoc opificium summa ratione constare, non est consentaneum, astra nullas significationes, nullos effectus habere. Neque uero frustra dicunt sacræ literæ: Erunt in signa, tempora, & dies & annos. Hic non solum inquit annos, dierum & noctium uices, discrimina temporum uidelicet æstatis atq; hyemis ab astris confici, sed addit etiam de signis. Idq; interpretatur consensus omnium seculorũ, quo compertum est, eclipses semper habuisse tristes euentus. Non est autem hominis bene instituti, dissentire à consensu tot seculorum. Hæc fortasse longius quàm oportuit in hunc libellum præfatus sum, sed uolui commonefacere adolescentes in ipso uestibulo harum artium, ut de hoc toto choro artium honorificentius sentiant. Scripsi autem ad te, Grynæe doctissime, non quod hac oratione te arbitrarer accendendum esse, qui in uniuersa Philosophia sic excellis, ut quem tibi conferam ex nostris hominibus, habeam neminem: sed harum artium mentio semper memoriam mihi tui renouat, cuius rei testem habes uirum optimum Iacobum Milichium, qui quoniam has artes hic docet, multum de eis mecum confabulatur, quo in sermone sæpenumero incidimus in tui mentionem. Nemo itaq; fuit ad quem potius de his artibus scriberem, quàm ad te, ut intelligeres nos cum ipsis recordationem tuæ amicitiæ coniungere. Quanquam extant & publica quædã monumenta tua, quę nos de tuis uirtutibus atq; pulcherrimis studijs admonent. Habemus enim Aristotelem tuo beneficio emendatiorem, ac nitidiorem, quem scis me ualde mirari, amare atq; colere. Sed nunc magis amo, postquam habeo in uestibulo operum eius nomen hominis amicissimi ascriptũ. Vtinam uero contingat mihi

aliquando

aliquando ocium ad hunc autorem illustrandum atq; ornandum, quemadmodum tu instituisti magna cum laude facere. Accipio enim te libros aliquot longe fœlicius enarrasse, q̃ solebant isti, qui paulo ante hanc æta tem, non natiuam Aristotelis faciem, sed uix exiguam umbram nobis ostendebant: nec tradebant Philosophiam, hoc est, sapienter dicendi & iudicandi scientiã, sed hanc oppressérant, ociosis & inanibus argutijs, quæ nihil ad iudicandum de ciuilibus aut alijs magnis rebus proderant. Sed hæc aliàs.

Bene uale. Viteberg, mense Augusto.

1531.

PRAEFATIO PHILIPPI MELANthonis in Theoricas nouas Planetarum, Georgij Purbachij Germani.

DOCTISSIMO VIRO SIMONI Grynæo, Philippus Melanthon S. D.

QVm Græcia longo & ciuili bello undiq; arderet, & malis uexaretur omnibus quę bellum præsertim ciuile comitari solent, Apollo consultus in Delo, quando tantarum calamitatũ finis futurus esset, aut quibus modis Dij facti placatiores, præsentes ærumnas depulsuri

essent, respondit, tum demum Græciam tranquillam fore, cum sibi aram, quę ibidem erat, duplicassent. Erat aũt aræ figura cubica, quam cũ Delij duplicare instituissent, alteram pari magnitudine addiderũt, & ex cubica figuram quadrangulam effecerũt. Aliquanto post, cum publicę calamitates nihilo fierent mitiores, iterum interrogant Apollinem, tite ne paruissent oraculo: Apollo negat eos imperata feciſſe. Ibi uero perculsi Delij, suspicantur rem grauiorem per ambages significatã esse, & oraculi interpretem quærendum esse censent. Veniunt itaq; ad Platonem, qui docet, qua in re sit erratum, uidelicet, nescisse eos cubi & quadranguli discrimen, nec ex cubo fuisse quadrangulum faciendum, monstrat qua ratione cubus duplicandus sit. Cęterum admonet hanc oraculi sententiam esse, ita demum Græciam futuram tranquillam, si se ad Philosophiam Græci cõuertissent, quia hęc studia animos ab ambitione, & cęteris cupiditatibus, ex quibus bella & cætera mala exiſtunt, ad amorem pacis, & moderationem in omnibus rebus abducerẽt. Huius mihi Platonici oraculi, sæpissime uenit in mentem, mi Simon, cum horribiles horum temporũ tumultus considero. Nec uero alienum putaui hoc loco recitare, præsertim cum ad te scriberem, hominem cum in reliqua Philosophia, tum in his ipsis artibus eruditissimũ. Nam mihi quoq; unum hoc remedium uidetur publicarum calamitatum fore, si se nostri homines ad ueram uerem̃q; Philosophiam conuertant, quæ cũ incendat animos amore ac studio ueritatis, & ad intellectum atq; admirationem optimarum rerũ exuscitet, una efficit uiros bonos ac moderatos, ac dissimiles horum, qui nunc cũ propter inscitiam bellum ueritati & rectæ doctrinæ indixerint,

dixerint, & in homines studiosos horribilem crudelitatem exerceant, publicas discordias præcipue alunt atq; inflammant. Etsi autem isti Platonis oraculo nihil afficiuntur, nos tamen decet operam dare omni contentione, ut iuuentutem ad hæc studia reuocemus, & ut pulcherrimę artes conseruentur, & ad posteros perueniant, quod certe præstare ipsi in hoc uitæ genere debemus, & ut olim habeat Resp. ciues recte eruditos, καὶ γνησίως φιλοσοφόντας, qui mederi publicis malis & uelint & possint. Neq; uero ulli melius gloriosiusq; de uniuerso genere humano mereri censendi sunt, nec Deo gratius facere quidquam, quàm si qui hoc consilio optimarũ artium studia defendunt, atq; ornant. Huic merito, nulli triumphi, nullæ uictorię iure anteponi poterunt. Ac noui ego quidem tuos ad hanc laudem impetus iam olim, sed postquam nunc optimos autores, primũ Aristotelem, deinde Euclidem & Platonem ædi curasti, & ut intelligo, iam adornas æditionem Magnæ Syntaxeos Ptolemæi, extant minime obscura iudicij ac uoluntatis tuæ testimonia. Itaq; & tibi hunc animum, & rei publicæ gratulor, teq; non desinam, tametsi σπεύδοντα, ut dicitur, hortari, ut totũ te ad hanc Philosophiam illustrandam conferas. Habes huius honestissimi curriculi socios, nõ sanè multos, sed tamen aliquos passim in Germania, uiros optimos & doctissimos, qui & ipsi commouere studia iuuentutis hac in re conantur. Recte enim iudicant, reliquam Philosophiam mancam atq; mutilam esse, ni si rerum cœlestium cognitio accedat. Scis autem in scholis opus esse elementis, Nec alius libellus magis necessarius est, q̃ Theoricę ut uocant, seu picturę orbium cœlestium, quas cum hic ędemus, diligentia uiri optimi ac ueteris

ueteris utriusq; nostrum amici ornatas, Iacobi Milichij, in uestibulo hanc ad te Epistolam addidimus, non solum, quod tui memoriam nobis subinde renouat harũ artium tractatio, sed magis eò, quia libellum sperabam plus habiturũ gratię apud studiosos, propter tuum nomen, quod propter egregias uirtutes tuas apud omnes literatos admodum gratiosum est: præterea intueri omnes in te cupio, ut tuo exemplo cogitent se has communes literas cum interiore Philosophia coniungere debere. Nam Epicureos illos, qui neque pulcherrimos motus cœlestium corporum admirantur, neq; cognitionem eorum utilem esse contendunt, ne quidem appellatione hominum dignos esse iudico. Etenim non solum bellum gerunt cum humana natura, quę præcipue ad has diuinas res aspiciendas condita est, sed etiam θεόμαχοι sunt. Voluit enim Deus horũ mirabilium cursuum acuirium noticiam, ducem nobis esse ad diuinitatis cognitionem. Quanquam autẽ in hanc sententiam alio in loco multa à me disputata sunt, tamen quoniam hæc adolescentię magis & tibi legenda scribimus, quædam huius doctrinę utilitates colligendę sunt. Primum pecuina uita esset, si nullam certam anni ac temporum descriptionem haberemus. Sed illa utilitas longe maior est, quod leges illę motuum constitutæ ad omnium animantium salutem, deinde & uires cœlestium luminum multiplices, & superiorum atq; inferiorum corporum consensus perspicue testantur, hunc mundum, ut uenustissime inquit Xenophon, σοφῶ τινος δημιουργοῦ καὶ φιλοζώου τέχνημα esse, ac mente aliqua æterna & optima conseruari atq; gubernari. Quantum autem refert, hominum animos intuentes in illa diuinitatis uesti

gia, sire

gia, firmam tenere persuasionem de Dei præsentia, deq; prouidentia? Profecto in bonis mentibus magnã hoc uim habet & ad religionem confirmandam & ad regendos mores. Hęc si quis arroganter contemnit, naturę suæ immanitatem prodit non aliter atq; Cyclops apud Homerum, qui negat se ullos uereri Deos. Quin potius, ut Plato dixit, Deum semper γεωμετρεῖν, hoc est, certissimo motu omnia metientem, gubernare hæc inferiora, ita nos uicissim huius summi artificis lineas considerantes, hac pulcherrima Geometria nos oblectemus, quæ diuinitatem nobis ostendit. Si ob hanc causam præcipue condita est cœlestis natura, ut certe est, ut Deum nobis monstret, satis cõstat, uoluntati Dei nõ parere istos, qui hęc diuinitatis uestigia nõ aspiciunt neq; inquirunt. Iam quantum prodest ad omnes uitę partes diuinatrix illa pars, hoc est, Physica, quæ disputat, quos habeant effectus astra in miscendis corporum temperamentis. In priuata uita habet usum in medendo, ut summi autores testantur. Conducit & ad regendos mores, & deligenda studia, plurimum enim refert, intelligere quo quenq; natura ducat, ut bonos impetus industria iuuemus atq; conformemus, prauos cohibeamus. Nam ingeniorum naturę magna ex parte imitantur temperamenta. Non dicam hoc loco de fortuna, ne omnes uitę casus ad astra referre uidear. Sed tamen & fortuna sæpe comitatur mores. Et quanquam alię quoq; causę sunt humanorum euentuum, tamen res loquitur ipsa, interdum in astris causam esse, cur, ut Hesiodus inquit, ipse dies quandoq; parens, quandoq; nouerca sit. Minus autem lædet fortuna bene præparatum animum. Nec nihil conducit tempestatum obseruatio ad œconomiam.

Porro hi proximi anni aliquot, satis claras significationes prębuerunt, sydera magnam uim in aëre & rebus nascentibus habere. Idq; palam testantur insignes syderum congressus. Existunt & in Rebuspub. fatales tempestates, in quibus admoniti ab hac arte, multa prouidere possunt, uel ad cauenda, uel ad mitiganda pericula. Sæpe enim fata consilio in melius flecti queunt. Sæpe fatorum sęuiciam lenit Deus, placatus piorum uotis. Quare hæc quoq; grauis causa fuerit, rerum futurarum significationes animaduertendi. Prodest enim commonefieri homines atrocibus syderum minis, ut à Deo opem implorent, deinde ut bonitatem Dei magis agnoscant, cũ uiderint aliquam esse superiorem ac meliorem naturã syderibus, quæ tristes significationes mitigat. Nec dubia est harum artium fides: Nam & motuum ratio demonstrationes habet, quarum eò est suauissima cognitio, quia delectat animos certitudo, & harmonia seu consensus in tanta uarietate argumentorum. Et diuinatricem siquis prudenter ad Physicen referet, intelliget eam habere graues causas. Et tuetur eam experientia peritissimorum hominum. Recte uero Galenus de hac ipsa arte inquit, Sophisticum esse, contra experientiæ testimonium, rationes quærere. Nec eò detrahenda est arti fides, quia aut artifices aliqui inepti sunt, aut non omnes euentus humani in arte monstrantur, sunt enim & aliæ quædam præter sydera euentuum causæ. Etsi autem in tantis tenebris humanę mẽtis, multa prospici nequeũt, tamen artis beneficium non leue ducendum est, quæ pleraq; interim & ad uitę summam pertinentia monet. Quoties fallimur in leuioribus artibus, & in ijs rebus, quę sunt, ut ita dicam, in manibus? Neq; tamen propter huiusmodi

huiusmodi errata, explodendæ sunt artes. Sed prudentia est, ad uitæ usum inde, quantum possumus, transferre. Illud etiam recte institutis iudicare facile est, quis esse modus diuinationum debeat, & quod religio approbet has diuinationes, ut Medicorum iudicia, aut ceteras Physicę partes. Sed hęc alibi disputauimus. Cum igitur prędmia sint artis ingentia, cumq; mirifica sit cognitionis suauitas, tamen uel inertia hominum fit, ut hę tantę res neglectę ac spretę iaceant, uel etiam prauis iudicijs. Non enim nulla scholarum culpa est, in quibus rixę Sophistęę longe anteferebantur his pulcherrimis atq; optimis disciplinis. Homerus cum in clypeo Achillis pingeret sydera, & cœli uerticem ac motũ describeret, quid aliud uoluit significare, q̃ harum rerum inquisitionem summis heroibus dignam esse? Apud Vergilium Iopas in regio conuiuio canit errantem Lunam, Solisq; labores. Turpe est autem in castris, & in conuiuio in admiratione fuisse has artes, & in scholis iacere spretas atq; neglectas, quibus Philosophię defensionem atq; conseruationem Respub. commendauit. Possem exempla commemorare ueterum & huius ętatis Regum, qui huic studio dediti fuerunt, non solum uoluptatis causa, sed quod cõducere arbitrabantur ad consilia rerum gerendarum, sed ipsę stellarũ appellationes satis monent hanc fuisse olim maximorum Regum Philosophiam. Ideo enim plerisq; stellis heroum nomina indita sunt, quia cœlestes motus obseruarunt atque illustrarunt. Nec Orphei chelyn aliam ob causam inter sydera positam arbitror, q̃ quia hanc Philosophiam de syderibus docuerit. Itaq; hortentur iuuentutem ad hęc studia, & dignitas harum rerum, & cognitionis suauitas, & magnitudo utilitatũ,

& honestissima exempla omnium summorum ingeniorum omnis ætatis. Quid quod hæc cœlestis Musica profutura est etiam moribus? Nam ipsa consideratio magnarum & diuinarum rerum animos captos admiratione tantæ pulchritudinis, mirabiliter ad uirtutem & ad moderationem flectit. Quodq; fertur Orpheus cantu syluas & saxa traxisse, hoc est, homines rudes & feros ad se conuertisse, ut uiuendi leges acciperent, non arbitror eos magis ullius rei dulcedine captos esse, q̃ monstratis rebus cœlestibus. Nec deterreri se ab his studijs recta ingenia sinant indoctorum iudicijs, qui tantum quæstuosas artes mirantur. Nam cum hæc sint uirtutis studia, fortitudo etiam in eis colendis requiritur, quę animos aduersus stultas uulgi opiniones obfirmet, & peruersa iudicia contemnat. Atque hoc tempore uel maxime pugnandum est cum indoctorum persuasionibus. Nulla enim ætas tam ferrea rectis studijs fuit, quàm ista: cuius rei etiamsi sunt quædam in astris causę, ut eclipses & Cometæ horum annorum non obscure significant, tamen & prȩter fatales causas augent hanc rabiem suo scelere homines improbi, quorum animi ambitione & auaricia occupati, uere bona neq; intelligere neq; expetere possunt. Proinde maior adhibenda est contentio bonis uiris, ne literę, non tam fato, q̃ uulgi furore oppressæ, funditus intereant. Cumq; artes Dei munus sint, non defuturus est Deus his qui ipsius dona tuentur, & conseruare studeant. Erunt & fata ipsa aliquando artibus æquiora. Fortassis hic etiam adolescentes monendi erant, quis huius libelli usus sit, Sed has partes interpretibus relinquam. Purbachius prudentissime in hanc epitomen contraxit Ptolemæi doctrinam de omnium

orbium

orbium cœlestium motibus, ut studiosis aditum ad integras disputationes patefaceret. Prodest enim ad difficiles & longas controuersias afferre summam negocij, uelut argumentum. Itaq; dum hic picturas orbium instituit, tantum τὸ ὅτι ut ita dicam, tradit. Causas uero, cur tot cuiusq; Planetæ orbes numerentur, & quibus obseruationibus tanta uarietas animaduersa sit motuum, postea uult ex Ptolemæo peti. Ad hæc cognitis his elementis, Planetarum motus ex tabulis ad id compositis computari possunt. Id quoq; pertinet ad τὸ ὅτι. Sed tamen hæc primum tradenda iudicauerunt homines periti, ut postea demonstrationes de causis facilius percipi possent. Et interim dum hæc eleméta sunt in manibus, & agitantur, interdum causæ aliquæ simul ostenduntur: Mirabili enim uinculo inter se doctrinæ partes connexæ sunt. Plato grauissime inquit σοφώτατου ἀνάγκη τὸν ἀληθῶς ἀστρονόμον εἶναι. Magna enim doctrinæ copia est in hoc genere, nec ulla tam facilis pars est, quin si penitus uelimus eam cognoscere, plurima simul quærenda sint. Etsi autem non omnes se prorsus huic studio addicere uolent, tamen hęc initia ignorare homines litteratos turpe est, & alienum humanitate: Quomodo sint contrarij motus orbium: De solis cursu, quę sint æquinoctiorum, ac solsticiorum causę ac notę, cur in alia circuli parte tardior sit motus, in alia uelocior: Quomodo Solis cursus, quomodo poli altitudo spacia dierum mutet: Quę sint umbrarum differentię, ex quibus cum alia multa deprehensa sunt, tum etiam solis & terrę magnitudines: Qui sint regionum situs: Quare Luna singulis mensibus occultetur, & postea prodiens paulatim impleat orbem: Quę Eclipsium causę sint. Hęc atq; alia

multa in facilima parte huius libelli traduntur, quę tamen ipsa locupletissimam quandam doctrinam continét, nec explicari possunt, nisi multa requiramus ex fontibus ubi de causis disputatur. Quare magnum operæ precium facient studiosi in hoc libello cognoscendo omnes, sed generosę naturę degustatis his initijs, ad cætera ingenti animo contendere debēt, ut pulcherrimam & suauissimam Philosophiæ partem absolutam, ad uitæ usum accommodare possint, & causas uidere, unde sint illi rerum circuitus, quos ita uocat Plato, in naturis corporum, & in Rebuspub. qui ortus, incrementa, inclinationes, & interitus continent. Ad hęc si accesserit liberalis aliarum literarum doctrina, & religionis scientia, quid potest cogitari tali uiro, qui ista consecutus est, beatius? Nulla regna, nullas opes, nullas uoluptates animus non monstrosus his bonis anteferet. Neq; uero ulla ex arte fructum capere satis dignum sine hac societate doctrinarum quisquam poterit. Sed ut in fidibus plurium concentus efficit perfectam sonorū suauitatem, ita copulatio uberiores & gratiores in singulis artibus fructus parit. Id non difficile est iudicare: Siquis enim per omnem uitam tantū in Dialectica aut Arithmetica elaboret, nullis alijs adhibitis artibus in quibus illæ exerceantur, is uelut ludo quodam delectari suo studio uidebitur, non ueros ex arte fructus poscere. Quanto autē uberiores ex utraq; fructus percipiemus, cum Arithmeticæ beneficio syderum motus inueniemus, cum ratiocinando conferemus causas, & effectus, uel in natura, uel in negocijs, & iudicabimus, quæ consentiant, quæ dissideant? Quare si ueros ex singulis artibus fructus auferre cupimus, totum doctrinarum orbem animis intueamur,

mur, atq; expetamus, præsertim si non repugnet natura, & contingant idonei duces. Talis doctrinę perfectio nō solum priuatim beatos efficit: nam & præsidium est uitæ firmissimum, & complet animos ueris & non peritu tis uoluptatibus, sicut inquit Aristoteles: δοκεῖ γοῦν ἡ σοφία θαυμαστὰς ἡδονὰς ἔχειν καθαριότητι καὶ βεβαίῳ. sed etiā præclare mereri de Repub. potest. Non est enim obscurum, quantum noceant Rebuspub. homines leui ter docti, qui de maximis rebus falsas opiniones ferunt. Hæc ad te de communibus studijs libenter scripsi, non quidem tua causa, uideo enim te recto cursu fœliciter ad illum scopum, quem petendum esse dixi, contendere, aut potius non procul à meta abesse, sed ut iuuentutem ad hæc studia adhortaremur, etsi arbitror nullum neq; nostræ amicitiæ aptius, neq; tibi iucundius esse quasi cō fabulationum genus, quàm de honestarum disciplina rum studijs, in quibus hancipsam partem, de qua hic lo cuti sumus, ornandam & propagandam tibi sumpsisti, qua in re non solum ingenij ac doctrinæ laudem asse queris, sed etiam prudentiæ & fidei, quod quasi desertā à multis hoc tempore stationem occupas, & ei parti Philosophiæ opem ferendam esse perspicis, quæ maxi me iacet neglecta. Vtinam uero Deus Rebuspub. tran quillitatem concedat, ut boni uiri has artes exco lere atq; illustrare possint, quibus nullum habet hæc uita ornamentum prestantius. Bene Vale.



Præfatio

PRAEFATIO IN ALFRAGANVM & Albategni.

AMPLISSIMO SENATVI NORIbergensi Philippus Melanthon.

NOn dubito uos pro excellenti sapientia uestra probare ueterem morem, quo scripta cuiuscunq; generis de doctrina bonarum rerum, summis ordinibus dedicari solent. Nam etiam si mos ille tantum ad priuatũ officium pertineret, nec aliud contineret, nisi significationem beneuolentiæ erga illos, ad quos ingeniorum monumenta mittimus, tamẽ, ut opinor, laudem meretur. Verum causæ publicæ multæ sunt huius consuetudinis. Primum interest Reipub. ut hi qui sedent ad gubernacula, inspiciant studia hominum, & dent operam, ut bona scripta in manibus ciuium uersentur: Hęc enim formant opiniones, iudicia, mores populi. Quare præcipue exhibendi sunt libri his qui præsunt, ut eorum iudicijs & autoritate comprobentur. Patronos etiam artium honeste quęrimus hoc officio, aut gratias agimus ijs qui bene merentur de publicis studijs. Nec uero ullum est iustius officium, quàm cum ipsis artibus propagare memoriam & laudem uirtutis magnorum uirorum, qui propter utilitatem publicam literarũ studia accenderunt ac propugnarunt. Et hæc exempla prę lucere posteris non est inutile. Nec ipsis opinor Principibus Reipub. indecorum est coniungi eorum memoriam cũ honestis artibus. Has causas in hac inscriptione

secutus

secutus sum, cum hos libellos, plenos eruditionis & uetæ Philosophiæ, auspicio nominis uestri publicandos esse censui. Nam hi autores aliqua ex parte ope uestra restituti sunt, & quia renascuntur in urbe uestra, & quia prodeunt emendati diligentia uiri doctissimi Ioannis Schoneri, qui stipēdio uestro Mathematicen apud uos profitetur, eiusq; studia magna fide & uirtute excitat & adiuuat. Multa uero huius generis beneficia Reipub. uestrę debemus: Nam cum inde usq; à Ioanne Regiomontano urbs uestra uelut domicilium fuerit huius Philosophię, magna fuerunt harum artium apud uos studia, multa egregia monumenta apud uos ædita sunt. Attici ingeniosi homines finxerunt Neptunum & Palladem inter se certasse, ab utro numine ciuitas appellaretur: cumq; Deorū iudicio Pallas omnibus calculis uicisset, urbem ab ea nominatam esse. Qua fabula significauerunt ciuitatem non Imperij laude, quod classibus praestaret, & opum magnitudine præstantiorem esse, q̄ ciuilibus artibus. Illud autem imprimis sapienter cogitatum est, quod eius iudicij Deos autores fecerunt, ut cū pleriq; homines summam esse Imperij gloriam existiment, admonerent Deorum iudicio longe maius esse decus ciuitatum, leges, iudicia, honestam disciplinam, & similes pacis artes. Quare ciuitas uestra iure prædicanda est, quæ semper ea fuit modestia prædita, ut imperia non appeteret. Sed cum robore ciuium armis atq; opibus sit instructissima, maluit sociarum ciuitatum libertatem tueri, quàm suam potentiam augere. Deinde domi in eo uno elaborauit, ut haberet Rempub. optime ornatam omnibus ciuilibus officijs atq; artibus. Vetus disputatio est de Monarchia & Aristocratia, sed tamen sine

ulla dubitatione pulcherrimus inter homines ſtatus eſt, in quo multi ſapientes & boni conſilia conferunt, & cõmuni animo, pari ſtudio ac fide Remp. gubernant, qui patriæ charitate deuincti, nõ certant inter ſe ambitione, ſed diligentia tuendi publica cõmoda, ac norunt inter ſe cedere, ubi Magiſtratus ordine quodam inter ſe conſociati ſunt. Ac licet alij Monarchiam anteferant, tamẽ niſi hac Ariſtocratia temperatum ſit regnũ, haud dubia tyrãnis eſt: Nemo enim unus aut proſpicere omnia, aut adminiſtrare poteſt. Et amentia eſt, ſi quis putat conducere, ut in unius uiri ſententiam ſemper fiat inclinatio. Quid quod hæc ſocietas bonorũ & ſapientum plus humanitatis habet, certe Philoſophicis naturis, quæ ſunt κοινωνικαὶ, & nihil appetunt immoderatum, gratior eſt. Itaq; & Ariſtoteles eam iuſticiam quę imperia cõſtituit, imitari proportionem Geometricam dixit, quę diſſimilis eſt regno & Democratię. Nam proportio multos inter ſe conſociat, & gradus conſtituit, ne promiſcue rapiant imperia infimi. Tantamq; uim huius proportionis eſſe Plato ſcripſit, ut quidquid boni contingit ciuitatibus, hanc proportionem eſſe cauſam affirmet, quæ cum ad Ariſtocratiam proprie quadret, Philoſophi hũc ſtatum anteferunt. Porro non facile uſquam meliorem huius ſtatus effigiem uidere liceat, q̃ in noſtra Repub. Atq; hæc ego commemorans non tantum de maiorum noſtrorum ſapientia & uirtute loquor, ſed diuina beneficia prędico. Profecto enim Reſpub. humanis conſilijs neq; conſtitui fœliciter, neq; teneri diu poſſunt. Singulare Dei beneficium eſt, quo quidem nihil eſt in rebus humanis melius ac pulchrius, Reſpub. bene conſtituta religione, legibus, iudicijs, diſciplina, artibus. Itaq; cum

Rempub.

Rempub. uestrã mente intueor, Deo gratias ago, quod propter multorum salutem bene constituit ciuitatem uestram, eamq; defendit, & bonorum uirorum sapientiam & uirtutem, qui in hac ciuitate floruerũt, agnosco Dei dona esse, & laudo ipsorum diligentiam, qui non pericula, non labores pro patria defugerunt. Vt autem de cęteris laudibus non dicam, certe hæc propria est Noribergę, plus artium quę sunt uitę utiles, in una urbe nusquam alibi est, quàm apud uos. Nec tantum florent ibi Mechanicę artes, sed Philosophię magna studia semper apud uos fuerunt, eiusq; laudis possessionem adhuc retinent ornatissimi ciues, qui præsunt Reipub. Quare ad conseruandam & illustrandam hanc Philosophię partem, quę continet Mathematicen, & doctrinam de motibus cœlestibus, multũ opis attulit uestra ciuitas. Agnoscunt igitur omnes eruditi & prudentes, magnam uobis pro hoc immortali beneficio gratiam deberi, eamq; ob causam in hac æditione ad uos scribendum esse duxi, ut significatio mei iudicij de uestra diligentia, in his artibus conseruandis & gratitudinis erga uos publice extaret. Cum autem hę artes plenę sint dignitatis, & ad uitam multas afferant utilitates, honorificum uobis est, tam frequentia earũ studia esse in urbe uestra, ut etiam celebres Academias in hoc genere prouocare possitis. Etsi autem ea sapientia & uirtute præditi estis, ut hoc decus ultro ac libenter tueamini, tamen ut id faciatis maiore studio, tempora uos commonefaciunt. Videtis enim has artes tumultibus publicis conterritas, etiam in Academijs negligi. Et horum tumultuum epitasis, ut metuo, adhuc impendet. Quare nisi bene constitutæ ciuitates præsidio erunt literis atq; artibus, & expulsas alibi

excipient actegent, quæ barbaries in Germania futura est? Est autem sapientię uestrę, posteritati prospicere, & quantum humano consilio prouideri potest, præstare, ut & Rempub. & illas artes, quibus amissis Respub. retineri non possunt, nō relinquatis. Erat hoc loco etiam impudentia quorundam castiganda, qui de dignitate harum artium detrahunt, quos quidem iudicijs uestris & similium præstantium uirorum, qui Respub. constituerunt & gubernarunt, moueri decebat. Nam boni & sapientes gubernatores Rerumpub. non studerent eas conseruare, si iudicarent uitę inutiles esse. Quanquam quid opus est disputatione, præsertim de doctrina motuum? Quid enim distaret hominum uita à beluina, si non anni & temporum iustam descriptionem teneremus, si nullas motuū leges intelligeremus? quę ob hanc causam etiam propositę sunt, ut nos de Deo opifice, & de nostra immortalitate admoneant. Significāt enim nos non solum ad agnitionem Dei conditos esse, sed etiam ut ei pareamus. Restat igitur alia uita, in qua & illustris agnitio continget, & hi qui non obtemperarunt, pœnas daturi sunt. Alioqui quorsum opus erat admonere de obedientia, nisi iudicium secuturū esset? Neque uero miror ineruditos aspernari hanc doctrinam, sed tantam in quibusdam literatis hominibus peruersitatē esse miror, ut hanc partem, quę demonstrationes de motibus continet, uituperent. Nam si Epicuri deliramenta defendere conantur, qui furenter contendebat cœlestia corpora nulla certa lege, sed casu ferri, digni odio sunt, uel stigmatis potius, quòd adolescentes à rectæ & ueræ Philosophiæ studijs abducūt. Quanto rectius est omni studio inuitare atq; accēdere bona ingenia ad has artes,

quarum

quarum cognitio & per se liberalis est, & multas uitę utilitates affert, & assuefacit animos ad quærendas demonstrationes, & ad ueritatis amorem, quę uirtus uel in primis digna est homine docto, qui in literis & maximarum rerum dijudicatione uersatur. Sed hanc disputationem aliàs tractabo. Deus seruet & defendat Rempub. uestram, Amen. Mense Augusto, Anno 2537.

PRAEFATIO PHILIPPI MELANTHONIS in Computum Ecclesiasticum Ioannis de Sacro Busto.

DOCTISSIMO VIRO D. ACHILLI Gassaro Lindoënsi, Medicinæ Doctori, amico suo, Phil. Mel. S. D.

INgens & manifesta utilitas est, tenere certam anni rationem. Quæ enim esset confusio præsentium negociorum, contractuum, pactorum, iudiciorum, quæ tenebræ, si nulla esset annorum ac mensium distinctio? In historijs quanta caligo esset, sublata annorum enumeratione? Non mundi initium cogitari, non exordia religionum discerni, non mutationes imperiorum distingui possent. Perspicuum est autem, harum rerum

cognitionem ad religionem, & ad multas uitæ partes necessariam esse. Quare nõ satis mirari possum, multorum ingratitudinẽ seu peruersitatẽ potius, qui studiũ huius doctrinę de cœlestibus motibus, & anni descriptione, uituperant. Porro & utilitatis magnitudo, & iudicia sapientissimorũ Principum ac doctissimorum uirorum qui magna diligentia annum ordinarũt, mouere imperitos debent, ut auribus atq; animis abhorreant ab illis insulsissimis ac scurrilibus conuicijs, quę in bonas artes, & diuinitus monstratas dicuntur. Videmus enim laudatissimis Principibus magnę curæ fuisse, ut annum quàm rectissimè describerent, ut discerni tempora, & rerum memoria propagari & conseruari posset. Ideo & Solon Athenis ordinauit annum, constitutis æquinoctiorum notis, de iudicio Thaletis. Hæc ratio post annos ducentos ab Eudoxo correcta est, qui fuit Platonis coætaneus. Sed iure gloriatur Cæsar apud Lucanum, Eudoxi fastos superari suo anno. Etenim cum essent diuersæ rationes, Aegyptiaca, Græca, & Arabica, Cæsar adhibito in consilium Sosigene, excogitauit nouam, multo cęteris commodiorem.

Nam Aegyptiaci anni, menses singuli habuerunt triginta dies, & accesserunt quotannis Epactæ quinque. Nec fuit certa intercalationis ratio, nec certũ anni initiũ.

Græci anni menses ad Lunam quadrant sine certo dierum numero. Accesserunt autem Epactæ undecim, ex quibus mensem ἐμβόλιμον collegerunt.

Arabica ratio eruditior fuit his duabus: Nam menses Arabici alternis uariant, ita, ut prior habeat dies undetriginta, sequens uero triginta. Deinde accesserunt undecim Epactæ, ex quibus colligebant ἐμβόλιμον.

Vidit

Vidit autem Cæsar in omnibus his descriptionibus nõ solum incommodam esse negocijs incertitudinem, nam ijsdem mensibus alia apud alios initia erant, sed etiam æquinoctia nimis esse lubrica & fugacia: Quare ut & certa essent anni ac mensium initia, & dies æquinoctij ita continuaretur, ut parum admodum aliquot seculis uariaret, eam formam anni instituit, qua propemodum hodie utimur, & si ex tanto interuallo, nunc emendatione opus habet. An aspernamur hanc diligentiam in summis uiris, aut inani curiositate susceptam, sine graui causa putamus? Nec uero poterant hę rationes uel Aegyptię, uel Græcę, uel Arabicę, uel Romanę, sine magna scientia motuum cœlestium supputari. Equidem non dubito, quin singulari Dei consilio factum sit, ut initio mundi tam diligenter annotarint annos primi parentes, uidelicet, ut mundi exordium retro cogitare, & exigua illa spacia numerare posteritas posset: item ut religionum discrimina considerari, ut series promissionum cœlestium, & historiarum teneri posset. Has causas si quis parum graues esse putat, næ ille Cyclopicam mentem habet. Fateamur ergo primos parentes, qui sapientia & pietate excelluerunt, diuinitus impulsos esse ad annorum distinctionem obseruandam, & propagandam. Neq; tamen sine cognitione motuum cœlestium annus includi æquinoctiorum metis, & recte describi potuit: Quare necesse est eos uniuersę doctrinæ de motibus cœlestibus studiosos fuisse. Quę est autem arrogantia non modo aliorum magnorum uirorum, sed etiam primorum parentum, qui generi humano duces, & monstratores uerę religionis ac uerę sapientiæ fuerunt, aspernari?

Itaq;

Itaq; studiosi adolescentes ament hanc doctrinam de motibus cœlestibus & uitæ utilem esse iudicent, cũ propter anni descriptionẽ, tum etiam propter alias causas. Nam quod nonnulli improbant τὴν μαντικὴν, uidemus indoctos eodem calculo etiam motuum doctrinã condemnare, certe contemptus huius totius Philosophiæ in rudibus confirmatur. Etsi autem de diuinatrice hoc loco non disputabo, tamen si recte uolumus æstimare, hæc ipsa motuum doctrina uere est præcipua μαντικὴ, testatur enim esse æternam mentem, opificem & gubernatricem mundi, nosq; ad agnitionem Dei, & ad immortalitatem conditos esse. An hæc μαντικὴ aspernanda est? quid uerius conuenit uatibus, quàm confirmare in animis hominum ueras & pias opiniones de Deo? Quare fateamur hanc ipsam motuum doctrinam μαντικὴν esse utilem uitæ & moribus. Sit sanè fatidicũ quiddam, ut est, κράσεις corporum & ingenia iudicare ex aliqua syderum insigni coniunctione, aut tempestates prædicere, propter quas

ἄλλοτε μὲν χύνις πέλει ἠμὲν, ἄλλοτε μήτηρ.

Magis tamen fatidicum est, monstratis certissimis motuum legibus confirmare mentes, ut uere statuant esse Deũ, qui ordinarit, qui gubernet hos motus, qui agnosci uelit ab hominibus, quorum utilitatis causa has uarietates motuum condiderit, quiq; cum nos ad sui agnitionem inuitet, bonis præmia, impijs pœnas proposuerit. Sed hæc alibi copiosius disputaui. Redeo ad superiorem orationem de anni descriptione. Valde probo consilium Georgij Ioachimi Rhetici, quod ad libellum de Sphæra adiunxit rationem anni conscriptam ab eodem autore Ioanne de Sacro Busto. Nam, ut ante dixi,

tenere

tenere certam anni rationem, multis de causis utile est. Tanta fuit olim etiam in Ecclesia eius rei cura, ut Cyrillus affirmet in Synodo constitutum esse, ut quotannis Alexandrinus Episcopus significaret Romano certum æquinoctij diem, propterea quod in schola Alexandrina eo tempore adhuc florebant huius Philosophiæ studia, Romæ uero non perinde nota erant.

Porro hic libellus cum anni ratione ostendit, etiam adiuuat studiosos in doctrina de motibus Solis & Lunæ. Tibi autem præcipue dedicare hunc libellum Georgius uoluit, ut ostenderet se memorem esse ueteris tuæ amicitiæ, & ut hoc loco mea uoce tibi gratias ageret, quòd ipsi ad hæc studia hortator fueris, cœlestibus significationibus motus, cum quidem ipse longe aliud uitæ iter, & abhorrens ab hac Philosophia ingressus esset. Quare statuit se tibi debere plurimum, quod autoritate tua ad has artes reuocatus sit. Accipies igitur hoc munus ab amico, & honestissimorum studiorum socio, eo libentius, quia aliquid earum artium continet, quæ tibi magnum decus apud eruditos pariunt. Scito autem emendatũ esse libellum à uiro prædito egregia doctrina & uirtute, Casparo Bornero, cuius est mirifica diligentia, ut in omnibus uitæ officijs, ita etiam in studijs bonarum artium.

Quare debebunt ei gratiam lectores, quibus hic libellus profuturus est. Bene uale.

Mense Augusto, Anno 1538.

PRAEFATIO IN GALE num.



Rtes uitæ utiles, generi humano diuinitus monstratas esse, & conseruari à Deo cum alia signa non obscure ostendunt, tum uero hæc res perspicue testatur, quod singulę habent authores, à quibus uel inuentę, uel expolitę, uel restitutę sunt heroicis naturis præditos, qui non solum ingenij ui & doctrinæ copia cæteris artificibus antecelluerunt, sed etiam admirabiles quosdã motus habuerunt, ut sagaciſſime uiderent ea, quæ non sunt obuia reliquis, & singulari fœlicitate pleraq; effecerint, quæ mediocres artifices supra artem esse iudicant. Nec uero dubiũ est, heroicas naturas diuino adflatu, & quodam, ut Græci uocant, enthusiasmo moueri. Itaq; lucet etiam in hac re præsentia Dei in natura, quòd ut Reges certis interuallis excitat, qui eximia uirtute, & quadam inusitata fœlicitate, uel noua imperia constituant, uel collabentes Respub. erigant, ita artium inuentores præstantes aut instauratores generi humano donat. Neq; enim aut Solon sine aliquo cœlesti adflatu leges condidit, aut Homerus illud immortale carmen, quod mirabilem quandam imaginẽ omnium quæ incidere possunt in uita, consiliorum & euentuum continet, sine motu diuino fudit. Sed ut de alijs artibus dicam, Nihil dubium est initio illam uarietatem motuum cœlestium ita animaduersam esse, cum Deus quædam præsentia ingenia ad admirationem illorum certissimorum cursuum exusciteret atque incenderet, eisq; motus quosdam inderet, quibus reperirent certam obseruationis ratione:

tionem: Sed illa uetera omittamus. Tota ars de motibus cœlestibus funditus periisset, nisi unus Ptolemæus doctrinam ueterũ & suas quasdam obseruationes congestas ad posteros transmisisset. Quare fatendum est, artes Dei munera esse, easq; ita ostendi, tum restitui per ingenia heroica, hoc est, quæ singulares & diuinos motus habent. Tales initio extiterunt Medicinæ inuentores Aesculapius, & si qui similes fuerunt, etiã ante Aesculapium alij apud alias gentes. Sed illa rudis uetustas ingenijs, & fœlicitate quadam admiranda pollebat, artẽ non norat. Ideo tradere alijs doctrinam, quã tenebant, nõ potuerunt, experimenta quædam monstrabant. Deinde Hyppocrates artem non tantum inchoauit, sed ferè totam complexus est, uerũ ita, ut inuolueret eam brevibus quibusdam sententijs. Extitit igitur Galenus, qui cum ingenij dotibus par esset illis primis heroibus, eruditione uero antecelleret, nam & superiorum inuentis adiutus est, & multa ipse sua quadã fœlicitate animaduertit, uniuersam doctrinam in artem redegit, & omnes partes ordine distributas absoluit. Hunc unum iam tot seculis habemus fontem Medicinæ. Nam posteriorum Medicorũ scripta omnia ceu riuuli quidam sunt ex hoc fonte manantes, id quod autores fatentur ipsi, sicut Auicenna, qui omnium posteriorum uberrimus est, prædicat se tantum Galeni interpretem esse. Quanta autẽ laus est, unum esse Medicæ artis autorem, ab uno præcipue tot seculis, toto orbe terrarum uelut oracula petita esse, de tuenda & restituenda ualetudine innumerabilium hominum? An non fatebimur hunc præclare meritum esse de toto genere humano? Hęc uero sunt proprie heroica merita, multis gentibus atque ætatibus prodesse.

Et magnitudo talium beneficiorum testatur autores diuinitus excitari & gubernari. Neq; enim negari potest, artē ipsam medendi ualde utilem esse generi humano. Neq; audiendi sunt aut homines feri & barbari, qui quadam naturæ immanitate contemnunt Medicinam, aut scurræ quidam, qui optimarum artium uituperatione famam aucupantur ingenij. Etsi enim nō omnibus opitulatur Medicina, & interdum docta plus ualet arte malum, ut inquit Poeta, tamen pleriq; omnes experimur, multos esse morbos, qui & sine ope Medica pelli non possunt, & arte adhibita recte & fœliciter depelluntur: id in uulnerū curatione, in luxatis aut fractis, & in morbis acutis magis cerni potest, sed non minus usu uenit in chronicis morbis. Verum hac disputatione nihil opus est. Nam illa crudelis oratio uituperantium beneficia Medicinæ & cum communi sensu pugnat, & contumelioſa est aduersus Deum, qui in naturam tanta uarietate sparsit remedia, ut testaretur sibi uitam & ualetudinem nostram curæ esse. Vt autem euentus declarat diuino consilio ingenium Galeni ad Medicę artis conseruationem excitatum esse, ita in ipsius studijs & artis exercitio multa signa conspiciuntur heroicæ naturæ & fortunæ, quę antecellit communem hominū captum, ac sortem. Natus est patre Architecto, qui cum in Mathematis perfecte eruditus esset, & naturam filij animaduerteret capacem esse earum disciplinarum, statim à teneris eum in hoc genere erudijt & exercuit ipse. Hæc prima institutio ita cōfirmauit eius iudicium, ut fateatur ipse, se postea audientē rixantes inter se Philosophos, fuisse Pyrrhoniorum hęsitationem, quæ conturbat & euertit artes, secuturum, nisi illa paterna doctrina præmunitus

fuisset.

fuisset, qua adsuefactus ad Geometricas demonstrationes, uidit esse certa artium initia, & perpetuam quasi telam demonstrationum. Egressus annum sedecimum, cœpit operam dare Medicinæ, quod ut faceret, ait, se quodam non ambiguo, sed perspicuo somnio monitũ esse. Breui autẽ tantos fecit progressus in arte, ut omnes suę ætatis Medicos obscurasset. Accersitus igitur Romã ab Imperatoribus Vero & Marco Philosopho, cum ibi primum scholas haberet, secuta est gloriam, ut fit, inuidia, præsertim cum irritaret morosa ingenia libertate sua in taxandis erroribus cæterorum scriptorum. Quare cum nollet odiose rixari cũ indoctis ac maleuolis, omisit scholas, adeoq; se continuit, ut nec apud ægrotos quidquam disputaret, sed tantum necessaria mandata daret, ne uocaretur à calumniatoribus, ut ipse inquit, λογιαφὸς. Multa autem commemorat in doctrina à se reperta esse, ignota ætati superiori, ut digitorum musculos: multa ostendit noua remedia, quod perspicuum signum est diuini adflatus. Neruorum sauciatorum curationẽ primus ostendit, eaq; in re adeo fuit fœlix, nunquam ut non responderit euentus. Stomaticum ex nucum corticibus quanta solertia reperit, cum in itinere rediens ex Alexandria, incidisset in ęgrotum in rure, ubi deerant alia remedia, ut ipse narrat in sexto de compositione pharmacorum κατὰ τόπους. Vulgaria ingenia non raro segnitie fiunt languidiora. Multo sæpius frangutur assiduitate & uarietate laborum. Sed ille diuinus igniculus ingenij in Galeno non est extinctus ullis laboribus. Simul & scripsit tam accurata opera, & res in natura uarias inquisiuit, & ægrotos curauit, & peruagatus est bonam partem orbis terrarum, aliàs accersitus ab

Imperatoribus,aliàs ut adiret eruditos aliarum gentium uiros,aliàs ut inquireret rerũ naturas,ut bis in Lemnum nauigauit, ut naturam Lemniæ terræ exploraret. Hic animi perpetuus uigor non nisi in heroicas naturas cadit. Hæc recentior ætas tantum Arabicos scriptores in manibus habuit, quia à Galeni libris insciti a Græcę linguæ Medicinę studiosos arcebat. Itaq; nunc quoq; nonnulli mirantur solos Arabes. Etsi autem mediocribus artificibus etiam sua laus debetur,& ingrati simus,si negamus Arabes bene meritos esse de posteritate, quædam enim utilia uitę repererunt,ignota Galeno, tamẽ cum fuerint Philosophi,hoc est,amantes ueritatis & grati,nõ dubito ipsos suo suffragio libenter primas Galeno tribuere: Constat enim Arabicam doctrinam ceu riuulum esse ex Galeni fontibus ductum. Postquam autem Galenus iam renascitur,& uel in sua lingua,uel in uersionibus facilioribus legi potest,homines ingeniosi, & uiri amantes Philosophiæ,cur non anteferrent hos ubertimos fontes,hanc tantam rerum optimarũ copiam, illis exiguis riuulis,quos tamen delibare etiam prodest? Sed Galenus sit uelut architectus huius studij, præsertim cũ Arabes excerptis remedijs,bonam partẽ Philosophię omiserint,ut Galenus non modo propter medendi artẽ,sed etiã propter Philosophiam legendus sit. Nullus enim extat autor uberior eius partis Philosophię, quam Physicen uocamus,quàm Galenus,qui uniuersam Physicen eruditissime complexus est in his disputationibus, in quibus quęrit demonstrationes de potentijs in animantibus, de generationum causis, de temperamentis, de sensuum organis, de causis actionum in sensibus, de morborum & remediorum causis,de qualitatũ cognatione,

tione, de συμπαθείαις plurimarum rerum in natura. Hęc præter unum Galenum nemo disputat. Itaq; inchoata ab Aristotele Physica, ab uno Galeno absoluta sunt: qua in re non modo eruditionem Galeni admiror, sed multo magis fidem, candorem & ingenuitatem animi. Magna prudentia & magno animo cauillationes ac λογομαχίας repudiat, nihil perplexum aut Sophisticum amat, sed ubique simplicem ueritatem inquirit, & perspicue patefacit, quod magnum indicium est optimæ mentis, & natura amantis iusticiam & ueritatē. Sicut ille prudentissimus Tragicus inquit τὸ ἐσθλόν, σαφὲς ἀεί. Ac spero equidem renato iam Galeno futurum, ut non solum uere ac ueteris Philosophiæ studia magis accendantur, sed etiam ut moribus hæc doctrina prosit, & uehementem amorem ueritatis ac uirtutis in discentibus excuscitet. Cum autem usitato more deliberaremus cuius auspicio maxime uellemus hunc autorem in publicum prodire, propter grauissimas causas te prætulimus inclyte Rex, primum quod constet auspicijs tuis Græcę linguæ & ueteris Philosophiæ studia in regno tuo ita excitata esse, ut ueterem Græciam una Gallia cum uniuersę Philosophię scientia, tum uero etiam eloquentia Greęca iam prouocare possit. Olim una erat Ionica Colonia in Gallia, uidelicet Massylia, quę Græcas disciplinas longo tempore adeo coluit, ut Romani liberos eō mitterent erudiendos. Nunc Gallia referta est hominibus præclare eruditis in toto artiū orbe, & Greęca & Latina lingua, ut multę iam in Gallia Massylię esse uideantur. Id decus eo libentius nos Germani prędicamus, quia ad nos quoque doctrinę illius riuuli inde permanāt. Deinde intelligimus te hęc studia nō modo tueriac

prouehere

prouehere, sed etiam ita amare, multa ut ipse legas è Græcis autoribus conuersa, de gubernatione Reipub. de rebus gestis præstantissimorum Regum ac Imperatorum, de architectonica, de natura rerum. Quare tibi potissimum dedicauimus hunc autorem, ut huius tuæ laudis memoriam cum autore omnium præstantissimo ad posteros extenderemus. Nec uero dubitamus, quin ipse iudices, nulla monumenta manufacta, nulla trophea honestiora esse, quàm hæc testimonia graui iudicio doctorum hominum in talibus scriptoribus proposita, quæ cum leget posteritas, intelliget se gratiam ijs Principibus debere, quorum præsidijs hæ artes excitatæ sunt aut defensæ. Illa oratione mihi non est opus, quantum deceat Reges & tueri artes uitæ utiles, & summos artifices conseruare. Hanc enim curam ultro suscipis, eaq; in re sapientissimos omnium ætatum Principes imitaris, quod quidem eo est laudabilius, quod plerique alij in ocio hæc curarunt, tu inter arma, difficilibus bellis implicitus, das operam ut domi interea his artibus Respub. reddatur instructior atq; ornatior. Nec Medica materia Regibus negligenda est, cuius utilitas tam late in uita patet, & quę Regum ipsorum incolumitatem tanquam fida corporis custos tuetur. Iam Galenus non modo propter Medicinam, sed etiam propter pulcherrimam Philosophiæ partem, quæ Physice dicitur, summorum Principum diligentia generi humano cõseruandus est. Rogamus igitur, ut cum hoc nostrum munus accipies, & testimonium de tua uirtute leges, commendari tibi patrocinium omnium bonarum artium ac literarũ existimes, quæ si ad posteros propagari poterunt, bona spes est, olim Ecclesię & Reipublicæ statum futurum & meliorem

meliorem & tranquilliorem: quod ut fiat, profecto omnes magnos uiros in Repub. & precipue summos Reges prospicere & anniti decet. Fauebis autem eo magis huic æditioni, quia magno sumptu Typographorum, & uigilijs multorum doctissimorum uirorũ perfectum est, ut quantum fieri possit, emendatissima esset, & priorem uinceret: Verum id quidem res ipsa ostendet.

Bene uale.

PRAEFATIO IN XENOPHONTEM scripta ad Langeum.

VItam regit fortuna, non sapientia, dixit quispiam in Tragœdia. Cui dicto & si non solum populus, sed etiam magni & præstantes uiri plausum dare solent, tamen addenda est quædam correctio. Videmus magnos esse in uita errores, opprimi tristissimis casibus etiam excellentes uiros, concuti Imperia fatalibus tumultibus, ut uideatur parum loci esse sapientię: Ac si colligentes animo summos & sapientissimos gubernatores ciuitatum & Imperiorũ, reperiemus plurimos, quorum consilia preclare cogitata, ut uidebatur, tristissimos exitus habuerunt. Xenophon in hoc ipso uolumine describit trium florentissimarum ciuitatũ continuatos interitus, cũ quidem bellum initio exarsisset autore Pericle, qui tonans eloquentia, ut in Comœdijs dictum est;

Græciam miſcuit. Primum igitur Athenæ cecidetunt, poſtea uictrix ciuitas Sparte in ſimili calamitate fuit, cũ quidem haberet Regem Ageſilaum, qui uirtute & magnitudine rerum geſtarum omnibus ſuę ætatis Regibus antecelluerat. Mox & Thebę ruere cœperunt. Nec multo poſt tota Græcia ſeruitute oppreſſa eſt, irritatis Macedonum armis à Demoſthene. Cicero dum adoleſcenti qui ſeſe nondum regere poterat, committit exercitum regendum, & uniuerſam Rempub. quantum fallitur? Itaq; cum magna uis ſit ſeu fatorum ſeu fortunæ, ut loquuntur homines, quæri ſolet, ad quid proſint ſapientię precepta in literis & hiſtorijs tradita. Nam ſi uita conſilijs ſapientum regi non poteſt, cur doctrina proponitur? Et opinor multos eſſe in maximarum rerum gubernatione, qui non ad certam normam & ad doctrinam conſilia dirigunt, ſed quo uenti impellunt, dant uela, & fortunæ ſe permittunt: ſed hæc cæca & temeraria uitæ ratio indigna eſt homine. Etſi enim non ſemper ualent adminicula ad uitam regendam diuinitus propoſita, tamen Dei beneficium nec aſpernandum eſt, nec inutile, qui uoluit homines doctrina aſſuefieri & gubernari. Ne Medicina quidem ſemper depellit morbos, ſed interdum, ut dicitur, docta plus ualet arte malum. Magna infirmitas eſt humanę naturę, qua fit, ut non ſemper obtemperent homines doctrinę: Diligentia multis deeſt. Sæpe etiam uincitur, cum abeſt metus & agnitio Dei, & uel punit Deus hominum impietatem, uel graſſatur in aliquos ſpiritus ille ardens odio Dei, qui ut eſt autor calamitatum humanarũ, ita nõ deſinit in humanũ genus ſæuitiam ſuam exercere. Hæc cum ita ſint, agnoſcenda eſt infirmitas noſtra, & remedia uitæ quærenda ſunt,

doctrina

doctrina mentes regendæ,& excitanda diligentia,quæ ualet sæpe,præcipue uero cum accedit agnitio Dei. Plurimum igitur historiarum noticia conducit ad uitam, quia contraria exempla proponit, ostendit quibus doctrina profuit,multos, Dauidem, Cyrum, Scipionem: Rursus alios monstrat,quorum fuerunt infœlicia consilia,qui ex secundis rebus excussi, &si & Respub. euerterunt,Pompeium,Cæsarem, & quos hic describit Xenophon,Alcibiaden,& Agesilaum. Hæc exempla nos de infirmitate nostra admonent. Quod enim ait Hippocrates in morbis triste signum esse,si mens ægrotet,id in tota uita miserrimũ est,non sentire,non agnoscere morbos,quo fit,ut ruant homines cupiditate aliqua impulsi,& uel fiducia uirium, uel alio errore rapiantur extra metas,donec impingant. Quare non solum præcepta in rebus gerendis ex historijs petenda erunt, quæ suppeditant ad omnes casus plurima, sed etiam adrastia, quæ in historijs ubiq; cernitur,admoneat nos de nostra infirmitate,hortetur ad modestiam,ne elati superbia ac fiducia nostri,res iniustas, aut non necessarias suscipiamus,ne cõtra uoluntatem Dei nitamur, ne diligentiam remittamus,ut Dauid remiserat. Magna hæc sapientia est,& cum omnibus hominibus, tum uero maxime gubernatoribus rerum humanarũ necessaria. Plurimum autem in mediocribus ingenijs conducit ad hoc iudicium confirmandum,& quasi frenandos impetus immoderatos omnium temporum historia. Nunc uero cæteras utilitates hoc loco colligere instituí,quæ multo sunt uberiores atq; ampliores, q̃ ut satis illustrari uerbis possint. Quæ essent tenebræ in uita,nisi Deus extare historias uoluisset de rerum initijs, de ueræ religionis ori-

gine ac propagatione, de ortu superstitionum, de ordine imperiorum, de incrementis eorum & inclinationibus. Harum tantarũ rerum historiæ non sunt sine singulari Dei consilio diuinitus traditæ & conseruatæ, ac utilitas facile à prudentibus intelligi potest. Nam si hæc series nesciretur, nihilo melius tetro cogitare possemus rerum initia, quàm pecudes. Vt autem series imperiorum teneatur, non solum opus est sacris historijs, sed etiam aliarũ gentium monumentis. Qua in re sæpe cogito diuinitus accidisse, ut reliqui sint Græci scriptores luculenti, qui prorsus ab eo articulo historiã inchoant, in quo Propheticæ desinunt, quasi testimonium de uetustioribus dicant. Herodotus & Xenophon adfirmant primos hominũ latissime regnasse Chaldæos & Assyrios, deinde Medos. Hæc imperia describuntur in sacris libris: successerũt Persę, ab his inchoant Græci historiam. Prodest autem ad intelligendos sacros libros & propagationem ueræ religionis considerandam, nosse imperiorum seriem. Et quidem descriptio captæ Babylonis apud Xenophontem apte quadrat ad Danielis uerba. Mihi uero etiam Gobrias, cuius filium Babylonicus tyrannus interfecerat, uidetur fuisse quispiam ex Danielis sodalitio: & ad tempora hebdomadũ apud Danielem explicanda opus est serie Monarchiarũ. Quare his qui amant ueram religionem, hæc monumenta non sunt negligenda: Nec cæterę utilitates aspernandę sunt. Multiplex est historia Xenophontis, quæ uarietate quadam exemplorum instruere lectorem potest. In Cyri institutione format Principẽ ferè ab incunabulis, ita excellentem uirtutibus, iusticia, magnitudine animi, prudentia, temperantia, continentia, fide, semper ut bonitas ac le-

nitas in

nitas in reliquo choro emineat, ut inter stellas Hesperus eminet. Itaq; cum se ad hanc imaginem componeret totum Scipio, qui hos libros etiam in castris inter tubarũ classica, & armorum sonitum legebat, etsi res gessit difficilimas, ac patriæ utilissimas, tamen plus uerę laudis habet propter moderationem animi, qua cauet, ne quid aduersus ciues superbe, aut aduersus hostes crudeliter faceret, qua tulit æmulos ac ornauit, ut Cyaxaren orat Cyrus, quàm propter ullas quamuis glorioſas uictorias. Vtinam uero Scipionis exemplo, & Principes huius ætatis legerent hanc historiam, seq; ad eam effingendã exu scitarent, ut conspici posset, id quod ait Xenophon ἄρχοντας ἀγαθοὺς οὐδὲν διαφέρειν πατέρων ἀγαθῶν. In Græcarum ciuitatum historia, quàm mira exempla ciuilium motuum, et actionũ proponit? Omitto cętera. In omnibus parietibus historia Therameni pingi debebat, qui cum magno suo periculo impetrasset, ne ciuitas Attica solo æquaretur, ac postea mitigare suorum collegarum sæuitiam studeret, crudeliter à Critia & collegis interfectus est. Huius exitus monet non solum quæ pericula moderatis uiris in discordijs ciuilibus impendeãt, sed etiam ita confirmandos esse animos, ne terroribus ullis aut supplicijs à recta sentẽtia depelli nos sinamus. Nec obscurum est sæpe in Republica tempora incidere, ubi opus est simili moderatione & grauitate, quæ quanta habeat laudem, indicant uersus de Palamede recitati in theatro Athenis post Socratis necem, in quibus cum Palamedem Poeta prædicat fuisse Grecorum optimum & luscinian Musarum Reipub. utilem, significauit infestos esse Tyrannos prȩcipue ijs, qui uirtute & eruditione antecellunt. Versiculi autem hi sunt:

ἐκάνετε ἐκάνετε τῶν Ἑλλήνων ἄριστον
τὴν δυσὶν ἀλγυνοσαν ἀηδονὰ μεσῶν.

Quàm dulce exemplum & his temporibus neceſſariũ recitat, cum narrat ſancitam eſſe ἀμνησίαν iniuriarum Athenis, cum Rempub. Thraſybulus recuperaſſet. Vtinam ita nunc quoq; pax in Eccleſia quadam legum acerbiorum mitigatione fieret. Quę eſt enim barbaries, malle uaſtitatem ac ſolitudinem in Eccleſijs efficere, quàm paucas quaſdam & palam tyrannicas leges relaxare? Tales hiſtoriæ ſe offerunt in hoc uolumine multæ, quæ lectorem multa de Repub. præſertim hoc tempore monere poſſunt. Adoleſcentes aũt etiam propter eloquentiam hunc autorem diligenter legere debent. Veteres enim adeo mirati ſunt Xenophonteæ orationis puritatem & uenuſtatem, ut uocarint eum apem Atticam. Et Quintilianus inquit: Quid ego commemorem Xenophontis illam iucunditatem inadfectatam, ſed quam nulla poſſit adfectatio conſequi, ut ipſe finxiſſe ſermonem Græcię uideatur? Ac non ſolum ſuauitatem orationis, ſed etiam conſilium & prudentiam ſtudioſus lector obſeruet, quam adhibet in concionibus, quę ut ſunt aliquanto magis tetricę quàm Herodoti conciones, ita ſunt dulciores Thucydidis, in quibus multę ſunt ita procul accerſitæ & argutæ ſententiæ, uix ut attentus lector eos ſatis aſſequi poſſit. Erat igitur eloquentiæ ſtudioſo periucunda Xenophontis lectio. Quare gaudeo eum in Germania rurſus ęditum eſſe, ut uerſetur in manibus ſtudioſorũ. Cum autem de more præfigenda eſſet epiſtola, potiſſimũ auſpicio tui nominis Langæe chariſſime, prodire hunc autorem uolui, quod non dubitabam te in gubernatione Reipub. magna cum laude prudentiæ,

diligentiæ

diligentiæ, ac iustitiæ uersantē, inprimis lectione huius scriptoris delectari, & cum eo sæpe de rebus maximis quasi deliberare, sperabam etiam aliquos in te intuentes ac considerantes, quanto tibi ornamento sit eruditio, quanto usui in negocijs, libentius hæc lecturos esse, ac excitatos tuo exemplo, daturos operam ut accessuri ad Rempub. instruant se his literis, sine quibus qui ueniunt ad gubernationem, quid aliud sunt, quàm ut in scena uocantur, κωφὰ πρόσωπα? Existimabis igitur me bono studio ad te scripsisse, ac magnum fructum huius mei consilij capiam, si cum de Republica cum potentibus colloqueris, hortator eris, ut Cyri clementiam aut sancitam à Thrasybulo ἀμνηστίαν imitari malint, quàm sycophantarum sæuitię morem gerere, qui Principum iracundiam passim contra nos inflammant. Bene uale. Anno 1540.

In Officia

IN OFFICIA CICERONIS PRAEFA tio, Phil. Mel.

Quid conferat lectio librorum de Officijs.

QVemadmodum uetant in exercendo ste-rili solo aut sumptus facere, aut sumere laborem, ita lecturis scriptorem aliquem in primis uidendum est, quid doceat, & quam inde accessionem ad studia nostra facere possimus. Porro uix pauci in relegendis scriptoribus secum ipsi deliberant, ecquod operæprecium facturi sint. Et bona pars discentium in uniuersum nescit, ad quem scopum studia omnia dirigenda sint. Proinde initio huius libelli & argumentum operis indicandum est, & quid conferat studijs nostris. Ea demum est solida eruditio de rebus moribusq; recte iudicare posse, deinde quę animo comprehenderis perspicue & commode explicare, atq; eloqui. Rerum cognitio ad iudicandũ & ad parandam prudentiam est necessaria. Magna in primis optimorũ uerborum copia requiritur ad dicendum: Voco autem rerũ scientiam, Physiologiam, Mathemata, præcepta de ciuilibus moribus: Nam de religione hic nihil dicimus. Estq; ad communem uitam in primis utile, ea tenere, quæ de moribus, deq; ciuili uitæ consuetudine tradita sunt. Beluam dicas, non hominẽ, quisquis non est excultus hoc doctrinę genere, & ad humanitatem & ciuilia officia assuefactus. Nam uirtutis incunabula atq; rudimenta sunt, hæ literæ, quibus ad honestatem teneri animi aluntur & incitantur. Porro non alius extat libellus de moribus absolutior Officijs Ciceronis

ronis. Diligentissime enim præcepit de omnibus uitæ partibus, quid deceat quamlibet ætatem. Accedit etiam hoc, quod iusto ordine formas uirtutum proposuit, ut extarent ob oculos lectoribus, tanquã regulæ omnium consiliorum & factorum: fecit enim quatuor uirtutis membra, prudentiam, iusticiam, fortitudinem, modestiam. Quæ tanquam locos communes proponant sibi adolescentes, ut eò referant omnia de moribus consilia, & quos iudicaturi, quid deceat, ceu Theseum filum sequantur. Nam ut Zeusis, cũ Helenam Crotoniatis pingeret, inclusam habebat in animo pulcherrimam quandam mulieris speciem, seu, ut Græci dicunt, εἰδέαν collectã ex optimis exemplis: ita iudicaturos de moribus, oportet animo tenere tanquam formas quasdam uirtutum descriptiones, quas consulant, quas intueantur, in quas defigant oculos, quoties de honestate deliberant. Neq; ego hic de religione dico, quæ ex sacris libris petenda est. Ciuilis uitæ consuetudo à Cicerone describitur, cum qua religio nihil pugnat. Scripsit de Officijs etiam diuus Ambrosius, credo ut pueris inculcaret religionem, de qua uidebat in Ciceronianis nihil præcipi. Verum ego religionem ex diuinis literis censeo hautiendam esse. De ciuilibus moribus malim audire Ciceronem, qui maximis rebus gestis uersatus in Repub. principe orbis terrarum, usu pleraq; comperit, pleraq; ex Græcorum scriptis, qui maximas ciuitates gubernarunt, uertit. Habes itaq; quid hic libellus ad iudicandum confetat: Est enim uel prima prudentiæ pars, tenere præcepta de moribus. Est autem Cicero res partitus in honesta & utilia. Honestatis partes in primo libro tractat, ubi primum uirtutes definit Dialectica quadam cõsuetudine.

Deinde congerit multa præcepta de moribus uelut in aceruum. In secundo libro res omnes enumerat, quas natura ad utilitatem seu usum hominum condidit, docetq; quem ex quaq; re usum percipere debeamus. In tertio confert cum honestate utilitatem.

Quid ad dicendum conferat libellus de Officijs.

Præterquam quod, ut cætera Ciceronis omnia, magnum numerum lectissimorum uerborum & figurarũ suppeditabit hic libellus, ideo etiam ad dicendum plus aliquanto, quãm pleraq; alia scripta confert, quia locorum aliquot communium formulas, & propemodum simulachra continet. Porro cum hi loci uirtutum ac uitiorum, regulę sint, ad quas omnium mores & facta exigimus in iudicando, oratio etiam omnis referri ad eos debet, inde argumenta, amplificationesq; petuntur, ut si quis ingratum dicat, multa illi non de persona tantũ, sed de ipso uitij genere erunt dicenda, eritq; danda opera, ut intelligant auditores, quanta sit in eo uitio turpitudo: Verum id nemo præstare poterit, nisi locorum illorum formulas bene meditatas habeat, & exempla ueterum teneat, unde uerba, sententias, & ornamenta mutuetur. Erit itaq; hic libellus uelut penu, & sicut inquit Thucydides, κτῆμα, unde depromant orationem studiosi, de quacunq; re dicendum fuerit, hinc argumenta, hinc sententias, hinc figuras, hinc apta uerba excerpant. M. Cicero magnum instrumentum eloquentiæ id esse putauit, habere locos in numerato paratos atque expeditos, in quibus procudendis, multum profecto Ciceronis exemplis adiuuabimur. Quæ enim potest de dolo

dolo malo, deq; æquitate uberior grauior ue disputatio excogitari? Ea de re in tertio Officiorum.

Plurimum etiam ad dicendum conducunt narratiunculæ, quę sunt in hoc opere & multę & uarię. Quondam in Rhetorica progymnasmata erant ἀνηγμάτια, sic enim uocarunt, in quo genere, qui se uolent exercere, magnam hic exemplorum copiam inuenient. Et cum nihil sit difficilius quàm commode narrare, nō est alia exercitatio fructuosior quàm hæc. Quanta Deum immortalem elegantia, quantus lepos est in narratione gestorum Arati Sicyonij in secundo libro? Non minorem laudem meretur Gygis Lydi historia uersa ex Platone in libro tertio. Similes autem multæ sunt in hoc commentariolo, quas sibi studiosi omnes ad imitandū proponant. Eaq; exercitatio nō tantum augebit uerborum supellectilem, sed quæ mihi in dicendo penè maxima uirtus uidetur, bene disponendi scientiam. Nam indocti non tantum adulterinæ monetæ uerbis orationem obscurant, sed ita etiam confundunt ac miscent omnia, ut intelligi nihil possit. Scholia alicubi breuissima adscripsimus, quæ indicarent lectori orationis ordinem & dispositionem, quam qui deprehenderint, facile sententiam scripti adsequentur: Nam de consilio autoris pronunciare aut iudicare nemo potest, nisi serie orationis animaduersa. Vbi sententiam collegeris hic immorandum erit in singulis membris orationis, uidendumq; quo genere uerborum, quibus Schematis orationis usus sit Cicero. Estq; cum illius oratione certandum & nostris uerbis exponendum argumentum, ita fiet, ut & sententiam propius adspicias, & clarius adpareant lumina Ciceronianæ orationis, ubi cum tua

παφράσας conferas. Interea & uerba & sententiæ autoris obiter firmius adhæresçent animo. Sed faciamus in exordio periculum. Initio proponit se de Philosophia dicturum: Verum est addita occupatio, cur in tanta copia Græcorum scriptorũ ipse Latine scribat, ijsdem de rebus, quas Græci copiosissime, splendidissimeq; tractauerunt. Et facta præceptoris mentio, & urbis, & ut in distributione, sua cuiq; subiecta ratio. Estq; περιοδικῶς cum occupatione coniuncta propositio. Quanq; extent de moribus sapientissime scripta multa à Græcis, & cum Cratippus doctrina, tum Athenæ ipse exemplis te eruditi queant, tamen quia meus mos est Latina cum Græcis cõiungere, uolebam Latine ad te Philosophica quædam scribere. Ad eundem modum in omnibus partibus orationis Ciceronianę, sententiæ, earumq; figuræ excutiendę sunt.

ALIA PRAEFATIO IN OFFICIA Ciceronis.

VIdentur mihi singulari consilio Græci in definitione artis hoc posuisse, quod aliquam in uita utilitatem habere debeat. Nam omnes artes instrumenta sunt uel priuatæ uitę conseruandę, uel regendę Rei pub. Nec opus est hic enarrare singulas, & ostendere propter quos usus inuentę sint, & à maioribus ad posteros magna

tos magna cura transmissæ. Illud magis est necessariũ admonere, ut hi qui hęc studia literarum ingrediuntur, initio considerent, quis sit harum artium finis, quæ sit ex ipsis petenda utilitas, quod qui sciet & uim & dignitatem artium rectius cognoscet, & prudentius eliget ea quæ maxime prodest discere. Ad hæc nunquam perfectam doctrinam consequuntur isti, quorum animus non prospicit certum finem studiorum, & uagantur temere ac sine ordine ac ratione per uarias disciplinas τέχνη ἔστι σύστημα ἐγκαταλήψεων ἐγγεγυμνασμένων πρός τι τέλος ἐνηργησον ἢ ἐνὶ ὄφ βίῳ finẽ seu utilitatẽ in omnibus artibus in primis spectandam esse probat ex ipsius artis definitione, quæ & Quintiliani causa fuit, cur Rhetorices finem tam magna cura libro secundo capite decimo octauo quæsierit.

Omnis autem doctrina aut rerum cognitionem continet, aut uerborũ, & quia rerum notæ uerba sunt, prior est uerborum cognitio, ad quam comparandam tametsi necessariæ sunt artes, Grammatica, Dialectica, Rhetorica, tamen sine exemplis artes ipsæ sunt inefficaces. Ideo boni autores legendi sunt, ex quibus linguæ phrasin discamus, ex quorum imitatione comparemus nobis eiusmodi genus orationis quod adhiberi possit ad graues causas explicandas, quodq; lumen adferre rebus obscuris possit, si quando homines de magnis rebus, ut sæpe accidit, docendi erunt. Nemo autem ignorat optimum dicendi magistrum esse Ciceronem. Verum hic libellus habet singulares dotes, multos continet locos communes, in ijs est magna figurarum uarietas, in ijs autem narrationes, quę ualde cõducunt ad eloquentiam. Antonius apud Ciceronem ait nullam partem in

dicendo difficilius effici quàm perſpicuam narratio-
nem. Quare magnopere prodeſt egregia exempla nar-
rationum tenere, quæ nobis proponamus intuenda,
ut in dicendo aliquam ſimilitudinem illorum con-
ſequamur.

Primum ergo in huius operis ueſtibulo atque aditu
cogitabit auditor hanc lectionem pro futuram eſſe ad
alendam uerborum ſcientiam. Itaque cum uniuerſam
orationis ſeriem ac phraſim obſeruabit, tum excerpet
tanquam flores inſignes figuras ac iucundas narratio-
nes & ſententias maxime memorabiles, nam omnino
danda eſt opera, ut aliquid inde ad noſtrũ uſum tranſ-
feramus, ut noſtra oratio locupletior ex hac fiat: non
enim obiter inſpicienda ſunt hæc opera, ſicut tabulas
præclare pictas, & ad ſpectandum propoſitas tantum
uoluptatis cauſa contemplamur, nullam inde partem
nobiſcum auferimus, ſed ita contemplemur, ut amœ-
niſſimos hortos, in quibus ſparſim decerpimus fructus
aut flores qui maxime delectant. Altera de rerum co-
gnitione deliberatio eſſe debet, quarum rerum ſcien-
tiam hinc auferre poſſumus. Prodeſt autem quendam
artium ordinem tenere animo comprehenſum & fines
atq; uſus illarum uidere. Aliæ de natura rerum diſpu-
tant, aliæ continent religionem, aliæ rationem regendæ
Reipub. & iudicandi forenſes controuerſias, aliæ con-
tinent præcepta de moribus ciuilibus in omni uitæ ge-
nere neceſſaria. Cum itaq; legimus aliquid, expendere
debemus ad quem ordinem artium pertineat: Vtrum
in adminiſtratione Reipub. profuturum ſit, an priuata
uita, & hæc deliberatio nõ modo excitat ſtudia & acuit
cutam diſcendi, ſed etiam ad ipſas artes rectius intelli-
gendas

gendas ac percipiendas plurimũ confert. Facilius enim percipiuntur illa, quorum quasi regiones quàm late pateant & metas deprehendimus. Pertinet autem hic libellus Ciceronis ad philosophiam moralem, continet enim definitiones uirtutum, & sunt addita definitionibus multa præcepta de moribus ciuilibus, atque hęc magnaex parte Oratorio more, populari genere oratiõis, ut intelligere ea & in communi uitæ consuetudine imitari homines præditi communi sensu possint: nam exiles disputationes, quales sunt apud Aristotelem, doctrinam quidem continent non illiberalem, sed subobscuram, & propemodũ consulto recedentẽ longius ab imperitorum intellectu atq; iudicio. Hæ definitiones facilius intelligi, & ad quotidianum usum uitæ accommodari possunt. Porro hoc in confesso est, necessarium esse omnibus quandam de moribus doctrinam & descriptionem uirtutum, ut in nostris moribus, & in hominum negocijs iudicandis intelligere possimus, quid deceat, quid non deceat, quæ sunt recte quæ secus facta. Tenere ergo formas & imagines uirtutum oportet, quas in omnibus consilijs, in omnibus negocijs iudicandis sequamur. Atq; hæc doctrina proprie uocanda est humanitas, ac recte & ciuilem uiuendi rationem ostendit omnibus ætatibus, quam qui non norunt, parum admodum distant à bestijs. Quamquam autem alijs locis magis fortasse conuenit, ostendere quod sit discrimen huius doctrinæ & Euangelij, tamẽ & hęc duxi hac de re admonendos esse auditores, ut eximatur eis error, qui iam istorum animos occupauit, hęc Ethnicorũ scripta indigna esse quę Christiani homines legant, & Philosophiam procul fugiendam esse Christianis. Itaq; breuiter

uiter hac de re sententiam nostram exponemus. Philosophia nihil adfirmat de uolũtate Dei, nihil præcipit de timore & fiducia in Deum: hæc proprie ad Euangelium pertinent. Sed præter hæc ciuilis uitæ præcepta, necessaria sunt, quæ doceant quomodo homines inter se trãquille uiuere possint: hæc in Philosophia tradũtur, & à uiris excellentibus causæ eorum in ratione positæ deprehensæ sunt. Neq; existimandum est, Christum uenisse in mundum ut hæc præcepta traderet, aliud quiddam de uoluntate Dei, & de fiducia in Deum exposuit, quæ ratio humana non potuit deprehendere. Interim tamen & ciuilia officia uitæ approbat Deus, & requirit ab omnibus ætatibus, hac disciplina coherceri uult homines non aliter atque Magistratuum legibus & institutis, quæ cũ ijs præceptis magnam habent cognationẽ, nam ex ijs tanquam ex fontibus omnes leges & omnia iura Magistratuum nata sunt, & ob hanc causam magnam habet utilitatem hæc doctrina, quia cum ostendat causas legum, & publici iuris, multum adiuuant ad intelligendum omnes de ciuilibus rebus disputationes. Vt igitur decet Christianos hanc ciuilem societatem colere & adiuuare, ita hæc doctrina de ciuilibus moribus atq; officijs cognoscenda est. Non est pietas, Cyclopum more uiuere, sine iure, sine legibus, sine doctrina, sine alijs uitæ præsidijs quæ continentur literis. Quare isti qui uituperant Philosophiam, non tantum belligerantur cum natura humana, sed etiam grauiter lædunt Euangelij gloriam, quod iubet ut disciplina ciuili homines coherceãtur, & maximis præmijs ornat natura honesta instituta, quæ continent ciuilem societatem hominũ. Non ergo contemnendi sunt Philosophi & alij scriptores qui honesta

uitæ

nitæ præcepta tradunt, sed diligenter legendi, ut acuant iudicium de ciuilibus negocijs & moribus. Multa poterunt monere uiri sapientes in Repub. uersati, quæ usu cognouerunt, quorum cognitio nos reddet cautiores in magnis rebus gerendis. Exposui quid hi libelli & ad uerborum copiam, & ad rerum scientiam conferant, nam & copiam sermonis alunt, & firmant iudicium de moribus, quorum utrunq; ualde necessarium est in uita. Sed est alia quædam utilitas horum libellorum, quæ ad eloquentiam pertinet, quæ uel meo iudicio uel præcipua est. Omnes docti uiri præcipiunt, ut locos communes habeamus instructos, ex quibus sumamus oratione de honestis rebus, quoties opus erit. Nam omnia negocia in uita, iudicantur ex locis communibus uirtutum & uitiorum, eamq; ob causam ad illos referenda est oratio, de quocunq; negocio instituta fuerit. Hic primum prodest locos perfecte cognitos habere, nam res ipsæ perfecte cognitæ, gignunt orationem, sed magis etiam prodest habere in promptu sic tractatas & ornatas à Cicerone, ut inde uerba atque ornamenta mutuari possimus, aut certe imitari. Quid enim agit hic aliud Cicero, nisi ut locos communes, hoc est, uirtutum definitiones colligeret? ad quas reuocanda sunt omnia ciuilia negocia de quibus dicendum est. Si scribis epistolam, in qua agis gratias amico bene de te merito, quàm multa ornamenta suppeditabit Cicero in illo loco, qui continet præcepta de gratitudine? multæ ibi similitudines, multa argumenta sunt quæ ad usum nostrum transferre possumus. Si in deliberatione incidat utilitatis cum honestate contentio, ut sæpe fit, quàm multa sumi poterunt ex tertio libro? Quid grauius in tali con-

trouersia dici potest historia Cyrsili, quem cum Athenienses dantem utile consilium, sed inhonestum, lapidibus obruissent, mulieres etiam Athenienses eius uxorem lapidauerunt: Tantam esse uim honestatis Athenienses uoluerunt, ut nouo exemplo putarent in eum animaduersum esse, qui utilitatem anteferendam esse iudicasset honestati. Talia ornamenta apte translata in nostram orationem, non modo gratiam, sed etiam autoritatem conciliant. Supra dixi de uerbis & sententijs excerpendis, hæc uero maior erit utilitas, integros locos ordine cognoscere, & eorum formas tenere, quas uel imitemur, uel usurpemus cum opus erit, quia cum omnia negocia in uita referuntur ad tales locos, necesse est ut copiose instructos atque paratos habeamus, ac sicubi deerunt hæ opes, is nullam causam neque recte iudicare, neque clare exponere poterit.

Dixi.

Præfatio

PRAEFATIO AD REGEM FERDInandum in Danielem, Autore Phil. Mel.

INCLYTO REGI HVNGARIAE AC Bohemię, Archiduci Austrię, D. Ferdinando, Domino suo clementissimo, Phil. Melan. S. D.



Vm publico quodam more nullum non scripti genus summis Principibus ac Regibus dedicari soleat, nemo fortasse consilij mei causam requiret, cur sub tuo nomine hunc commentarium in lucem ędiderim. Tanta enim literarum dignitas semper fuit, ut nulla magis idonea munera Regibus offerri posse, quàm literatia, creditum sit. Nec paucę aut leues causæ sunt receptæ huius opinionis: Nam cum sine studijs literarum, neq; religiones coli, neq; retineri iudicia, neq; explicari leges, quæ omnia his qui imperant tuenda sunt, possint, uisa est & hęc cura ad Reges pertinere, excitandorum studiorum, atq; defendendorum. Itaq; cum propter alia multa studiosi homines Regum titulos ac nomina suis operibus inscripserunt, tum maxime, ut significarent monumenta literaria propter publicam utilitatem, ab ijs qui tenent Respub. defendenda esse. Sed in maxima uarietate scriptorum, nulla magis conueniunt Principibus, quàm quę religionis doctrinam continent: hanc enim præcipue illos & cognoscere & propugnare decet. Ego igitur hunc ad te libellum misi, inclyte Rex, in quo Da-

nielem Prophetam enarraui, qui præterquam quod de Christo planè & perspicuè uaticinatur, plurima etiam præcepta & exempla utilia imperantibus tradit. Accipio ab his, quibus interiot tua uita nota est, libenter te ueterum historias, & præclara poemata legere, ac sæpe publicis occupationibus aliquã suffurari temporis partem, quæ in lectionem collocetur. Quæ res, quantam mereatur laudem, non possum uerbis consequi. Neque enim sine literarum tractatione, perfecta sapientia, quæ in Principe requiritur, existere potest. Faciebat idẽ auus tuus Maximilianus Cæsar, nulli Regum aut Imperatorum optimorum apud Græcos aut Romanos in omni genere laudis secundus. Hic in ipsis castris etiam legebat, & cum doctis non modo de religione, deq; omni ratione regendæ Reipublicæ, sed etiam de leuioribus artibus commentabatur, de syderum motibus, de alijs naturalibus causis, de historijs. Nulla res erat, quę quidem digna esset hominis ingenui cognitione, in quam ille non intenderet animum. Cum autem & naturę tuę bonitate, & hoc domestico exemplo extimulatus, tantopere studia literarum ames, existimabam futurum, ut à lectione Danielis non abhorreres. Si enim prodest ijs, qui in administratione Reipub. uersantur, præcepta regendarum ciuitatum, à Platone aut alijs conscripta, tenere, quanto magis conducit nosse Danielem, in quo tam multa cœlestia præcepta extant, sine quibus imperium pie gerere nemo potest? Prudenter de iure, de legum æquitate, deq; alijs multis rebus, quæ ratione deprehendi poterant, Philosophi scripserunt. Sed deuoluntate Dei nihil tradere potuerũt, quod in animis Principum aut fiduciam erga Deum, aut timorẽ Dei alteret.

Philosophi

Philosophi consilio hominum, aut casu iudicant imperia constituta esse: At hic Propheta non semel ait, Deum regna constituere ac mutare, Deum custodem esse Regum, & mittere Angelos, qui tanquam excubias agant ad defendendos Reges. Quæ autem arces, quæ propugnacula perinde muniunt Principem aduersus omnia pericula, atq; hæ sententię, quę iubent credere, quod à Deo tegatur? Sic enim hę sententiæ accipiendæ sunt, ut non modo ad illos pertinuisse, sed ad nos quoq; accommodandas esse iudicemus. Hic proponuntur piorum & impiorum Regum dissimilia consilia, dissimilesq; exitus, Monarchię depinguntur, quarũ successionem Propheta tot ante seculis præuidit, ut indicaret, quo tempore Christus uenturus esset. Significat postremis temporibus futurum, ut existat regnũ, quod longe lateq; grassetur, ac sanctos opprimat: id Saracenicum ac Turcicum regnum esse, dubitari nõ potest. Voluit autem Propheta consolari pios, ne gloria impij imperij offensi, fidem abijcerent, ne putarent se casu, aut ignorante Deo affligi, ne fœlicitatem illam Tyrannidis fore perpetuam arbitrarentur: Postremo, ut scirent etiam, cum illud regnum in fastigio stabit, breui uenturum esse Christum, ad iudicandos uiuos ac mortuos. Quàm autem Regia Danielis concio est, qua Regem Assyrium hortatur ad pœnitentiam? Libera te à peccatis, per iusticiam, & per beneficia in pauperes collata. Non præscribit nouos aliquos ritus, aut ceremonias, sed summam pietatis diserte complectitur: Iusticiam enim initio uocat agnitionem Dei ac fidem, per quam in gratiam à Deo recipimur. Cum contigit fides, reliquum est, ut unusquisq; suę uocationi seruiat, suum officium sedulo faciat, spartam

quam nactus est, summa diligentia exornet. Est autem Regum, ut ita dicam, uocatio, ius rite dicere, defendere innocentes aduersus uim iniustam, punire sontes, pacē & disciplinam ciuilem legibus atq; armis munire. Hæc beneficia, has eleemosynas iubet Regem in subditos miseros, & iniuriæ obnoxios, sic enim in sua lingua loquitur, conferre. Ac ne potest quidem homini quidquam contingere melius pace, ac certa & æquabili iuris descriptione. Hęc atq; alia multa comperies profutura, uel ad agnitionem Christi, uel ad Rempub. gubernandam, quæ prophani scriptores non attigerunt. Quare nihil dubitabam, quin magnam tibi uoluptatem Danielis lectio allatura esset: nos addidimus adnotationes, quæ alicubi lucem adferrēt obscurioribus locis. Multa enim ex historijs omnium temporum ad intelligendum Danielem petenda sunt, quæ tibi occupato tot regnorum gubernandorū curis, tot etiam implicato bellis, procul quærere non uacat. Quanquam autem uolui tibi hac in re meam obseruantiam, meumq; erga te studium probare, tamen & aliam quandam habui causam ad te scribendi, multo iustiorem, ac planè necessariam. Magno in odio multorū sunt hoc tempore nonnulli, qui sacras literas pure tractant, aduersus hos cum Sycophantę quidam ubiq; Principes cōcitent, nullum hoc tempore grauius est crimen, quàm genuinam religionis doctrinam amplecti. Et annis iam aliquot multi boni uiri desyderant æquitatē in nonnullis, qui quouis alio modo dissensiones Ecclesię malunt opprimere, q̄ ordine cognitis dogmatibus. At nō modo æquius erat, sed etiam publicæ paci utilius, doctrinam prius cognoscere, q̄ edictis iugulare. Neq; enim potest esse diuturna pax, si in Ecclesijs

falsæ

falsæ opiniones hæserint. Misi igitur ad te hunc libellũ, ut specimen eius doctrinæ, in qua uersor, tibi ostenderem, teq; rogandum duxi, ut des operam, ut Ecclesiasticę controuersiæ cognoscantur. Idq; non modo abs te peti existimes, quia in hoc Imperio secundum fratrem principem locum obtines, sed multo magis, quia maxima fama est iusticiæ tuæ apud gentes, hanc conuenit bonis uiris præsidio esse. Nec petitur aliud, nisi quod non modo scriptum extabat in Atticarum legum tabulis, ὁμοίως ἀμφοῖν ἀκροᾶσθαι, sed omnium hominum animis diuinitus insitum est, ut utraq; pars audiatur. Vbi cognoueris quale sit doctrinę genus quod quisq; profitetur, pronunciare tutius erit. Maxime optant omnes, ut Synodus cogatur: sed si hoc tam turbulentis temporibus fieri non potest, tamẽ meo iudicio ita consuli posset Ecclesię concordię, si aliquot probis ac doctis uiris autoritate summorum Principum committeretur, ut de dogmatibus iudicarent. Quidam ita sæuiunt in eos, qui non probãt omnes uulgo receptas opiniones, quasi nihil uitij irrepserit tot seculis in Ecclesiam. Multa docuerunt olim Monachi, quæ pietati officiunt, multa usu recepta sunt aliena ab Euangelio. Deniq; Ecclesiastica doctrina multis impijs constitutionibus atq; opinionibus oblita est. Decet autem præstare eos, qui uel præsunt Ecclesiæ, uel imperia tenent, ut quàm maxime pura Christi doctrina populo proponatur. Quare in hanc curam incumbe, Rex inclyte, propter gloriam Dei, ut repurgata doctrina Ecclesiastica, concordiam sarcias. Nihil Deo gratius facere poteris, nihil ad omnem posteritatis memoriam glorioſius, nihil Austriaco nomine dignius: Semper enim familia uestra prę cipuam pietatis laudem habuit.

Quæ

Quæ sunt autem officia pietatis meliora, quàm publicam pacem constituere, ac efficere, ut de religione recte doceantur homines? Christus pacis autores beatos uocat, & pronunciat esse filios Dei. Quod si excitatus hac uoce, discordiá sanaueris, uicissim fauebit tibi Christus, & consilia maximarũ rerum, quas utilitatis publicæ causa suscipis, fortunabit. Si quis autem arbitratur, posse sedari discordiam, si altera pars ui opprimatur, mea quidem sententia longe errat. Illud fuerit remedium magis idoneum huic morbo, si rite dijudicatis dogmatibus, recte doceantur homines: Nam & doceri expetunt, & Christianos decet, sanare magis errantes, q̃ perdere. Contra, uidentur religionem ludibrio habere, qui docere nolunt, tantum cogunt amplecti, quod commodum est ipsis, rectum sit necne, ridicula quæstio putatur. Non suscepi hic cuiusquam defensionem. Si quis Euangelij prætextu seditiones excitat, si imperia Principibus abrogat, si in alienas possessiones inuadere, si diripere sacerdotum facultates conatur, det sceleris pœnas. Tantum hoc oro, ut in tanta uarietate dogmatum, ratio ineatur, per quam ita restituatur concordia, ut ambiguæ mentes etiam sanentur. Hęc cura Regibus Christianis digna est, quorũ nulli potentia, & regni amplitudine cedis, multos etiam iusticia, pietate, clementia, quę sunt uera Regũ ornamenta, uincis. Nulla trophæa durabiliora erigere poteris, q̃ futura sit huius memoria beneficij, si Ecclesiæ tranquillitatem restitueris, atq; ita munieris, ut esse diuturna possit. Quoties maiorum tuorum imagines consideras, incurrũt in oculos tuos nonnulli, qui Synodos coegerunt, ut dissensiones Ecclesiæ cõponerent. Horũ exempla te admoneant, quid in huiusmodi dissensionibus

nibus maxime Christianum Principem deceat, quidq; Reipublicæ sit utilissimum. Hæc ad te fortasse præter decorum, sed tamen bono studio scripsi, teq; rogo, ut libertatem meam pro tua clementia boni consulas. Nam si aliàs unquam, hoc tempore maxime, merentur hæ quelæ ueniam, cum, ut ait Poeta,

Pellitur è medio sapientia, ui geritur res.

Christus det mentem omnibus Principibus, & cupidam pacis, & amantem Euangelij. Vale fœliciter Rex inclyte. Spiræ, Anno

M. D. XXIX.

Mense Aprili.

GERMANIA AD REGEM FERDInandum.



Anc adflicta tibi Germania mitto salutem,
Quę mihi nõ tribui, te nisi dante, potest.
Vsa diu rebus quæ sum tranquilla secũdis,
Hoc iaceo multis tempore pressa malis.
De quibus ipsa tuum supplex cum numen adoro,
Ferre mihi solus qui potes, adfer opem.
Ecce uides rerum quàm tristis forma mearum,
Qualis & imperij sit status iste mei.
Omnia dissidijs, sunt omnia plena tumultu,
Illa fuit quanti res mihi causa mali?
Seruiles acies sumptis nos uidimus armis,
Nuper & agrestes turc coisse manus.

Testis adhuc extat miserandæ Francia cladis,
Tota cadaueribus squalida facta suis.
Ipsaq; fertilibus laudata Alsatia campis,
Quæ fuit multis cæde cruenta locis.
At pars ulla meo ne possit abesse dolori,
Insuper externo nunc & ab hoste petor.
Turca ferox nostras descendere fertur in oras,
Alterius nobis altera causa mali.
Infestis qui cum tot regna subegerit armis,
Posse suo sperat me quoq; Marte capi.
Si qua proinde meæ remanet tibi cura salutis,
Adfer in aduersis his mihi rebus opem,
Ne toties claris quæ sum prius aucta triumphis,
Hostibus hoc fiam tempore præda meis.
Nam tibi si rerum sunt cognita gesta mearum,
Cognita quæ cunctis Regibus esse puto,
Semper adhuc inuicta fui, nullosq; per annos,
Vllius inuenies me subijsse iugum.
Roma suis totum domuit quæ uiribus orbem,
Nominis est nunquam laudibus aucta mei.
Meq; lacessiuit quoties hostilibus armis,
Hanc liquet incepti pœnituisse sui.
In me nil potuit uirtus animosa Neronis,
Funere qui Rheni nobilitauit aquas.
Nil potuere tuæ Quintili Vare cohortes,
Quas meus Arminius depulit ense suo.
Nec maris Adriaci tota cum plebe senatus,
Nostra suo potuit subdere colla iugo.
Deniq; nec magni potuerunt lilia Galli,
Lilia sæpe mea languida facta manu,

Quin

Quin neq; Turcarum nos iam superabimur armis,
Auxilio si nos iuueris ipse tuo.
Ducat in exemplum celebris te fama Camilli,
Nam patriæ uindex & fuit ille suæ.
Secula nulla tuum nomen uentura silebunt,
Inferiorq; tua laude Camillus erit.
Tu modo pro nobis, & libertate meorum,
In Mahometigenas suscipe bella Getas,
Totius infestos Christi quos nominis hostes
Nouimus, aduersus armaq; ferre Deum.
Hac de gente fera, Danielis scripta Prophetæ
Multa canunt, paucis hic memoranda mihi:
Viderat is quatuor sub imagine regna ferarum,
Aspice, uera tibi, non ego ficta loquar.
Regibus Assyrijs, primis fera prima monarchis,
Altera sed Persis assimulata fuit.
Tertia Graiorum referebat bestia sceptrum,
Quarta potestatem Martia Roma tuam.
Huius dira feræ facies truculentior illis,
Dissimilisq; tribus conspicienda fuit.
Ferratos dentes, bis cornua quinq; gerebat,
Et pedibus plodens concutiebat humum,
Exiguum uero cornu sub fronte latebat,
De medijs ortum cornibus illud erat,
In quo terrificis oculis, uultuq; minaci,
Humani capitis forma uidenda fuit.
Hoc cum cœlitibus diuis uiolenta gerebat
Prælia, blasphemos ore loquente sonos.
Turca ferox autem caput est immane, quod audis
Aduersus summum bella mouere Deum.

Hoc tibi frangendum caput est, hoc concute cornu,
Succumbet manibus bellua uicta tuis.
Ergo age, Rex, animo præsenti suscipe bellum,
Hei mihi quas pœnas impie Turca dabis.
Non tibi consuetæ mitti post terga sagittæ,
Non tibi uelocis proderit usus equi,
Aut ultra Tanaim patrijs eiectus ab oris,
Ludibrium cunctis gentibus exul eris.
Aut tua submittens iniectis colla cathenis,
Ante triumphales Regis obibis equos.
Inclyta nobilibus gaudebit Græcia Musis,
Præbuit inuitas quæ tibi uicta manus.
Exultansq; suis lætabitur amnibus Ister,
Quem tuus infestum reddidit ante furor.
Hoc precor esse ratum cœlesti numine Christus,
Hoc uelit omnipotens, rexq; paterq; Deus.
Sed prius externos quàm progrediaris in hostes,
Certa tibi pax est constituenda domi,
Sedandiq; graues de relligione tumultus,
Hoc Regem tantum, quantus es ipse, decet.
Nec minor ingenuas studijs florentibus artes,
Ac fouisse sacras sit tibi cura deas,
Quæ spretæ sine honore iacent hoc tempore passim,
Hac re nulla tibi gloria maior erit.
Tunc Deus indomitas, tibi Marte fauente, cohortes,
Turcarumq; dabit uincere posse manus.
Tunc, quas nulla tibi poterit delere uetustas,
Laudes semper erunt, gloria semper erit.
Longior immensis ne crescat Epistola uerbis,
Desino, tu fœlix incolumisq; Vale.

Præfatio

PRAEFATIO PHILIPPI MELANTHONIS, in Turcicarum rerum commentarium Pauli Iouij Episcopi Nucerini.

ILLVSTRI PRINCIPI AC DOMINO Ioanni Ernesto Duci Saxoniæ &c. Philippus Melanthon S. D.

MVltæ sunt partes in historia ad uitam utiles, sed omnium utilissimæ sunt religionũ atque imperiorum descriptiones, quarum duarum rerũ consideratio maxime digna est præstantibus ingenijs. Et ut ego quidẽ existimo, hæc historiæ initia fuerunt. Hoc consilio primum institutum est, mandare literis res gestas, ut uerę religionis memoria conseruaretur, deinde ut gentium ortus ac mutationes, & imperiorum seriem posteritas cognosceret. Nec uero dubium est, historias prodesse & ad cognitionem religionis, & ad confirmandam in animis pietatem. Vt enim illi hominum uetustissimi Deum nominantes, addebant mentionem patrum, uocabantq; Deum Abraham, Isaac, Iacob, ut cauerent, ne posteritas acciperet peregrinas religiones sine testimonio eius uerbi, quod patres minime ambiguis signis acceptum de cœlo, posteris per manus tradiderant, ita nobis conducit intueri omnium ætatum spacia, ac uidere, qua serie Deus propagarit Ecclesiam suo uerbo, ne quá religionem cũ ea doctrina pugnantem amplectamur. Deinde conducit uidere, quomodo interea nouas atq;

impias opiniones diabolus in mundo sparserit, quæ celeriter in tanta caligine humanarum mentium uires acceperunt, & orbem terratum late peruagatæ sunt. Hæc exempla nos de multis magnis rebus admonent. Ostendunt Ecclesiam omnibus ætatibus exiguam, & spretam fuisse, ut adflictionibus exerceretur, ac disceremus pendere eam à diuina ope, non humanis consilijs conseruari. Docent item, ne magnitudine potentię, opum, glorię, consensu multitudinis moueamur, ut uerbum Dei certa autoritate acceptũ abijciamus. Omitto alias utilitates multas, quę ex locupletiore historia sumi possunt. Quantum ad pleraſq; cõtrouersias Ecclesiasticas dijudicandas uetera exempla conducunt? qua in re iure reprehendenda est negligentia illorum, qui sedentes ad gubernacula, passi sunt interire huius generis uetera scripta, nec dederunt operam, ut perpetua historia contexeretur. Extant reliquię nonnullæ ueterum, libelli Eusebij & Theodoreti, in quibus &si multa secula etiam superiora desiderantur, tamen quàm sit Ecclesiæ necessaria historia, illi ipsi libelli indicant, ostendunt enim, quid uetus Ecclesia de plerisq; controuersijs pronunciarit. Quanquam autem indocti hæc testimonia negligunt, sicut in uniuersum de cura antiquitatis ait Thucydides: ὅτως ἀπαλαίπωρόν τοῖς πολλοῖς ἡ ζήτησις τῆς ἀληθείας, καὶ ἐπὶ τὰ ἕτοιμα μᾶλλον τρέπονται. tamen eruditis magno usui sunt. Equidem perhorresco toto pectore, cum animo intueor Ecclesiam in historijs depictam: Video enim nulla non ætate horribiliter dilaceratam esse. Et ut in fabulis, ex gigantum sanguine terra statim alios gigantes genuit, ita subinde ex hæreticis orti alij recentes prodierũt, fuitq; inter tot factiones difficilis dijudicatio

dicatio, quæ esset uera Ecclesia, quis portus tam turbulentis tempestatibus tenendus esset. Hæc tamen interea diuina ope seruata est ita, cum pauci homines docti & pij synceram Euangelij doctrinam retinerent & propugnarent. Id exemplum me quidem non leuiter confirmat, considerantem hoc tempore, quàm multi undiq; oppugnẽt puram doctrinam, q; uarij motus ac πανικοὶ plerique aduersus bonos exoriantur. Confirmor etiam multis in rebus sententijs & iudicijs illius ueteris & syncerae Ecclesiæ. Nec habemus uberiorem historiam illarum ueterum rerum, q; Epiphanij scriptum, in quo cum hæresium confutatio instituta sit, historica multa inserta sunt. Ex eo autore propemodum continua historia ueteris Ecclesiæ excerpi posset, si quis prudenter ipsius narrationes contexeret, eamq; rem optarim alicui Principi curæ esse. Hactenus breuiter dixi historias conducere ad religionis cognitionem, quod &si non ualde obscurum est, tamen illud opinor manifestius esse, his qui sunt in Repub. debere notas esse historias de serie imperiorum, quæ causę mutationes atq; inclinationes imperijs attulerint. Et ut nõ uelint res uetustissimas cognoscere, certe præsentis temporis regna considerandа sunt, quibus artibus atque auspicijs creuerint, quas res gesserint, quę singularum gentium sint naturę, uoluptates, atq; opiniones, quæ religione, legibus, fœderibus, natura coniunctę atq; consociatę sint, quæ perpetuo inter se inimicę sint, quæ concupiscant Monarchiam, qua disciplina domi pacem muniant, qua foris regant exercitus, quo genere copiarum, armorum, præliandi utantur, quę ipsa tamẽ nemo cognoscet, nisi multa legat, audiat, atq; exploret, imò nisi etiam multa ex historijs sumpta

ad res

ad res præsentes conferat. Polybius scribit nō aliud præceptum Ducis plus momenti habere, quàm ut non modo uires, sed etiã ingenia sensusq; hostium norit. Cum igitur uniuerso Christiano nomini iustum & propemodum naturale dissidium & perpetuum bellum sit cum Turcica natione, & hoc tempore bellum exarserit, in quo nobis non modò de libertate nostra, de legibus, deq; cæteris ciuilibus ornamentis, sed etiam de religione planeq; pro aris & focis cum Turcica natione dimicandum est, magnopere prodest nostris Principibus res Turcicas diligentissime cognoscere. Id studium non solum inflammat animos, sed etiam instruit, & in plerisq; momentis rerum cautiores reddit. Itaq; cum nactus essem hanc Epitomen historiæ Turcicę, ab homine prudentissimo Paulo Iouio conscriptam, hic quoq; publicandam esse duxi, ut plures legerent, tibiq; nominatim dedicaui, quem iam in hoc tyrocinio literario, omniū gentium historias auidissime legere & excutere conuenit. Vides quantam frater tuus laudatissimus Princeps negociorum molem sustineat, in iurisdictione, in quotidianis deliberationibus rerū maximarum. Hic in tanto occupationum concursu, tamen legit plurimum. Et ut Cato in Senatu dicitur aliquid temporis ad legendū suffuratus, ita hic sæpe inter disputationes senatorias libros habet in manibus. Legit de religione non eorum tantum scripta, quorum probat sententiam, sed etiam aduersatiorum. Multa inquirit ac legit de Iure. Historiam uero Græcam, Romanam, Ecclesiasticam, res imperij Germanici, maiorum suorum non modo res gestas, sed etiam domesticam uitam, & omnes graviores controuersias meminit: qua in re sæpe non modo studium,

dium, in tantis occupationibus, sed memoriam etiam & iudicium eius admiror. Quoties de motibus Ecclesię, de regnorum mutationibus, de ingenijs, moribus, uoluntatibus, officio eorum qui uersantur in Repub. de periculis prouidendis aut depellendis differitur, quàm ille aptas ex historijs imagines accommodat? Vt igitur Nestor apud Homerum hortatur Menelaum, ut fratris Agamemnonis sedulitatem imitetur, ita & te decebit magis amare historias, admonitum fraterno exemplo. Cum autem hunc libellum de rebus Turcicis leges, primum cogitabis, quantum initio uulnus acceperit Ecclesia, nato impio dogmate Mahometi in illis Arabum desertis, quæ ut sunt fœcundissima uenenatarum bestiarum, ita fuerunt & hæresium ac discordiarum Ecclesiasticarum, ut genium loci non raro admirer. Ibi pestilentissimæ hæreses natæ sunt Ebionis, Gnosticorum & Manichæorum, deinde accessit ex uicinia tumultus Arianus. Ex hac hæresium confusione ortum est delirium Mahometi. Et celeriter contagium occupauit animos ambigentes, tot antea dissensionibus perturbatos. Ita dedit mundus pœnas spreti Euangelij, & curiositatis, qua sibi quisq; immani audacia fingebat nouas opiniones. Postea per seditionem & tyrannidem error propagatus & stabilitus est. Aliquanto post Turcica gens cum mercede militaret in Asia, ex antiquis effusa sedibus, hãc impietatem amplexa est, credo ut facilius potirentur imperio uicinarum gentium.

Sacræ literæ uaticinantur de regno Gog & Magog: Me autem & Turcicæ gentis origo & professio, & magnitudo successuum mouent, ut existimem hoc ipsum regnum Turcicum significari. Cum igitur constet Tur-

cicam professionem pugnare cum Euangelio, cum arma gerant hancipsam ob causam præcipue, ut deleant nomen Christi, ut uastitatem in Ecclesia efficiant, sicut Prophetæ de Gog & Magog prædixerunt, execrari Turcicum regnum omnes pij debent. Principes uero Christiani nominis ad propulsandam illam pestem, omnia consilia, & omnes uires conferre debebant. Ecclesia contaminata multis uitijs, impijs cultibus, & alijs peccatis toto orbe terrarum, dat pœnas. Hæc causa est, cur tanti fuerint successus Turcicę gentis. Sed uereor olim hanc nationem & reliquas uicinas, daturas esse pœnas, cum reliquorum uitiorũ, tum uero etiam negligentiæ, quod hostem summa crudelitate in uicinia, & ferè ob oculos grassantem, et exercentem fœdissimũ latrocinium, non arcemus, quod Græcam nationem, cum qua religione, societate imperij, & multis fœderibus cõiuncti fuimus, non ex hac miserrima seruitute eripimus. Paulo ante adhuc Græcia domicilium fuit doctrinæ religionis, & omnium optimarum artium. Quàm multos enim eruditos in omni doctrinarum genere nuper etiam habuerit, inde æstimari potest, quod exilio Græcorum in Italia nõ modo Græcę linguæ studia excitata sunt, sed etiã restitutæ cæterę artes, quarũ uix umbram quandã antea tenebant Latini. Non recitabo laudes antiquę Græcię, quanta uirtus, quanta sapiẽtia eius nationis fuerit, quantum ei debeamus, propterea quod disciplinas partim inuenerit, partim expoliuerit. Illud saltem consideremus, & alienum sit à pietate, non affici acerbissima calamitate eius partis Ecclesiæ, quæ omnium longe florentissima fuit, deinde quæ fortissime dimicans pro libertate, hoc est pro religione, disciplina, & legibus, tandem

non

non uirtute uicta, sed assiduitate bellorum confecta concíderit. Errant enim siqui putant Græcos parum fortiter depugnasse pro patria. Annos amplius sexcentos penè perpetuum bellum gesserunt cũ Mahometicis, primum in Asia, postea cum Turcis in Græcia, Bisantium aliquoties obsidione cinctum est. Multa ingentia prælia commissa sunt. Sed ad extremum deserti Græci, tantam barbarorum multitudinem soli non potuerunt sustinere, totaq; gens hoc tempore nõ aliter concidit, quàm olim ad Thermopylas Spartani dimicantes cum Xerxis exercitu: Refert enim adhuc Græcia aliquid antiquæ uirtutis. Et audio nunc quoq; præstantissimos quosq; duces Turcicorum exercituum, Græcos esse, & res maximas gubernari ac geri per homines Græcos. Etsi enim passim adhuc in Græcia reliqui sunt Christiani, tamen certus numerus liberorum patribus familiarũ eripitur, qui ad Turcicos ritus et ad militiam instituuntur: multos exempla & gloria militaris, quæ in generosis naturis acerrimus stimulus est, inuitant. Quàm misera seruitus est, ubi religiones delentur, ciuilis disciplina tollitur, auelluntur liberi à parentibus ad impietatem, sæpe etiam ad stupra, & nefarias libidines. Quales enim sint priuati mores Turcicæ gentis, hic libellus non obscure ostendit, cũ Imperatorũ sæuitiam, parricidia, & libidines describit. Tyrannis est perpetua, dissimilis imperiorum ueterum omnium, qua ex re animaduerti potest, non leuiter Deum huic postremę ætati mundi irasci, qua tantam tyrannidem grassari sinit. Significant enim scripturę hoc postremum fore regnum, antequam ille faustissimus & lætissimus dies illucescat, quo Christus Ecclesiam suam liberatam ab omnibus malis nouo triumpho ducet in

cœlum. Sed ita tamen graſſabitur hæc tyrannis, non ut occupet uniuerſum terrarũ orbem. Reliqua erunt regna Chriſtiani nominis, quæ barbariem illam reprimere debent. Quas enim dicemus eſſe cauſas uiris fortibus, cur arma capiant, ſi hę non ſunt cauſæ, uidelicet, ne deleatur uera religio, ne coniuges, liberi rapiantur ad impietatem & libidines, ne poſteritas oppreſſa ſeruitute, amittat cognitionem Chriſti, ne diſciplina ſublata, mores corrumpãtur? Harum rerum magnitudine fortes uiros moueri decet. Hæc atq; alia ſimilia ueniant tibi in mentem legenti hunc libellum: Nam harum rerum cogitatio cum alijs omnibus, tum uero maxime Principibus utilis eſt, eosq; ad res gerendas præparat. Leges igitur et huius gentis, & aliarum hiſtorias, & ita leges, ut conſideres, quæ exempla lectorem de religione, quæ de impetijs, quę de moribus admoneant, teq; omni ſtudio excites ad pietatem, & ad cæteras uirtutes, quia ſine auxilio Dei nec conſtitui, nec retineri poſſunt Reſpub. Et quidem pollicetur opem Deus pijs Principibus, ſicut Pſalmus inter laudes Dei hanc quoq; canit: Qui dat ſalutẽ Regibus. Cumq; imagines Dei in terris Principes eſſe debeant, hoc eſt, exhibentes hominibus ſapientiam, uidelicet, doctrinam de Deo, & alias artes uitæ utiles, iuſticiam, defenſionem, diſciplinam regendorum morum, ſiqui ſunt diſſimiles huic imagini, quàm tetra & horrenda monſtra ſunt, qui cæci & amentes, odio Dei ardent, & delent piam doctrinam? Deinde illud ex tragœdia tyranni præceptum imitantur:

ſanctitas, pietas, fides
Priuata bona ſunt, qua iuuat reges eant.

Quod cum ſemel ſibi perſuaſerunt, deinde ruunt in libidines,

bidines, helluationes, diripiunt publicas & priuatas facultates, exorbent sanguinem ciuium, grassantur fraude, simulatione, Sophistica, manifesta crudelitate, permittunt improbis infinitam licentiam, ut latissime uagetur turpitudo omnis generis. Quod monstrum abominabilius est tali belua, qua tota rerum natura polluitur, quæ tanquam furia in terras emissa, bellum cum Deo, cum legibus, cum honesta doctrina, cum tota natura generis humani gerit? Quid magis miserum est, etiam si adsint opes infinitæ, quàm tale portentum esse, tanquam κάθαρμα inuisum Deo, cœlestibus Angelis, omnibus hominibus, deniq; toti rerum naturæ? Sed Christus faciat, ut tu olim ita regas Rempublicam, ut uoluntas, consilia, mores tui ad imaginem Dei conueniant, & Deum archetypum recte exprimant.

Bene uale. Mense Octobri, Anno 2537.

PRAEFATIO IN RODOLPHVM Agricolam.

EXIMIA VIRTVTE ET DOCTRIna prædito, D. Alardo Aemsteltedamo Phil. Melan. S. D.

HAbeo tibi gratiam doctissime Alarde, quod occasionē mihi offers, de Rodolpho Agricola ea mandandi literis, quæ mihi adolescenti, & quadam puerili cupiditate sæpe interroganti, duo grauissimi uiri narrarūt, quibus cum Rodolpho non modo familiaritas, sed etiam quædam studiorum societas fuit, Capnio & Pallas Heidelbergensis, qui (ut eius quædam scripta testantur) diligentius ac purius loqui solebat, & de artibus multo grauius iudicabat, quàm cæteri ipsius collegę, qui tunc sacras literas enarrabant. Erat enim me puero recens Heidelbergæ memoria Rodolphi. Nam Dalburgius Vangionum Episcopus, apud quem uixit Rodolphus proximo anno ante bellum Bauaricum, florenti adhuc ætate è uita decessit, usus perpetua quadam fœlicitate, qua etiam euocatum puto, ne spectator esset illarum calamitatum, quæ postea secutę sunt. Porro nǫn modo Dalburgĩ autoritas, sed (ut animaduerti) etiam Plinĩ amicitia Rodolphum Heidelbergam pertraxit, quo cum Ferrariæ coniunctissime uixerat. Sic autem uocabat ipse Pleningerum uirum equestri natum loco, & præstanti ingenio præditum. Vix enim ullæ sunt dulciores amicitię, q̃ hę scholasticæ, societate studiorum

contractę

contractę, quę etiam postea allatę ad Rempub. nonnihil momenti adferunt in multis grauissimis negocijs, ut Solonis & Pisistrati amicitiam puerilem profuisse tranquillitati Atticę ciuitatis arbitrantur, & Eudemum cum Dione, schola Platonis cõiunxit. Sed omitto exempla. Memini autem me audire ex Pallante, fuisse mores Rodolphi castissimos, & omnibus bonis uiris probatos, adeo ut non modo propter famam doctrinæ, sed multo magis propter uitę & morum grauitatem, & (ut ipse referebat) singularem prudentiam & moderationem omnium actionum, consuetudo eius à præstantissimis uiris expeteretur. Consulebatur ab omniũ artium professoribus, si quis inciderat nodus, ad cuius explicationem opus erat aut historiarum, aut Latinæ linguę, aut Græcorum autorum cognitione. Itaq; ingenioſi ab ipso admoniti, multa in Aristotele dexterius ac simplicius tractabant: audierat enim Ferrariæ Theodorũ Gazam, qui in Aristotelis doctrina excelluit. Cumq; Heidelbergæ consuetudo fuerit (ut mihi uidetur plena humanitatis) ut in publicis disputationibus, professores, si quando hærebat disputator, interfarentur, audio sæpe difficiles nodos publice à Rodolpho, de fato, de causis, de Endelechia, & similes explicatos esse. Quare & disputationum cœtus propter ipsum erant frequentiores, & ad eos confluebant non tantum scholastici, sed multo etiam studiosius grandiores natu, qui Academiæ præerant. Nec defuit eius officium Iurisconsultis, amabat enim leges, & propter ipsarum dignitatem, & quia continere eas, doctrinam, historias & bonam Philosophiæ partem affirmabat, deniq; mores et humanitatẽ utriusq; ciuitatis, uidelicet, Atticę & Romanę, conspici magna

ex parte

ex parte in legibus dicebat: quare pleraſq; ſine noticia antiquitatis intelligi poſſe negabat. Oſtendebat & in Canonibus germanum ſenſum, ſæpe ex hiſtorijs & Eccleſiæ moribus petendum eſſe. Nam cum ortum eſſet certamen de hoc dicto: Fruſtra ſeruãt Euangelium, qui non ſeruant Canones. & imperiti quidam diſputarent, q̃ dura uox eſſet, ſi ad omnes ritus Eccleſiaſticos transferatur, admonuit Rodolphus, Canones initio uocatos eſſe ſententias Synodorum de dogmatibus, ut in Synodo Nicena damnati ſunt errores Samoſateni, Catharorum, & Arij. De talibus decretis recte & proprie dici affirmabat, fruſtra ſeruari Euangelium, ſi illi Canones non ſeruentur, qui ueram & firmam ſententiam ſcriptu rę explicant, de illis controuerſijs. Hanc ſe interpretationem à Rodolpho accepiſſe Pallas ſæpe prędicabat, nunquam nõ adijciens honorificam commemorationem de moribus & de eruditione Rodolphi. De Theologia uero ſolitus eſt accuratius diſputare, ut ſatis appareret eum tota mẽte, totoq; animo amplecti & uenerari Chriſtianam religionem, & abhorrere ab impietate: Fuerat enim aliquandiu familiaris ciui ſuo Baſilio Groningo Theologo Pariſienſi, quem reuerſum ex Gallia, Baſileę Capnio etiam ſe audiuiſſe dicebat: qui quidẽ Baſilium narrabat Græcam & Hebraicam linguam mediocriter calluiſſe, in Theologia uero & Medicina, ac reliqua Philoſophia, facile omnibus illius ętatis profeſſoribus antecelluiſſe. Accenſus igitur Rodolphus Baſilij doctrina, cumq; etiam in Italia Theologos audiſſet, & ipſe ſcriptores Eccleſiaſticos Grecos & Latinos excuteret, & ſi probabat uoluntatem in recentioribus, qui ſummas rerum uidiſſent in unum corpus ac methodum contrahendas

hendas esse: hanc enim docendi rationem necessariam esse in omni genere fatebatur, tamē iudicium, modum & puritatem non obscure desiderabat, ostendebatq; qui mores, quę opiniones recentium temporū conueniant cum ueteri Ecclesia, quę non conueniant. Nihil fingo, nam mihi sermones quidam ipsius recitati sunt à uiro optimo, καὶ ὅτι μάλιστα ἀξιοπίστῳ. Sępe enim adiuuabat Theologos in reddendis Gręcis sententijs sacrorum librorum, ut in hoc dicto: Et Deus erat uerbum. monebat λόγου subiectum esse, ut uocant Dialectici, propter articulum, iuxta Græci sermonis consuetudinem. Et huiusmodi alia multa. Hæc, ut studiosos iuuaret, comiter inter eruditos & graues uiros disputabat, non rixabatur cū indoctis. Cum igitur proceres aliquoties eius doctrinam & mores Philippo Principi Palatino prędicassent, Princeps cupiens eum audire (magnopere enim delectabatur eruditis sermonibus) complecti eum familiariter cœpit. Cumq; primum de Græcis, Latinis & Ecclesiasticis historijs multa scisciatus esset, petiuit epitomen historiarum sibi componi. In hac audiui Rodolphum complexum esse ordine seriem imperiorum, initia, incrementa, & inclinationes religionum, & morum mutationes, collata etiam esse tempora Græcę historię cum sacra. In id compendium contraxit electas materias maxime utiles, cum ex Poetis, tum ex historicis Gręcis, Herodoto, Thucydide, Xenophonte, Gemisto. Aspersit & inter narrandum sententias ad mouendum Principem de multis partibus Reipublicę. Id scriptum ualde auxit Principis & procerum studia erga ipsum, cum non modo eruditionem ipsius, sed etiam singularem prudentiam, quę lucebat in illis narrationibus de causis mutationum

tionum, quæ in imperijs accidunt, admirarētur: Quare postea sæpe in consilium de Repub. adhibitus est. Hæc memini non raro prędicare Capnionem & Pallantem, quæ multis de causis libenter recensui. Etsi enim eruditio Rodolphi iudicari ex scriptis ipsius potest, tamē mores & uitæ consuetudinem, & testimonia magnorum uirorum de ipso nosse adolescentibus prodest. Sæpe enim eruditorum exempla aliquid de studijs monent, ut quo dirigenda sit manus (ut ita dicam) rectius prospiciant. Fortassis etiam magis admirabuntur & amabunt Rodolphum, si cogitabunt Gazæ & aliorum doctorum uirorum consuetudine usum esse. Cum autem eius monumenta plurimum conducant adolescentiæ studijs, præclare te de studijs mereri iudico mi Alarde, quod sumptu & labore tuo ædi curas, cum cætera Rodolphi scripta, tum libros eius Dialecticos integros, qui hactenus mutili circumferuntur. Porro cum Aristoteles uocet Dialecticos libros ὄργανον, satis admonet hanc artem maxime necessariam esse: Lumen est enim, omniū non modo artium, sed & disputationum ciuilium & Ecclesiasticarum. Quare plurimū refert adolescentiam in ea recte & prudenter instituī. Nec uero ulla extant recentia scripta de locis & de usu Dialectices meliora & locupletiora Rodolphi libris. Proinde optime te mereri de Repub. iudico, quod integros & emendatos ædi curas, quos quidem uelim omnes adolescentes, qui solidam eruditionem expetunt, assidue, & (ut Horatij uerbis utar) nocturna uersare manu, uersare diurna.

Bene uale. Francofurti 28. die Martij, Anno 1539.

Præfatio

PRAEFATIO PHILIPPI MELANthonis in Metricam Iacobi Micylli.



On tantum mihi sumo, ut meo iudicio de lingua Latina et Greca, deq; ratione scribendi ac dicendi plus tribui uelim quàm iudicio Micylli, cuius extant pleraque scripta, quæ testantur eum singulari ingenij uenustate, solida eruditione & prudentia in iudicando egregia, præditum esse. Mihi, si quid fuit ingenij, consumptum est in trixis disputationum, & in magna uarietate negociorum, in quibus uersamur. Quare nihil opus est, huic operi Micylli, mea prædicatione, & rectius ipsi iuuentus de hoc genere studiorũ, quàm mihi assentitur. Sed tamẽ, quia propter nostram amicitiam à me adijci epistolam uoluit, nõ repugnaui uiri optimi, mihiq; amicissimi uoluntati. Res loquitur ipsa, eruditorũ coniunctionem, cõcordiam, & consensum in tradendis & adiuuandis artibus, inprimis salutarem esse rebus humanis. Quare has scholasticas amicitias, quantũ possum, omni officij genere tueri cupio, easq; ad Rempub. pertinere censeo:

τὶτλε μὰν τὶτλιγι φίλοϑ, μύρμακι ἢ μύρμηξ.

inquit Poeta. O beatas Respub. O fœlicem Ecclesiam, si firmus esset literatorum consensus in rebus bonis & uera concordia. Quis enim non uidet uitam præcipue regi literis, & literatorum iudicijs? Sed hæc aliàs. Deinde si existimat Micyllus meam adhortationem ad excitanda studia aliquorum nonnihil prodesse, non decuit me hanc operam defugere. Constat autem, multas esse

grauissimas causas, propter quas iuuentus ad Prosodiæ studium assuefacienda est. Primum enim cum inscitia Grammaticæ, omnes artes, religionem ac leges, ingentibus tenebris obruat, diligenter in tota Grammatica elaborandum est. Pertinent autem ad Grammaticam non modo recta pronunciatio quæ in scholis traditur, sed etiam uerborum delectus, & figuratum cognitio, quibus duabus rebus opus est omnibus, non modo ad recte dicendum, sed etiam ad intelligenda aliorum scripta. Etiamsi nihil compones ipse, tamē ut intelligas eruditorum scripta, legendi sunt Poetę, ut ex illorum exemplis discas iudicare de ratione loquendi, & de figuris. Ridicule totos Prophetas & Psalmos contaminarunt ante hoc tempus interpretes, ac etiamnum Iudæi elegantissimas figuras turpiter corrumpunt in Psalmis, nō aliam ob causam, nisi quia puerili doctrina non sunt exculti, nec agnoscunt figuras & ornamenta in illis concionibus & carminibus. Exemplo est totus Psalmus 67. cuius initium est: Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius. Quantū figurarum est in breui Psalmo: Nisi Dominus ædificauerit. Vbi cum proposuit Propheta, irritos esse labores humanos, nisi à Deo adiuuentur ac prouehantur, sequitur antithesis de curis & conatibus humanis, qui non adiuuantur diuinitus, In quibus pingitur hypotiposi paterfamiliàs sollicitus, qui mane ante auroram surgit, qui sero it cubitum, & interdiu labore exercetur, & cruciatur cura, & assiduis operis conficitur. Hæc ibi figurate dicuntur, nec obscura est sententia agnoscenti figuram: Sunt enim Psalmi plerię similes epigrammatum, in quibus proposita aliqua sententia, deinde accedunt amplificationes, sumptę ex usitatis præceptis. Ita

& in hoc

& in hoc Psalmo secundus uersiculus pingit irritos labo tes. Et fit illustrior uersiculus, cũ transfertur exemplum patrisfamiliàs ad cęteras personas, ad Principes infœli ces, ad Respub. ad gubernatores. Quanta erat Darij sol licitudo? quanti apparatus contra Alexandrum? Et ta men non respondebant successus. Deinde additur alte ra pars antithesis: Fœlix est labor, cum diuinitus adiuua tur, hoc est, quod ait: Dat dilectis ita, ut habeant inter ualla ad quietem, & animos tranquillos. ut Dauidi, Ale xandro, Scipioni, uictoriæ contigerunt. Subijcit perso nas, ut significet quomodo Deus det successus, cum ui delicet ipse creat, duces, gubernatores, Doctores ido neos. Filij, id est, tales uiri idonei ad res gerendas, diuini tus donantur. Cum instauraret Deus Rempub. Roma nam, dedit Scipionem, dedit Augustum. Cum regnum Iudaicum instauraret, dedit Ezechiam, Esaiam, & simi les uiros. Hi sunt similes sagittis, contortis ualida ma nu, quæ feriunt omnia, & prosternunt quæ petunt. An non Alexander, Cæsar, ut sagitta ingenti impetu contor ta, uolitant per orbem terrarum? Omnia eis cedunt, omnia prona sunt. Ita hæc sagitta imago est uirorum he roicorum, omnis generis ducum, gubernatorum, Do ctorum, addo etiam patrisfamiliàs fortunati, animad uertentis omnia fieri illustriora, uere intellecta figura. Iam circumspice animo duces nostri temporis, guber natores ciuitatũ, Doctores, q̃ multas sagittas reperias? Plumę sunt nostri duces, qui cum Turcis dimicarunt nu per in Pannonijs, non sunt sagittæ, nõ fulmina, ut erant Dauid, Alexander, Scipio, Cæsar, & similes heroici uiri. Quid quod imago sagittæ contortę, etiam significat suc cessus illos non contingere ociosis & ignauis. Requirit

igitur acerrimos labores. Alij ignauia nihil gerunt, aut metu, ut Cassius occurrens Cæsari. Alij etiam uehementer conantur, tamen præposteris consilijs corrumpunt negocia, ut Pompeius, Cato, & hoc tẽpore multi. Sed heroici uiri recte instituunt negocia, nec susceptos labores in medio cursu remittunt, nec tempora & occasiones oblatas elabi sibi patiuntur. Non abducuntur ab instituto intempestiuis uoluptatibus, ut Antonius imparatus oppressus est, dum agitat conuiuia cum sua Cleopatra, & negligenter parat bellum. Polybius citat de Aeacidis Hesiodi uersum:

ἀιάκιδ' αι πολεμῶ κεχαρηότες ἠεγε δαιτί.

Cum enim sint in animis heroicis acerrimi ad uirtutem stimuli, nõ uoluptatibus ullis magis delectantur, quàm ipsa uirtute. Quare ingenti impetu rapiuntur ad res præclaras gerendas, non conuiuijs, non amoribus, non segnitia reuocantur à rebus necessarijs. Postremo addit epiphonema, Beatas esse Ecclesias & Respub. ubi tales uiri præsunt, quales supra descripsit, quos Deus adiuuat, quibus indidit ardentes motus, quorum consilia gubernat & prouehit. Vocat pharetram talem cœtum gubernantium: Non confundetur, cum loquetur cum inimicis in porta, id est, in curia, in certaminibus ciuilibus & alijs: nam olim in portis exercebantur iudicia. Recitaui totum Psalmum, in quo cum tam multæ ac uariæ insint figuræ, non possunt eum dextre enarrare interpretes, qui non attigerunt poemata: Ac talibus figuris plenæ sunt sacræ literæ. Quantum uolumen texi posset, si etiam ex alijs artibus adijcerem exempla, ubi inscitia Grammatices offudit nebulas. Sciant igitur adolescentes omnibus studiosis opus esse poematũ cognitione, ad iudi-

ad iudicandum de ornamentis orationis. Deinde si qui à natura adiuuantur, illis prodest etiam uersus componere: in scribendo carmine magis sentient quid sit imitatio, magis perspicient in uerborum delectu. Quid quod magnam uoluptatē hæc Musica adfert bonis ingenijs, numeris & concinnitate quadam illustrare eruditas sententias. Postremo alunt Poetæ etiam rerum scientiam. Porro neq; amare, nec intelligere Poetas possunt illi, qui sunt rudes Philosophiæ. Quare cum Poetarum cognitio necessaria sit, etiam Metricam diligenter discendam esse iuuenes sciant. Illud quoq; uelim persuasissimum esse omnibus, quod est uerissimum, non posse conseruari facultatem rectæ scribendæ solutæ orationis, nisi exercitatio faciendorū uersuū conseruetur, propterea quod uersus magis ad imitationem adolescentes adsuefacit. Nemo autem sine cura imitationis recte loqui poterit. Hæc breuiter præfatus sum, non solum ut amico morem gererē, sed quia uere, & ex animo ita sentio, nec dubito idem sentire omnes mediocriter literatos, magno pere opus esse cognitione poematum ijs, qui hunc fructum ex studijs petunt, qui præcipue petendus est, ut recte iudicent de alienis scriptis, & ut possint tolerabili genere sermonis cognitiones suas explicare. Has duas artes necessarias esse in uita, nemo non uidet. Proinde adhortor adolescentes, ut hoc studium ament, ut se ad uersiculos faciendos assuefaciant. Ad hanc exercitationem plurimum proderit hic Micylli liber: Nemo enim Latine scripsit Prosodiam eruditius aut diligentius. Bene uale Lector. 11. Augusti,

Ad Ado-

AD ADOLESCENTES EPIGRAMMA Philippi Melanthonis.

SI decus Ausoniæ linguæ retinere studetis,
Si cupitis recte uerba Latina loqui,
Cura sit, à teneris uatũ cognoscere scripta,
Eloquij fontes hos sciat esse puer.
Horum pectoribus motus Deus indidit acres,
Sublimemq; dedit Musa canora sonum.
Verum non satis est legisse poëmata tantum,
Accedat studijs altera cura tuis,
Vt doctis digitis exempla effingere certes,
Cogere & in numeros uerba soluta nouos.
Hic labor ingenij uires acuitq;, fouetq;,
Hinc uenit eloquij copia, forma, nitor.
Hoc si languescet studium, si ignara iuuentus
Non perferre uolet tædia longa styli,
Hei mihi, quæ clades, reliquas iterum obruet artes?
Barbaries tenebras inuehet atra nouas.
Ad uates igitur docilis reuocanda iuuentus,
Hinc sibi sermonis lumina clara trahat.
Et quanquam oblectent, muneriq; soniq; legentem,
Rerum animos grauitas plus tamen ipsa capit.
Naturam rerum totam pinxere Poetæ,
Et morum quæ sit norma sequenda, docent.
Hi monstrauerunt cœli fastigia primum
Non mergenda mari quæ cynosura notat.
Vt teneant metas errantia sydera certas,
Signifero Phœbi quæ sit in orbe uia.
Tardior æstiuo cur Phœbus in axe uehatur,
Cum superat noctis tempora longa dies.

Brumaq;

Bruma q; cur noctes extendant frigida, quando
Ima tenet celeres orbita solis equos.
Lumine cur careat, cum soli proxima luna est,
Et medio fratrem cur tegat ipsa die.
Vt lunam inuoluat tellus ingentibus umbris,
Et uetet opposito lumine posse frui.
Quasq; uices seruent orientia sydera cœlo,
Et quo discedant ordine, mersa mari.
Quæ stellæ diros moueant urantq; cometas,
Ac flammis istis suppetat unde uapor.
Nec causas recitant tantum, sed fata Poetæ
Describunt, fieri nec temere ista monent.
Esse Deum uerum autorem testantur, & istum
Mentibus humanis hæc dare signa ferunt,
Cui non res libeat studiose inquirere tantas,
Dura nisi si cui est mens adamante magis?
Has complectuntur uatum monumenta bonorum
Quantum ipsas homini cernere posse datur.
Ergo dexteritas, & docti cura Micylli,
Ad Musas lector cum tibi monstrat iter,
Hoc duce, Parnassi celsas ascendito rupes,
Et tua doctrinæ fontibus ora riga.

τέλος

PRAEFATIO PHILIPPI MELANthonis in Syntaxin.

PHILIPPVS MELANTHON IVSTO Ionæ, filio Clariſſimi uiri Iuſti Ionę Doctoris, S. D.

MAgna ſimilitudo eſt legum atq; artiũ, ac ſi uere iudicare uolumus, leges ſunt haud dubie ars quædam regendorum morum & conſiliorum uitæ. Quis autem non uidet, quàm impatienter ferant legum uincula, homines nõ ſatis inſtituti et aſſuefacti: quàm indignentur ac fremant uelut carcere, legum minis incluſas cupiditates coherceri? Sicut & apud Platonem Gorgias, & ſi non recte iudicat, inquit, legem cum natura pugnare. Hæc contumacia in iuuentute magis conſpici poteſt, & in barbaris gentibus, quo quæq; eſt ferocior, eo minus habet legum & diſciplinę, & plus ſibi ſumit licentię. Sicut autem affecti ſunt animi agreſtiores erga leges, ita uidemus plerunq; adoleſcentes, & alios rigidioribus naturis præditos, erga artes affectos eſſe. Etiam cũ diſcunt literas, linguas, hiſtorias, religiones, leges, remedia, tamen à præceptis artium ipſarum abhorrent, hæc uincula ſibi iniici non patiuntur, ſed quadam barbarica libertate uagantur in doctrinarũ campis, & decerpũt paſſim quantum delectat, artes ipſas neq; ordine, neq; integre diſcunt. Nec uero ullo in genere perfecta doctrina comparari poteſt, hac confuſanea diſcendi ratione. Atq; hic maxime reprehendendi ſunt quidam, qui pueris ipſis odium præceptionũ inſtillant, qui ſicut milites illiterati Gallice

Gallice inter Gallos discunt, ita sperant pueros fore Grammaticos, sine arte, utcunq; colloquentes cum autoribus. Vt autem uulgus gaudet legum habenas laxati, ita pueris hæc σεσάχθαι duplici nomine grata est: Nam & onere discendi argutias odiosas illi ætati, leuantur, & sibi libertatem concedi putant, ne ad præscriptũ loquantur. Sed hæc indulgentia etiamsi est popularis, tamen est admodum pernicioſa. Postquam enim desijt uernaculus usus linguę Latinę, nemo certam loquendi rationem sine regulis consequi potest. Itaq; qui præceptiones non didicerunt, paulo post uel erroris sui, uel ignauię pœnas dant. Postquam enim adoleuerunt, conscij sibi insciticę suę, nec loqui, nec scribere Latine audent, quare alij desperatione quadam in totum abijciunt literas, alij etiamsi commorantur in studijs, tamen iustos fructus ex eis percipere non possunt, quorum utrunque multis modis nocet Reipublicę. Sedent enim ad gubernacula iudicaturi de religionibus, de iure ac iusticia, de artibus, sine ulla perfecta doctrina. Ne intelligere quidẽ proprie ea, quæ à doctis citantur, possunt. Vt igitur popularitas & mollicies in soluendis legibus præcipua est imperiorum pestis, ita religione prę ceptionum animos liberari, nequaquam est utile publicis studijs. Et hanc puerilem consuetudinem animaduerto in posterũ nocere. Postquam semel induerunt contemptum præceptionum in Grammaticis, adferunt deinde similem negligentiam ad cęteras maiores artes, quarum cum leges aspernentur, non solidam doctrinam, sed quandam doctrinę umbram ex illis auferunt: Non enim earũ initia, & seriem ordine cognoscunt, sed fortuito quędam inde sumunt, quę ad ostentationem, aut mediocrem usum

conducere uidentur. Et quia cognatio est legum atq; artium, elabitur animis assuefactis ad contemnendas præceptiones, reuerentia legum, quæ priuatos & publicos mores gubernant. Ita negligentia in re, ut initio uidetur, leui, parit ingens malum. Nam in instituendis ad uirtutem hominibus præcipue hac diligentia opus est, ut animis inseratur reuerentia erga leges, ut ueras, & necessarias uitæ esse ducant, nec priuato arbitrio, sed ad illarum præscriptum mores regendos esse sentiant, sicut Cyrus puer uenustissime admonetur, iusta esse ducēda, non quæ ipsi æqua uideantur, sed quæ legibus constituta sunt. Cum enim puer grandiusculus indutus breui tunica, alteri minori, uestem longiorem ademisset, data illi breuiore tunica, quę quadrabat ad modum corporis illius & res ad Cyrum iudicem deferretur, pronunciat Cyrus, ut quisque uestem suo corpori aptam teneat: Id enim puerili quadam opinione commodum & æquū esse arbitrabatur. Sed postea Pędagogus retractata sententia dat plagas Cyro, & monet iusta esse, non quæ ipsi uideantur commoda, sed quę legibus sancita sunt: pręcipua autem lex est, ut suum quisq; teneat, ne in aliorum fortunas quisquam impetum faciat. Ita significauit ille Cyri Magister, assuefaciendos esse animos, ut nostris opinionibus & cupiditatibus longe anteferamus legū autoritatem. Quare ἀθηκὸν quiddam fuerit, teneram ætatem flectere ad amandas præceptiones, ut existimet uirtutem esse, frenare ingenium, & ad prędscriptum cum loqui, tum agere omnia: Illud enim constat, prędceptionum contemptu in ferociorib⁹ ingenijs ualde confirmari Cyclopicam audaciam. Et adolescentes ipsos admoneo, ut si qué uiderint æqualium inimicū artibus ac

præceptis

præceptis, hanc ut existiment notam esse, naturę immoderatam libertatem concupiscentis, & legum repagula effracturę. Nullum autem monstrum perinde tetrum cogitari potest, ut talis natura impatiens legum & disciplinę, seditiosa, ac tyrannica. Hæc in genere præfari uolui de præceptionibus amandis, quæ esse uerissima omnes prudentes uiri testabuntur, & animaduerti facile possunt, si quis ingeniorum naturas considerauerit. Est autem quædam ad mores & ad multas res necessaria diligentia, diuersitatem ingeniorum obseruare. Et si igitur in artibus discendis, non satis est, præcepta audire, sed adiungi oportet exempla, imitationem, & exercitationem, tamen hoc persuasissimum sit omnibus, uim magnam atq; utilitatem esse præceptionum. Porro ut hoc loco tantum de hac parte Grammatices dicam, ingens utilitas est, tenere certam loquendi rationem, & de natura sermonis recte iudicare posse. Errant autem tota uia, & toto cœlo, si qui putant hæc sine præceptis quenquam consequi posse. Idq; fateri res ipsa tandem cogit eos, qui omissis præceptis, ex sola autorum lectione, iungere uerba didicerunt. Deinde etiamsi ad quotidianum colloquium satis formularum suppeditat lectio, quid facient, si longior causa explicanda erit, quomodo compositionem illam periodorum, & totam seriem membrorum in oratione intelligent, nisi omnem rationem Syntaxeos probe cognouerint? Postremo obscuras aut uitiosas Syntaxes quomodo iudicabunt, nisi adhibitis regulis? Nam si tantum exempla quærent, quoties occurrent uitiosa, quorum pleraq; à recte dictis nõ possunt sine regula discerni? Porro etiam doctos homines interdum obscuritas, aut nouitas in Syntaxi fallit.

Nam ut ex sacris literis exempla petamus, extat in priore Epistola ad Timotheũ gnome Pauli: Saluatur mulier per filiorum generationem, si manserint in fide, dilectione, castitate, & temperantia. Hic multos fefellit numeri mutatio, si manserint. ideoq; disputant, quid uelit Paulus, an mater alioqui pia, si filij abiecerint fidem, peritura sit ipsa quoq;. His intempestiuis quæstionibus nihil opus esse sagax Grammaticus facile intelliget: ut enim dicimus: Turba ruunt. ita hic de sexu loquitur, si manserint, scilicet, sexus muliebris. Explicata Syntaxi, postea cernes in hac gnome, non absurdas aut hyperbolicas sententias contineri, sed doctrinam de rebus maximis, utilissimam, minimeq; absurdam. Quæ enim concio proponi grauior & eruditior potest, quàm hæc: Vt in saluandis existere fidem, & fidei fructus, officia suæ cuiusq; uocationis oportet, ita hic Paulus complectitur summam doctrinæ de salute coniugum hoc dicto: requirit fidem, & uocationis opera, scilicet, officia coniugalia, & castitatem. Iam quæ consolatio dulcior pijs in cõiugio esse potest, quàm quod audiunt hic officia coniugalia non improbari, aut inter uitia recenseri, sed præstantissimis uirtutibus annumerari, quas Deus approbat, & quæ existunt in saluandis. Hæc sententia pios præclare munit contra superstitionem. Hæc utilis doctrina tota iacet obruta densissima caligine, si quis ignoret Grammaticam rationem Syntaxeos. Itaq; hic prodigiosas ineptias Thomas comminiscitur. Exigua laus esse ducitur, non falli in Grammatica, sed tamen utilitas est ampliſſima. Accidit enim hic quoq; ut sit, quemadmodum dicitur: ἀρχὴ ἥμισυ παντὸς. Animaduersa enim Grammatica sententia, postea mediocriter doctus uidere

potest

poteſt, ad quos locos dictum accõmodari debeat. Hic ſi errata Syntaxeos in ſacris libris uelim recitare, nimis prolixus catalogus futurus eſſet. Annotaui autem unum atq; alterum: Primum, ut uideant adoleſcentes, quàm neceſſaria ſint ad ueras ſententias patefaciendas præcepta de Syntaxi: Deinde, ut his admoniti exemplis, ſint in loquendo & iudicando diligentiores. In Euangelio Ioannis cap. 8. legitur: τὴν ἀρχὴν ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν. Hic fefellit & interpretem & Auguſtinum figura conſtructionis. Nam τὴν ἀρχὴν ponitur aduerbialiter pro particula prorſus, ſeu primum. Cum enim illi interrogaſſent Chriſtum, quis eſſet, reſpondit: Prorſus is ſum, quem me eſſe dico, quem me eſſe profiteor. Hæc interpretatio perſpicua eſt. At alij male intellecta particula τὴν ἀρχὴν, legerunt: Principiũ quod & loquor uobis. ac diſputant, quare Chriſtus ſe nominet principiũ. Hæc etiamſi non ſunt abſurda, tamen hoc quidem loco intempeſtiua ſunt, & offundunt caliginem reliquo ſermoni. In Pſalmo legitur: Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis, à templo tuo &c. Quantum accedet lucis & gratiæ, ſi recte reddatur figura conſtructionis: Confirma hoc Deus quod operatus es, propter templum tuum. Orat enim, ut Deus gubernet, adiuuet, & confirmet pios, ut propagare doctrinam poſſint, idq; orat fieri propter templum ipſius, id eſt, ut Euangelium ubiq; illuceſcat, ut gloria Dei ornetur, & uera Eccleſia creſcat. Quàm dulcis uerſiculus eſt in alio Pſalmo: In conueniendo populos in unum, & Reges, ut ſeruiant Domino. Hic Grammatici de conſtructione rixantur, cum ſit forma orationis contra Latinam conſuetudinem ex Græco expreſſa; Cum conueniunt populi ſimul & Reges

Reges, ut seruiant Domino. Multa enim complectitur: Pingit in Ecclesia cõcordiam, Testatur etiam ad Reges Euangelium pertinere, & hanc curam Regum esse debere, ut populos ad pietatem inuitent, deniq; propter hũc finem homines ad societatem esse conditos, imperia constituta esse, populos, hoc est, cœtus consociatos esse, & Reges præpositos, ut ornent gloriam Dei. Hunc finem omnes cœtus hominum in imperijs, ciuitatibus, familijs, scholis expetere debẽt. Monet igitur Reges, Principes, ciuitates, Doctores, patresfamilias, ut cogitẽt hoc præcipuum esse officium suum, ut puram doctrinam ad gloriam Dei conseruare & propagare, & Deo obedire studeant. In his exemplis uident adolescentes, monstrata Syntaxi, sententias nõ modo illustriores, sed etiã dulciores reddi studiosis. Multas enim magnas res antea inuolutas, Syntaxis profert & exponit. Scio esse puerile studium, et negocium uideri leue, sed mihi credant adolescentes, nõ minus prodesse generi humano Grammaticen, ac præcipue hanc partem, quæ est absolutio Grammatices, quàm pleraſq; alias artes aut professiones, & si de earum dignitate nihil detraho. Magna utilitas & magna laus est architectonicæ, quæ non modo domicilia nobis condidit, sed etiam rationem muniendi magnos cœtus ostendit, quæ machinas omnis generis utilissimas, molas, naues, portus, aquæductus fabricat. Assentior magnam esse harum rerum utilitatem, sed non minor est utilitas Grammatices. Hæc religionum, legum, historiarum, & multarum artium quasi nutricula quædam est. Ideo non solum adhortor adolescentes, sed propter gloriam Dei obtestor, ut diligentiam in discendo adhibeant, quam primum Deo, Ecclesiæ, & Reipub.

debent

debent, deinde quam flagitant parentes, quorum iudicijs obtemperare eos Deus iussit. Hę causę discendi inculcandę sunt adolescentibus, ut sciant sua studia pertinere ad Ecclesiam & Rempublicam. Nisi Grammaticen recte didicerint, non poterunt cęteras artes Ecclesię & Rei pub. necessarias tueri. Nec nostra opera deesse his studijs debet. Ideo cũ uiderem hunc libellum in manibus esse puerorum, fui autor uiro docto Vito Vuinsemio, ut eum augeret, deesse enim aliquas pueriles regulas animaduerteram. Prodit igitur locupletatus nõ modo pręceptis, sed etiam exemplis, quorum imitatio ad phrasin conducit. Hortantur autem te domestica exempla ad has artes amandas, quę ad recte dicendũ necessarię sunt. Es enim natus in oratoria familia, Nam auum tuum audimus summam autoritatem propter eloquentiam, & ciuilem prudentiam in patria consecutum esse, qui, ut illa tempora ferebant, non indoctus fuit, sed studiosus in primis ne deessent in oratione nerui. Pater uero, & si tantum natura ualet, ut nullius ingenium cognouerim ad eloquentiam aptius, tanta est ubertas, tantus splendor in eius oratione, quę naturę bona sunt, tamen illam naturę fœlicitatem magna doctrinę copia etiam instruxit.

Horum te accendi exemplis conuenit, ut possessionem huius laudis in familia retineas. Bene uale.

PRAEFATIO PHILIPPI MELANthonis in Micylli Grammaticam.

HONESTO VIRO CHRISTIANO Egenolpho, Typographo Francofordiensi, Philippus Melanthon S. D.

CVm uiderem uersari passim in manibus puerorũ libellum à me quondam ad usum Ebneri adolescentis, de Grammaticæ elementis collectum, sæpe optaui, ut eruditus aliquis ac prudens censor eum emendaret, & quædam adiiceret à me non recte prætermissa, aut certe ut æderet Grammaticen aptiorem & utiliorem pueris. Quanquam enim extant Grammatici libri multorum, tamen pleriq; propter prolixitatem negliguntur. Valde autem probo Micylli eruditionem ac iudicium, & uideo eum ea uirtute præditum esse, ut scholasticas operas non fastidiat. Quare cum eum propter ingenij elegantiam, & multiplicem eruditionem ac mores optimos amem & suspiciam, profecto ob hanc causam plutis etiã facio, quod non grauatim confert operam ad iuuanda puerilia studia, cum alia posset scribere paritura ei plus admirationis apud exteros. Eaq; in re & iudicium ipsius & uoluntatẽ sentio laudandam esse. Videt quid conducat publicis studijs, & est iusticia nostri ordinis, hanc militiam non defugere, ac iuuare discentes.

Cum igitur hanc Micylli uoluntatem nossem, & scirem singularẽ eius in iudicando prudentiam esse, oraui eum ut

cum ut emendaret hunc Grammaticum libellum, qui meo titulo circumfertur: Etiam si mihi plus ocij esset, tamen anteferrem Micylli censuram meę. Sciunt autem multi, quæ mihi, non dicam occupationes, sed planè ærumnę, scholastica negocia, quę & amo & facio plurimi, sæpe de manibus excutiant. Gaudeo igitur mi Egenolphe, Micyllum hanc emendationem instituisse, ac adolescentes adhortor, ut & Micyllo & tibi agant gratias. In mea prima æditione quædam desiderabantur. Quanquam autem adĳci illa prodest, tamē modus adhibendus est in locupletandis præceptis, ne deterreantur adolescentes prolixitate. Sed hanc totam rem cum prudentię tum fidei Micylli committo, qui quidem hūc laborem & Deo gratum esse existimet. Quantum enim refert Ecclesię Christi, recte institui pueros in Grammaticis? Cum doctrinę cœlestis puritas conseruari sine literis non possit, cum multę controuersię maximarum rerum ex phrasi iudicandę sint, cū ad explicationem opus sit habere in promptu ac numerato proprĳ sermonis copiam, quid erit in Ecclesia Doctor sine Grāmatica aliud, nisi aut κωφὸν πρόσωπον, aut impudentissimus rabula? Ac ne amare quidē sacras literas possunt, qui genus sermonis non intelligunt. Verissimū enim illud est, quod dicitur: Ignoti nulla cupido. Qualis autem ille erit in Ecclesia Doctor, qui nec amat, nec intelligit, nec enarrate doctrinā cœlestem potest? Satis graues pœnas olim dedit orbis contemptæ Grammatices, cum Monachi non germanas sententias, sed adulterinas scholis & populo proponebant. Et tamen magna tunc frequentia fuit discentium, & aliqua studia fuisse constat, sed depraua ta. Quid esset recte loqui, pauci uidebant, multo pau-

ciores iudicare phrasin poterant. Nunc in tanta discentium paucitate, quales tenebrę futuræ sunt, si illi ipsi, qui doctrinę custodes esse debebunt, non recte fuerint instituti? Quare Principes inter cæteras curas publicas complecti etiam studiorum conseruationem debebant. Sed q̃ paucos hęc cura tangat, res loquitur ipsa. Ideo opto, ut ciuitates hoc tantum ornamentum Ecclesię & totius uitę tueri & conseruare conentur. Si agnoscant hi, qui præsunt ciuitatibus, se in restitutione religionis ac depulsione horribilium errorum & εἰδωλομανίας, adiutos esse literis & eruditione, uicissim meminerint se hanc gratiã eis debere, ut eas ab interitu uindicent. Cogitent quęso, qualis barbaries ciuitatum futura sit, si uelut in Scythia, nemo literas sciet: si deerunt, qui de religione erudite alios doceant, qui errantibus ciuibus consilium dare queant. Non nego magna ornamenta esse ciuitatum, quę ferè sola nunc expetuntur, opes, fundos, arces, frumentum, arma: sed profecto, hęc neq; sola, neq; præcipua bona sunt. Coierunt cœtus, & iure consociati cinxerunt se mœnibus, quam ob causam? Hęc uera & præcipua causa est, propter quam ad societatẽ homines conditi sunt, ut alij alios de Dei uoluntate & de cæteris rebus bonis doceant. Præclare igitur Stigellius:

Post ubi senserunt se semina ducere cœlo,
Atq; aliquem, mundum qui regat, esse Deum,
Tunc primum amplexi iuncti consortia cœtus,
Tegmina uicinis composuere casis.
Vtq; alios alij de relligione docerent,
Contiguas pietas iussit habere domos.
Hinc urbes structę, quarum est ante omnia munus,
Adseruisse Deo, quam iubet esse, fidem.

Luceat

Luceat ergo in ciuitatibus uera Dei noticia, celebretur gloria Dei, gaudeant Politiæ se esse domicilia Ecclesiæ. Sed ut hoc uerũ decus tueantur, omnino opus est scholis ac literis, quas qui negligunt in ciuitatibus, non politici uiri, etiamsi sunt industrij, sed Cyclopes strenui ducendi sunt, quorum est immanis oratio apud poetam:

Sed non Cyclopes numen cœleste uerentur.

Verum quò delabor? Omnes igitur pij & amantes Dei ardentibus uotis orent Deum, ne extingui studia literarum sinat: Deinde suo quisque loco iuuet discentes. Ipsa etiam adolescentia meminerit se præcipuam esse partẽ Ecclesiæ, ut Christus inquit: Sinite paruulos uenire ad me. ac cogitet suas operas in discendo pertinere ad communem omnium salutem, & ad gloriam Dei: Nam reliqua ętatis studia imitantur hoc tyrocinium. Qui non recte Grammaticen didicerunt, postea cęteras disciplinas audaciſſimè corrumpunt. Apparet enim & hic, uere principium dimidium totius esse. Vt in tenebris colores discerni nequaquam possunt, ita sine Grammatica iudicari de sermone in cęteris artibus nullo modo potest. Quàm multa possem turpia errata, quę magnã ruinam in Ecclesia, & gubernatione uitę traxerunt, tantum ex inscitia Grammatices orta recensere? Quare exuscitanda est adolescentia, ut propter publicam necessitatem literas & amet ardentius, & discat impetu & cura maiore. Quod si facient, sciant se esse plantulas, ut ait Esaias, satas ad glorificandum Deum, & expectent à Deo ingentia laboris ac sedulitatis suę prędmia. Bene uale mi Christiane, & Christo strenuè seruito in iuuanda re literaria. Vuitebergę, Anno

1540.

PRAEFATIO IN HARMONIAS de Passione Christi.

NOn dubium est Musicam generi humano præcipue datam esse sacrorum causa, primum, ut cantu, tanquam literis conseruarentur & propagarentur oracula diuinitus tradita: durabilior est enim numerorum & carminum memoria. Deinde ut rectę sententiæ magis penetrarent in animos, & ferirent ac mouerent hominũ pectora uehementius. Est enim quædam animę cum numeris & harmonia mirabilis cognatio, qua fit, ut aui de accipiant animi harmonias, & earum uarietati respondeant uarij motus in nobis. Sentiuntur hæc non obscure, & si ratio, cur fiant, non perspicitur, sed harmonicũ quiddam est anima & natura percipiens atque amans numeros atque harmoniam: ex quibus duobus existit ordinis cognitio, quo nihil est in omnibus rebus & in moribus pulchrius, quo animaduerso, mens traducitur ad agnitionem Dei. Verum ut hanc disputationẽ de causis omittamus, illud minime dubium est, Musicen in sacris ritibus semper adhibitam esse, ut uel tranquilliores redderet animos, & ad cogitationem rerum diuinarum aptiores, uel alios excitaret motus, ijs sententijs, quæ proponebantur, congruentes. Eamq; ad rem ueterum consuetudo maxime profuit, qui ad cantum, ad fides, adiungebant uerba, ut simul perferrẽtur ad aures atq; animos hominũ sententię sonis conuenientes. Hæc harmonia ciet ardentes motus in animis. Vt igitur cætera Christi dicta, facta, aut beneficia cantu celebrate prodest, ita maxime ad historiam mortis eius adhibenda

benda est Musica. Maxime laudatur in Ecclesia cogitatio de morte Christi, nec uero utilius quidquam est ad excitandam pietatem, q̃ illius admirandi operis consideratio. In hac imagine cernimus infinitam esse misericordiam Dei erga nos, eo quod Filium pro nobis uictimam fieri uoluit. Testatur & illud, uere se & horribiliter irasci peccato, cum non alia uictima, nõ alijs officijs placari uoluerit, nisi Filij morte. Itaq; ad castigandam securitatem in mentibus hominum, hæc ipsa historia efficacissima est. Cuius est enim tam ferreus animus, ut non moueatur, si uideat tam horrendas pœnas solui pro peccato, si cogitet Deum adeo execrari peccatum, ut nulla uictima, nisi sanguine Filij reconciliari potuerit? Deinde innumerabiles utilitates alias adfert cogitatio huius historiæ. Quid magis mirantur ac fremunt omnium hominum intimi sensus, quàm qui fiat, ut hæc imbecillis natura hominum tantis calamitatibus onerata sit? Nec Philosophia, nec ulla sapientia inuenire causam potest. Casu, & contra ordinem ratio hoc accidere iudicat. Sed in hac imagine Christi, intelligimus causam, ac uidemus non temere, non casu, genus humanum tantis ærumnis obnoxium esse. Et cum in hac historia contemplati fuerimus ingentem iram Dei aduersus peccatum, misericordiam Dei erga nos, quos Filij morte placatus liberat ab æternis malis, tum cõsiderabimus causam calamitatũ humanarũ. Deinde multa uirtutũ exempla hic proponuntur, quę recitare longum est. Quare optimo consilio in Ecclesia institutũ est, ut & statis temporibus integra historia publice legatur, & aliàs crebro repetatur. Id exemplũ imitari pij omnes in domesticis exercitijs debent. Hic igitur ædidit uir optimus Gregorius

Rhau

Rhau harmonias, iudicio delectas, ut interdum cantus adhibeatur ad excitandos animos. His ut studiosi, præsertim in hoc argumento ad pietatem utilissimo, adhibeantur, utantur, magnopere eos adhortor. Quę enim Musica pijs & bonis mentibus iucundior esse potest, ꝙ quæ nō modo aures demulcet, sed simul pectoris fibras tanquam chordas tangit, & motus ciet diuinos in animis, ac mentes ad agnitionem Dei rapit? Hic pręcipuus initio fuit Musicę usus, ad hunc finem cum diuinitus tradita sit, est pię mentis libenter eam hoc modo transferre, ut cantuum harmoniæ respondeat illa uiua in animis harmonia & piorum adfectuum concinnitas. Bene uale Christiane Lector.

ALIA MARTINI LVTHERI.

SAlutem in Christo. Vellem certe ex animo laudatum, & omnibus commendatū esse donum illud diuinum & excellentissimū Musicam. Sed ita obruor multitudine & magnitudine uirtutis & bonitatis eius, ut neq; initium, neq; finem, neq; modum orationis inuenire queam, & cogar in summa copia laudum, ieiunus & inops esse laudator. Quis enim omnia complectatur? Atq; si uelis omnia complecti, nihil complexus uideare.

Primum

Primum si rem ipsam spectes, inuenies Musicam esse ab initio mundi inditam seu concretam creaturis uniuersis singulis & omnibus. Nihil enim est sine sono, seu numero sonoro, ita ut & aer ipse per sese inuisibilis & impalpabilis, omnibus sensibus imperceptibilis, minimeq; omnium Musicus, sed plane mutus & nihil reputatus, tamen motus sit sonorus & audibilis, tunc etiam palpabilis, mirabilia in hoc significante spiritu mysteria, de quibus hic non est locus dicendi. Sed mirabilior est Musica in animantibus, præsertim uolucribus, ut musicissimus ille Rex & diuinus Psaltes Dauid cum ingenti stupore & exultante spiritu, prædicit mirabilem illam uolucrũ peritiam & certitudinem canendi, dicens Psalmo centesimo tertio: Super ea uolucres cœli habitant, de medio ramorum dant uoces. Verum ad humanam uocem, omnia sunt prope inmusica, tanta est optimi Creatoris in hac re supereffusa & incomprehensibilis munificentia & sapientia. Sudarunt Philosophi, ut intelligerent hoc mirabile artificium uocis humanæ, quo modo tam leui motu linguæ, leuioriq; adhuc motu gutturis, pulsus aer, funderet illam infinitam uarietatẽ & articulationem uocis & uerborum pro arbitrio animęgubernantis tam potenter et uehementer, ut per tanta interualla locorum circulariter ab omnibus distincte non solum audiri, sed intelligi possit. Sed sudant tantum, nunquam inueniunt, & cum admiratione desinũt in stuporem: quin nulli adhuc reperti sunt, qui definire & statuere potuerunt, quid sit ille sibilus et alphabetum quoddam uocis humanæ, seu materia prima, nempe, tisus (de fletu nihil dicam) mirantur, sed non complectuntur. Verum hæc speculabilia de infinita sapientia

Dei, in hac una creatura relinquamus melioribus & otiosioribus, nos uix gustum attingimus.

De usu tantæ rei dicere hic oportuit. Sed & ille ipse sua infinita uarietate & utilitate longe superat omnium eloquentissimorum eloquentissimã eloquentiam. Hoc unũ possumus nunc afferre, quod experientia testis est, Musicam esse unam, quæ post uerbum Dei merito celebrari debeat, domina & gubernatrix affectuum humanorũ (de bestijs nunc tacendum est) quibus tamen ipsi homines, ceu à suis dominis, gubernantur, & sæpius rapiuntur. Hac laude Musicæ nulla maior potest à nobis concipi. Siue enim uelis tristes erigere, siue lætos terrere, desperantes animare, superbos frangere, amantes sedare, odientes mitigare, & quis omnes illos numeret dominos cordis humani, scilicet affectus et impetus seu spiritus, impulsores omniũ uel uirtutũ uel uitiorũ? Quid inuenias efficacius, quàm ipsam Musicam? Honorat eam ipse Spiritus sanctus, ceu sui proprij officij organum, dum in scripturis suis sanctis testatur, dona sua per eam Prophetis illabi, id est, omnium uirtutum affectus, ut in Eliseo uidere est: Rursum per eandem expelli Satanam, id est, omnium uitiorum impulsorem, ut in Saule Rege Israel monstratur. Vnde non frustra patres & Prophetæ, uerbo Dei nihil uoluerũt esse coniunctius, quàm Musicam: Inde enim tot cantica & Psalmi, in quibus simul agunt & sermo & uox in animos auditoris, dum in cæteris animantibus & corporibus sola Musica sine sermone gesticulatur. Deniq; homini soli præ cæteris, sermo uoci copulatus donatus est, ut sciret, se Deũ laudare oportere uerbo & Musica, scilicet, sonora prædicatione, & mixtis uerbis suaui melodię. Iam si comparationem

feceris

feceris inter ipsos homines, uidebis q̄ multiplex & uarius sit Creator gloriosus in donis Musicæ dispertitis, quantū differat homo ab homine in uoce & uerbo, ut alius alium mirabiliter excellat: negāt enim posse duos homines inueniri similis per oia uocis et loquelę, etiam si sępius imitati alij alios uideātur, uelut alij aliorū simię.

Vbi autem tandem accesserit studium, quo naturalem corrigat, excolat, & explicet, hic tandem gustare cum stupore licet (sed non comprehendere) absolutā & perfectam sapientiam Dei, in opere suo mirabili Musicę, in quo genere hoc excellit, q̄ una & eadē uoce canitur suo tenore pergēte, pluribus interim uocibus circumcirca mirabiliter laudentibus, exultantibus, et iucundissimis gestibus eandē ornantibus, & uelut iuxta eam diuinam quandā choreā ducentibus, ut ijs, qui saltē modice afficiuntur, nihil mirabilius hoc seculo extare uideatur: qui uero nō afficiūtur, nę illi uere amusi et digni sunt, qui aliquē Merdipoetā interim audiāt, uel porcorū Musicā.

Sed res est maior, q̄ ut hac breuitate utilitates eius describi queant. Tu iuuenis optime, cōmendatam hanc nobilem, salutarem, & lætam creaturam tibi habeas, qua & tuis affectibus interim medearis contra turpes libidines & prauas societates: Deinde assuescas in hac creatura, Creatorem agnoscere & laudare, & depraua-tos animos, qui hac pulcherrima & natura & arte abutuntur, ceu impudici Poetę, ad suos insanos amores, et summo studio caueto & uitato, certus q̄ diabolus eos rapiat contra naturā, ut quę hoc dono uult, et debet Deū solū laudare autorē: isti adulterini filij, rapina ex dono Dei facta, colunt eadem hostem Dei & aduersariū naturę & artis huius iucundissimę. Bene in Domino uale.

PLINIANAE PRAEFATIONIS IN libros de historia naturali Paraphrasis, per Philippum Melanthonem.



Vmme nuper familiarissime, ut ad te aliquid scriberem, hortatus sis, & meas esse aliquid nugas putes, non dubitaui ad te Tite Imperator, hosce Commentarios naturalis historię mittere. Quanquam enim in summo fastigio rerum collocatus, summos honores cum patre gesseris, tamen in maxima potestate, pristina moderatione ac facilitate erga omnes ita uteris, ut non minus facilitatem priuatim amare nos tuam cogis, q̃ illos tuos fasces, & imperij ornamenta publice colimus: nihil enim in te amplitudo fortunæ mutauit, nisi ut prodesse plus posses. Porro, tametsi me summa humanitas tua inuitarit, mihiq; animum addiderit ad te scribendi, tamen cum ingenij tui uim, & iudicij acrimoniam considero, uereor profecto subire censuram tuam. Nemo enim ullo genere ciuilium artium, & his eloquentiæ studijs te uincit, & in poetica summa cum fœlicitate uersaris, & maxima cum laude uidemus, inter uictrices hæderam tibi serpere lauros. Si non dedicassem tibi nominatim hoc opus, poteram excusari, si quid forte parum probasses, cum ista me scripsisse uulgo, & indoctis profiterer. Nam ut multi clari scriptores quosdam uetuerunt attingere suos libros. M. Cicero enim Persium, ait, & Lælium Decimũ nolo hæc legere. Idem apud Lucilium est. Ita te quoq; arcere poteram, ab his nugis minime ad tuum usum aut iudicium conscriptis.

Correctio.

Exaggeratio difficultatis.

Hæc

Hæc mihi patrocinia nuncupatione ademi, & cum propriè tibi hæc legenda exhibuerim, teq; censorem scripti mei fecerim, quantum, Diꝯ immortales, onus sustineo? Debeo enim satisfacere tuo iudicio, nonaliter atque qui inuitat hospitem, debet operam dare, ut adparatus illi placeat, & eius expectationi respondeat. Si casu fuerit oblatus hospes, non requiritur similis diligentia. Et in iudicijs qui sibi iudices non sortiuntur, sed eligunt, confidere debent illis potissimum se causam suam probaturos esse. Feciſſent temere candidati, cum Catonem iudicem de ambitu elegerunt, nisi sperabãt se illi satisfacturos esse. Qui quidem ideo accerrimum iudicem elegerunt, ut innocentiam suam populo declararent. Feciſſet temere L. Scipio, cum etiam inimicum iudicem elegit, nisi innocentia fretus, suam causam se illi probatum confisus esset. Itaque, cum ego te meorum scriptorum iudicem fecerim, iure temeritatis accuser, cum prẽstare non potuerim, ut tibi placerent. Neque uero solum iudicium tuum pertimesco, sed uereor etiam, ut Principe dignum opus uideatur. Sed cum Diꝯ quoq; patiantur eos qui thura non habent, lacte & salsa sibi mola supplicare, spero tibi quoque hoc munus non perinde splendidum, sed tamen optimo animo missum, nõ ingratũ fore. Libelli sunt inornati, nudas enim res totius naturæ in compendium congerere uolui. Neque licuit inserere iucundas narrationes, mirabiles casus aut orationes, et similes illecebras lectorũ. Multa sic aliena sunt, non à foro tantum, sed omnino ab urbe, ut ne nominate quidem, nisi rusticis uocabulis possimus, alicubi & barbaris adpellationibus utendum erit. Nec trita uia ingredior: nemo enim ante me unus omnia attigit, quæ

Purgatio à ſimili.

Extenuatio operis, ut colligat non eſſe aptum Principi donum.

ego uno uolumine complexus sum. Nec ita sunt amœna, ut magnopere iuuet hæc legere. Plerique alij ea tantũ scribunt, quæ delectant, siqua sunt horridiora & obscuriora, non attingunt. Nobis omnia excutienda fuerunt, disciplinæ etiã repetendæ, quas ἐγκυκλοπαιδίας Græci uocant, quæ prorsus obrutæ tenebris iacent. Quædam ἐπιφώνημα contra inseruimus à multis ad fastidium usq; decantata. Est autem non mediocris negocij, obscuris lucem dare, obsoletis nitorem, nouis autoritatem, deniq; omnes naturæ partes, è tenebris in lucem proferre. Qua in re, etiamsi non satis successit, tamẽ honestus conatus suam laudem meretur. Nec nihil debetur ijs, qui cum difficultate rei uicti, non potuerunt utrunque præstare, ut & prodessent, & delectarent. Non destiterunt tamen magno suo labore, magnaq; molestia, utilitati omniũ consulere. Liuius alicubi ait, desiturũ se fuisse, nisi uoluptas in scribendo detinuisset. Qui ampliorem aliquando laudem meritus esset, si tantum operæ sumpsisset non animi causa, sed ut Rempub. iuuaret. Nos contra, quantum laboris exhausimus publicæ utilitatis causa? Duo millia uoluminum perlustraui, autores centum, quos quidem delicati isti propter rerum obscuritatem non attingunt. Ex quibus excerpsimus rerũ uiginti millium naturam inclusam in hoc opus. Multa adiecimus ueteribus, quę nostra ætas primum comperit. Nam & posteri multa deprendent à nobis nondum animaduersa. Et me (homo enim sum, humani nihil à me alienum puto) multa fortasse fefellerunt: Neq; enim iustum ocium ad operis inquisitionem mihi sumere potui, sed succisiuis tantũ horis scripsi, dum me somno etiam defraudo. Nec plus impertior temporis somno, quàm quantum ualetudo

Excusatio quam opponit extenuationi.

Dissimile.

ualetudo requirit. Etenim, si uigilia uita est, ut Varro ait, pluribus horis interea uiuimus, dum uigilando lucubrando q; hæc scribimus, quàm qui id temporis dormiunt. Proinde, cum nihil tibi promittere possim, cur hoc opus magnopere admiratione dignum fore existimem, tamen quia tuo nomini dedicatum est, & maiorem autoritatẽ, & plus fauoris merebitur. Nec ob aliud in precio liber uidetur futurus, nisi quia tuum nomen in fronte & ceu uestibulo inscriptum est. Nam, ut pleraq; alioqui uilia, tamen ideo ueneramur, quia templis ac Dijs dedicata sunt, Ita hos commentarios pluris facient multi, quia Principi adscripti sunt. Cæterum tuas ac patris laudes, in alijs operibus prædicauimus in historia nostra, quam absolutam domi adhuc adseruo, ne præcipitata æditio autoritatem eius eleuet. Id erat magis aptum donum tibi futurum, sed ne uidear in gratiam Principum aliquid scripsisse, decreui eam hæredibus ædendam relinquere. Nec ego ex ijs studijs, aut hoc meo labore, uel cuiusquam gratiam uel auram popularem capto, nec prohibeo alios, eodem genere publicam utilitatem iuuare, & mecum in hac palestra decertare, sicut ego cum superioribus decertaui. Habes enim hic argumentum mei candoris, quod authorum nomina recensui, à quibus bonam partem scripti mutuatus sum. Idq; ingenui ac grati animi esse duxi, fateri per quos profeceris, ut & aliqua tuæ laudis pars ad illos redeat, quorum industria adiutus es. Verum paucos inuenias, qui non dissimulent sua furta: Deprehendi enim multos, qui ad uerbum transcripserant magistros suos, in quorum iurauerant uerba, non eo consilio, ut imitaturi certarent uincere

Conclusio, in qua operis autoritatem amplificat à Titi persona.

q. d. Hic non prædico te, ille fuerat te dignior liber.

De candore suo.

cere superiores, sicut Virgilius Hesiodum imitatur, sed ut alienis plumis se uenditarent. Quanto honestius Cicero, qui quos autores sequatur, prædicit? Aliàs Crantorem, ait, sequar, aliàs Platonem se imitari fatetur. Panætium fatetur se sequi in officijs. Qui libri nunquam de manibus ponendi sunt. Est autem seruilis animi, malle deprehendi in furto, quàm mutuum reddere, præsertim cum ex ipsa usura, quantumuis exigua, nouam tibi sortem conficias. Græci miras delicias adfectant in titulis, alius κτῆμα inscripsit suum opus, alius κτῆσις ἀμαλθείας, alius Musas, ut lactis gallinacei haustum pollicerι uideantur. At cum propius inspexeris, inuenies mire inopes rerum bonarum, planeq; quod aiunt ἄνθρακας θησαυρόν. Latini simpliciores titulos amarunt, ut antiquitatum, exemplorũ, artium. Elegantes quidam fecerunt suis scriptis titulum, lucubrationes. Est & Flexibula titulus in Satyra Varronis. Sed Diodorus Graius, si Dijs placet, autor, in titulo ineptius fastidiens, bis ineptus fuit, quum Bibliothecas suum opus inscripsit. Quid Appion? quàm arroganter? Qui immortalitatem se donare his affirmabat, ad quos aliquid composuerat. Ego has ineptias titulorum odi, & quemadmodum nobilissimi pictores operibus suis, quanquam absolutis, tamen eiusmodi inscriptiones fecerunt, quæ significarent summam manum operibus deesse, ut si quid reprehenderetur, corrigere liceret, sic enim inscribebant: ἀπελλῆς ἐποίει. Ita ego, cum multa deesse meis scriptis sciam, nullum præposui arrogantiorem titulum. Non enim tantum sumo mihi, ut nusquam cessasse aut hallucinatus uideri uelim. Quod eo dico, ut criticos quosdam æquiores mihi reddam, qui sumunt sibi censuram, aduersus mea scri-

Sors ex usura id est, Ex usura persoluta, tamẽ tibi sors integra manet

De titulo.

mea scripta, & ex insectatione meę famę gloriam sibi aucupantur: Nam uirtutem plerunq; inuidia comitatur, adeo ut aduersus facundissimum hominem Theophrastum, etiam muliercula stylum strinxerit. Sed ego istis Zoilis nihil aliud respõdebo hoc tempore, q̃ quod Cato scriptum reliquit: Quid enim ad te in meo uolumine? Scio ego quæ scripta sunt, hæc si palam proferantur, multos fore qui uitiligent, sed hi potissimum qui uerę laudis expertes sunt. Eorum ergo orationes sino præterfluere. Nec Plancus illepide absterruit Pollionem minantem, se extincto Planco aduersus eum orationes ęditurum esse, sic enim ait, Cum mortuis non nisi laruas luctari. Hac uoce Pollio à sententia deductus, sensit se impudenter facturum, si cum mortuo bellum gereret. Sed ualeant in malam rem isti uitilitigatores, qui cùm nihil utilitatis adferant in commune, tantum alios à beneme rendo deterrere conantur. Sed ne totum librum tibi sic occupato publicis curis relegere necesse sit, subieci huic Epistolæ capita, quæ, quid in uniuerso opere continea-tur, ostendunt, proderitq; hic index ad hoc, ut ubi singula requirenda sint, sciant & alij, qui certos tantum locos uolent cognoscere, nec tantum ocij habent, ut uacet omnia perlegere.

Vale.

EPISTOLA PHILIPPI MELANTHOnis, ad Ioannem Oecolampadium, de Cœna Domini.

DOCTISSIMO VIRO D. IOANNI Oecolampadio, suo amico, Phil. Mel.



Liquot accepi tuas Epistolas, quæ quoniã extant in eis multæ non obscurę significationes ueteris tuæ erga me beneuolentiæ & uoluntatis in amicitia constantissimæ, ualde gratæ mihi fuerunt: Nam meus animus idem est erga te, qui fuit semper. Ego autem admiratione doctrinę & uirtutum tuarum incensus, semper & amaui te plurimum, & singulari quadam pietate colui. Atque utinam ea essent tempora, ut frui hac nostra amicitia possemus. Sed incidit horribilis dissensio de Cœna Domini, quæ ueterem consuetudinem officiorum, quibus inter nos certare solebamus, impediuit, beneuolentiam uero erga te meam non labefecit. Itaq; si quid in me desideras officij, tempora magis quàm fidẽ meam accusare te uelim. Quod ad causam quam magis attinet, ualde doleo ea de re dissensionem exortam esse, quæ à Christo ad glutinandam charitatem instituta est. Scis autem me hactenus magis extitisse spectatorem huius fabulæ, quàm actorem. Et multas graues habui causas, cur non admiscuerim me tam odioso certamini. Interea nulla alia cura ullius rei animũ meum magis exercuit, quàm huius negocij. Et non modo cogitaui ipse, quid in

quid in utranque partem dici possit, sed inquisiui etiam ueterum ea de re sententias: Ego enim nolim alicuius noui dogmatis in Ecclesia uel autor uel defensor existere. Cum omnia quę in utraq; parte firmissima uidentur, expendi, dicam pace tua, non tamen eo in sententiam tuam: Nullam enim firmam rationem inuenio, quæ conscientiæ discedenti à proprietate uerborũ satisfaciat. Nihil autem ad hunc diem de hoc negocio scripsi, quia uidebam futurum quicquid scriberem, ut me allegari à Luthero tanquam domesticum testem, iniqui iudices dicerent. Nihil autoritatis in nostra sententia futurum erat, quia in alterius gratiam scripta uideretur. Sed spero te melius de meis moribus sentire:

ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς Ἀΐδαο πύλῃσιν
ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθει ἐνὶ φρεσὶν ἄλλο δὲ εἴπῃ.

Qualiscunq; enim sum, certe nunquã amaui Epicureos istos, cuiusmodi multi sunt hoc tempore, qui religionẽ irrident, & quibus uoluptati est, de maximis rebus homines fallere. Semper, ut scis, studiosus fui doctrinę Christianę: fuitq; ob eam causam mihi curæ, ut eam diligenter cognoscerem: nec sine parno negocio, dum quæro quid sequi tuto possim, extricaui me ex scholasticis disputationibus, partim etiam ex amicorũ meorum disputationibus, cuius rei nonnulla extant testimonia. Quod si gratiam aucuparer, non ignoro quàm multos & magnos eruditos uiros habeat uestra factio, horum amicitiam non contemnerem. Itaq; si mihi uestra sententia de Cœna Domini placeret, simpliciter profiterer. Vos absentis Christi corpus, tanquam in tragœdia repræsentari contenditis: ego de Christo uideo extare promissiones; Ero uobiscum usq; ad consummationẽ seculi. & si-

miles, ubi nihil est opus diuellere ab humanitate diuini tatem, proinde sentio hoc Sacramentum uerę præsentię testimonium esse. Quod cum ita sit, sentio in illa Cœna præsentis corporis κοινωνίαν esse. Cum proprietas uerborum cum nullo articulo fidei pugnet, nulla satis magna causa est, cur eam deseramus. Et hęc sententia de præsentia corporis, conuenit cum alijs scripturis, quæ de uera præsentia Christi, apud nos loquuntur: nam illa est indigna Christianis opinio, quod Christus ita quandã cœli partem occuparit, ut in ea, tanquam inclusus carceri, sedeat. Tu colligis absurda multa, quę sequantur hanc sententiam. Colligis etiam quasdam ueterũ sententias, quæ pro te uidentur facere. Sed absurda minus offendent eum, qui meminerit de rebus cœlestibus ex uerbo Dei, non ex Geometria faciendum esse iudicium, quiq; tentatus didicerit nullam esse rationem, quæ conscientiam satis docere possit, cum à uerbo Dei discesserit.

In ijs locis, qui citantur ex ueteribus, agnosco quandã esse dissimilitudinem, sed tamen ex his, siquis prudenter eliget grauissimorum autorum dicta, inueniet pleraq;, quæ ostendunt hanc, quam nos sequimur, ueteris Ecclesiæ, quatenus nobis nota est, cõmunem fuisse sententiam, tametsi tu quidem homo disertus, quosdam locos nimis callide interpretaris, & ad tuam causam detorques. Veteres cum de resurrectione disputant, allegant cœnam, nec inepte, meo quidem iudicio: significauit enim Christus Apostolis se resurrecturũ esse, quia sui corporis κοινωνίαν instituit. Necesse enim erat, ut uiueret corpus, quod nobis impartiendum erat. Quod si ueteres sensissent absens corpus repræsentari, quomodo inde probarent resurrectionem: quia etiamsi non

resurrexisset

resurrexisset Christus, tamen absens corpus & consumptum repræsentari potuit, sicut in fabulis Hector repræsentatur. Sed non instituí nunc disputationem, tantum hæc scripsi, ut meam erga te beneuolentiam perpetuam cognosceres, neq; tamen uolui, quid sentiam, dissimulare. Teq; rogo, ut consideres, quantam rem, quamq; periculosam susceperis. Verum illud est, nimium altercando amitti ueritatem: atq; hæc multo magis periclitatur in his tam uiolentis cõcertationibus. Quare satius esset hac de re aliquot bonos uiros in colloquium unà uenire. Video quæ semina harum disputationum sparsa sint in ueterum libris, sunt & in quibusdam nuper natis ante hunc tumultum. Video causam uestram præsidijs ingeniorum niti, & uos habere studia theatri, non tantum manifesta, sed occulta etiam, quæ haud scio, an efficacius uobis suffragentur, quàm manifesta. Satis nota est mihi tua modestia, quare non arbitrabar opus esse ut te admonerem, ut cogitares homines ingeniosos & prudentes, interdum labi posse, & in negocijs spiritualibus in primis periculosa est ingenij fiducia. Scis scriptũ esse: Abominatio apud Deum est, quicquid est sublime in mundo. Et multo plures sunt quàm putentur, qui tantũ ea amplectuntur in religione, quæ ingenijs eruere accõprehendere potuerunt. Postremo te rogo, ut hanc meam Epistolam, optimo atq; amicissimo scriptam animo, boni consulas.

Vale. Spiræ, Anno 1529.

AD NOBILEM ET GENEROSVM Comitem Ioannem à Vueda &c. Epistola Philippi Melanthonis.

NOBILI ET GENEROSO COMITI, Ioanni à Vueda &c. Philippus Melanthon S.D.

MAgnam cepi uoluptatem ex oratione Petri Medmani, cum mihi generosam indolem tuam, studia, & rectam uoluntatem prædicaret. Quid enim optabilius est, q̃ ut nobilitas Reipub. gubernaculis destinata, & bonitate naturæ excellat, & doctrina ita excolatur, ut suum munus uere intelligere & tueri possit.

Itaq; cum de studijs nobilitatis, deq; cæteris partibus Reipub. colloqueremur, existimaretq; Petrus meas literas tibi non ingratas fore, facile me ad scribendum perpulit. Erit autem humanitatis tuæ, & literas & officia nostri ordinis non aspernari. Porro semper ita sensi in heroicis familijs uim naturæ præstantiorem esse, quàm in reliqua multitudine. Nam cum ordinum distinctio diuinitus facta sit, & Deus heroicum genus cæteris hominibus præfecerit, addidit etiam motus animorũ actiores, meliores, & fœliciores, ut Plato uere tradit. Quod cum ita sit, profecto dolendum est, illam uim naturę eximiam, sæpe uel ignauia extingui, uel corrumpi malis exemplis.

Quare te adhortor, primum, ut sæpe diligenterq; con

sideres

sideres quod munus attribuerit Deus heroico generi, deinde ut indolem diuinitus donatam, doctrina, moribus, disciplina, liberalium artium cognitione expolire studeas. In hanc sententiam multæ extant adhortationes, & in sacris literis, & alibi à politicis uiris luculenter scriptæ, quas cum arbitrer te quotidie in manibus habere, non putaui utendum longiore oratione.

Sed quoniam in hanc commonefactionē ingressus sum, facere non potui, quin adiicerem narratiunculam, quæ quodam poemate extat, non illam quidem historicam, sed uenustam, & erudite confictam admonendæ adolescentię causa, ut cogitet & discrimina ordinum diuinitus instituta esse, & undiq; elaborandum esse, ut uirtute suam personam tueatur. Quod si Platonem decuit grauissimis disputationibus inserere interdum μυθολογίας, concedatur & nobis in Epistola, quę non multum est absimilis familiari colloquio, figura aliqua uti.

Fertur autem hæc narratio: Longo interuallo post conditionem Adæ & Euæ, cum primi parentes iam haberent familiam, uisum est Deo, semel prodire, ac se illis patefacere, ut in illa mundi solitudine quotidianis conflictantes ærumnis consolaretur. Fortè igitur è fenestra prospiciens Eua, uidit uenientem Deum conditorem, cū comitatu Angelorum. Et quoniam postridie festus dies futurus erat, liberos cœperat lauare, ad futuros patris sacrificio & concioni. Cum autē nondum omnes lauissent, & uereretur squalentes ac sordidos producere in conspectū Dei, iussit ut hi se in fœno & straminibus occultarent, quę ad usum pecudū proxime congesta erant. Cæteris compris mandat, ut stent ordine, expectantes Deū in atrio, cumq; fuerit ingressus, & à matre salutatus, accedant

accedant ipsi, porrigant dextras, paululum flexo poplite, dicta salutatione, postea taciti suo loco atque ordine consistant. Hæc cũ imperasset, ingreditur Deus in atriũ. Procedit obuiam pulcherrima mater, pudorem ac pauorem uultu significans, & uenientem reuerenter excipit amplexu. Deus comiter eam affatur, ac iubet bono animo esse, se patrem miseris esse, & non defuturum ipsis, quibus & uitam & mentem, imaginem diuinitatis suæ impertiuisset. Postea accedunt pueri ordine, ut iussi erant, porrigunt dextras, salutant, deinde taciti regrediuntur.

Laudat Deus matris diligentiam, quod non modo ornasset liberos, sed etiam ad morum elegantiam assuefaceret. Sed hi gestus, inquit, elementa sunt disciplinæ, alia grauior doctrina accedere debet, ut sciant se præcipue nasci ad agnitionem Dei, ad propagandam eius noticiam, ad conseruandam promissionem uobis traditam, ad exercendam obedientiam erga Deum, iubet doceri eos de immortalitate, de pœnis impiorum æternis.

Mater respondet, sedulo hæc inculcari ipsis ab utroq; parente, & addit illachrymans: Memini miserandi lapsus nostri, & quanta benignitate nos receperis, eoq; omni contentione annitimur, ut soboles nostra sit in officio, ne grauius te offendamus. Prospicimus quantæ pœnæ impendeant posteritati nostræ, si te deseruerit. Hæc igitur præcipua nostra cura est, ut te conditorẽ ipsis monstremus, & doceamus eos, quæ officia requiras, & quã proposueris nobis spem salutis. Sed ipse uelim eos audias, ut siquid nõ recte didicerunt, tua uoce emendetur. Iubet igitur stantem Abelum primo loco recitare parentũ dictata, & iubet clare, ac præsenti animo pronunciare.

Puer

Puer incipit: Credo unum esse Deum, omnipotentem, sapientem, iustum, ac bonum, conditorem totius mundi, qui in hac rerum mole admirandam uarietatem operum proposuit, certissimũ ordinem cœlestium motuum, temporum uices, leges, ac uires nascentium, ut hæc omnia testarentur, mundum non casu extitisse, sed ab aliqua æterna mente conditum esse. Nobis uero hominibus mentem indidit, in qua tanquam imagine lucere diuinitatis noticiam uoluit: addidit & intellectũ, quæ officia requirat, quæ improbet, ut ipsi obediamus: addidit & mandatum parentibus, quo ostenderent, se conditori suo libenter parere, & debere obedientiam. Quod si paruissent, sine peccato, sine morte uixisset genus humanũ, & in hac uita fulsisset multo illustrior noticia Dei, arsisset in pectoribus nostris ingens amor Dei, & sine prauis cupiditatibus Deo fuissemus morigeri.

Sed odio Dei diabolus, ut deformaret opus diuinũ, circumuenit nostros parentes, & obiectis falsis opinionibus, caliginem mentibus eorum offudit, ne cogitarẽt quantum Deo deberent, quantopere requirat Deus, ne à suo uerbo discedamus. Ita impulsus perdidit, quia uiolata lege Deum offenderunt. Quare cum omnia diuinitus condita bona essent, peccatum non à Deo, sed à diaboli & hominum uoluntate ortum est. Hinc mors secuta est, & tyrannis serpentis, qui aduersus genus humanum hostiliter graffatur, & omnibus calamitatibus homines opprimit.

Sed tamen ut essent in hoc mundo cultores & præcones Dei, noluit Deus prorsus perire genus humanum, ideo admiranda misericordia promisit semen nostræ matri, propter quod uelit placatus esse generi humano,

nos exaudire & saluare, ac reddere nobis æternam uitam, lucem, sapientiam & iusticiam. Præcipue uero immanitas odij in serpente inflammabitur aduersus hoc semen, infiget serpens dentes eius calcaneo, et crudelissimo morsu lacerabit omnes ei addictos. Sed interea caput serpentis ab hoc semine conculcabitur, uiuet enim in hoc semine diuina natura. Ideoq; mortem abolebit, & tyrannum serpentem in horribiles cruciatus abijcier.

Credo etiam sacrificia, quæ à patre fieri uideo, signa esse sacrificij, quod pro nobis illud semen offeret, ad placandum Deum. Sic enim Deus nobis fit propicius, si credimus non propter nostra sacrificia, sed propter illud semen, nobis ignosci, nos exaudiri & saluari. Et quanquã in hac mortali uita hærebunt peccatum, mors, & cæterę calamitates, tamen inchoatur diuinitus noua lux & uita, in his, qui hæc credunt, qui quidem placent Deo propter illud semen, ac incipiunt ei obedire: quod ueniet etiam, ut iudicet mundum, reddat uitam perpetuam ijs qui ipsi credent, & puniat æternis supplicijs diabolum, & omnes qui semen promissum contemnent.

Ad hunc cultũ credo prędipue uocatos esse oẽs homines, ut hęc admiranda Dei opera & beneficia prędicent, ut Dei ira & misericordia innotescant, ut Deus timeatur & glorificetur, & multi salui fiant. Nec deterreri homines ullis periculis debent, quo minus hunc cultum præstent: Erit enim semper cœtus aliquis præconum Dei, &si serpens & contemptores Dei immanem sæuitiam aduersus eos exercebunt usq; ad iudicium, in quo immortalis gloria piorum patefiet, qui &si erunt imbecilles, tamen in certaminibus suis diuinitus adiuuabuntur ac seruabuntur. Hunc igitur Deum conditorem nostrũ,

qui pol-

qui pollicetur nobis salutē propter promissum semen, timeo, inuoco, adoro, huic me commendo, ab hoc peto, ut mihi propter semen promissum sit propicius, gubernet uerbo suo, defendat me aduersus serpentem tyrannum, inserat mihi suam lucem, et pios affectus, ac credo me uere propter promissum semen exaudiri ac respici. Oro item, ut conseruet & augeat inter nos ueram noticiam iræ & misericordiæ suę, ac promissi seminis, nec sinat obrui ueros cultus astutia serpentis, ut regat meos mores, ne ipsum offendam, & ne mea exempla cæteris noceant. Et quoniam ipse nobis uitā impertit, & ut alat nos, terram facit fœcundam, rogo ut suppeditet corpori uictum, & conseruet ualetudinem, seruet etiam parentes nostros, ne desint nobis doctores & gubernatores, seruet & regat meos fratres & sorores, ut pie & fœliciter uiuant, & ornent gloriam ipsius.

Cum Abel finem dicendi feciſſet, interrogati cæteri, Seth & sorores, recensent eadem. Deus igitur non modo studium eorum & pietatem laudat, sed etiam oratio nis & sententię συμφωνίαν & concordiam, ac hortatur eos, ut hanc sententiam cōstanti pectore amplectantur ac profiteantur, diligenterq; de doctrina parentes audiant, nec opinionibus adulterinis contaminari doctri nam cœlestem patiantur. Iubet & in reliqua uita parentibus morigeros esse. Testaturq; hos cultus sibi gratos esse, ac pollicetur se ipsis opitulaturum esse in omnibus periculis. Deindē matrem alloquens, parentum diligentiam comprobat. Iubet accersi cæteros liberos, maximum natu Cain, & sorores reliquas, obiurgat Euam, q; existimarit minus cerni occultatos, quàm præsentes.

Soror igitur accersit reliquos. Prodit & accedit Cain

ad fratres, stat rigidus, toruitate uultus contumaciam animi & ferociam præ se ferens, hærebant in crinibus stipulæ & fœni gramina, non gestu, non uoce salutabat Deum. Interrogatus ut parentum doctrinam recitet, incipit, & mutilatam ac corruptam κατήχησιν recitat: Credo unum esse Deum, omnipotentem, conditorem totius mundi, quem colendum esse censeo sacrificijs, propter quæ fœcundat agros nostros. Sed an exaudiat inuocantes, an peccata remittat, ambigo: de immortalitate etiam tunc uidero, cum ex hac uita discesserò. Sentio autem bonos mores colendos esse, ut uita tranquilla sit. Hęc cum ille contumaciter dixisset, obiurgat eum Deus, quod oblitus sit promissionis, quod fidei doctrinam non teneat, ac iubet redire eum in uiam, & integrã pietatis doctrinam discere.

Deinde, inquit, cum uos parentes humani generis futuri sitis, uelim uos posteritati etiam prælucere doctrina, pietate, & uirtute. Non minus uos oppugnabit serpens tyrannus, q̃ oppugnauit parentes uestros. Sed his, qui meam promissionem conseruabunt, opitulabitur aduersus serpentem Heros promissus. Et quoniam regi genus humanum uerbo Dei, & coherceri disciplina uolo, deligam ex uestro cœtu idoneos.

Tu igitur Abel ad me accedito, ut manus imponens capiti tuo, te consecrem, tibi meum spiritũ impertiam, ut sis sacerdos, eritq; tuum munus, doctrinam diuinitus traditam, cæteris omnibus proponere, & sacrificia facere diuinitus monstrata, eaq; recte interpretari. Nec defugies pericula, quæ propter hanc professionem subeunda erunt: Nam agones tui testabuntur piorum ærumnas esse cultus mihi gratissimos, & significabunt,

bunt, quale sit futurum sacrificium promissi seminis.

Te uero Seth Regem cæteris præficio, sciesq; & tuum munus geminum esse: Primum, doctrinam quam frater professus est, omnibus uiribus tueberis, & impios, qui conuicia aduersus Deum dicunt, punies ac tolles, punies & cæteros qui societatem uestram turbabunt. Vobis duobus uentura posteritas obtemperet, & hunc rusticum Cain, qui ut est inculto corpore, ita mores habet agrestes & feros, seruum esse uolo, & metu legum et pœnarum coherceri, ne aut religionem contumelia adficiat, aut conturbet societatem uestram.

Ita distributis ordinibus, Euam rursus alloquitur, eiq; curam liberorum regendorum & erudiendorum committit. Illa lachrymans testatur se consumi perpetuo dolore & cruciatu, quem adferebat horrendi lapsus recordatio: Tandem, inquit, re ipsa comperi, cœlestes minas non esse irritas, quæ mortē nobis irrogarunt. Assiduam enim mortem mecum circumfero: Quoties aspicio liberos, ac præsertim hunc rigidum filium, & prospicio uentura mala, toto corpore perhorresco & exanimor. Veniam igitur grauissimi errati mei iterum peto, & mitigari calamitates oro. Deus adfirmat se illi ignoscere, & quanquam genus humanum exerceri calamitatibus uelit, tamen rursus admonet eam promissi seminis. Hunc Heroa inquit non defuturum esse inuocantibus ipsum, & ijs olim daturum cœlestem uitam & gloriam.

Hac consolatione cū nonnihil leuasset eius luctum, discessurus porrigit dexteram pueris, mater abeuntem comitatur: cumq; incensa studio sermonū dulcissimorum, & amore cōditoris, procul iam à domo progressa esset, amplexus eam, iubet Deus ad liberos redire, &

pollicetur & ipsi & marito suam opem, docet etiã hos suos comites Angelos, custodes esse familię, qui gerant perpetuum bellum καὶ ἀσπονδον cum serpente. Quare solitudinem minus moleste ferre iubet, promittit deinde futuram maiorem familiaritatem Angelis cum tota familia, ut tædium solitudinis minuant. Hæc cum dixisset, nube tectus in cœlum rediit.

Habes narrationem, quæ etiamsi non est historica, tamen res ueras & magnas adumbrat. Significat enim distinctionem ordinum diuinitus factam esse, quod uerũ esse ostendunt grauissima testimonia in sacris literis: uides & eos ornatos esse honoribus, qui præstabant indole, doctrina, morum elegantia, studio pietatis, ut significetur quibus rebus instructos esse oporteat uos, qui dignitate cæteris antecellitis. Sed multorũ mores nequaquam generi ac naturæ respondent, ut nonnulli uideantur ab inculto illo & fero Euæ filio propagati, non ab alijs. Nec tamen hæc est generis culpa, sed ipsi semina uirtutum accepta à maioribus non excitant doctrina & disciplina, aut obruunt etiam accersitis malis moribus, qui quàm multipliciter peccent, etiam atq; etiam generosi adolescentes considerare debent.

Primum, ut desertores lædunt Imperatorem suum, sic isti, diuinitus ad gubernationem rerum destinati, Deum contumelia adficiunt, qui cum eis, tanquam in acie, locum attribuerit, non intelligunt suum officium, neq; curam ullam adhibent, ut eas artes sibi comparent, sine quibus tueri locum nullo modo possunt. Deinde commune ius societatis humanæ uiolant, quod ei debitam operam præstare non possunt.

Si sentiunt se sua causa natos esse, ut uoluptatibus perfruantur

perfruantur, ut habeant omnium cupiditatũ licentiam, quid aliud, quàm Giganteum genus esse censendi sunt? Longe aliter Achilles sentiebat, qui interrogatus ab Aiace, quos sustinuisset omnium maximos ac difficilimos labores, respondit, suscepros pro amicis. Cumq; pergeret Aiax interrogare, quos omnium iucundissimos sustinuisset, rursus Achilles, Eosdem, inquit. significans heroicum uirum flagrare immensa quadam cupiditate iuuandæ Reipub. qua incitatus res suscipit aspernimas, nõ ut suæ utilitati, sed ut communi consulat. Cum hoc enthusiasmo rapiatur, nihil ei dulcius est, quàm res quamlibet difficiles, tamen in commune utiles gerere, ut Musico nihil dulcius est eruditissimis artis suę exercitijs. Præclare Achilles: Et quanquam uigor ingenij non est similis in omnibus, tamen bonos omnes, qui præfuturi sunt cæteris, decet serio amare Rempub. & anniti, ut ad eam accedant, optimis artibus instructi.

Nam etiam acres impetus in generosis naturis, si non regantur doctrina, sæpe aberrant. Itaq; etsi in Hercule maxima uis erat ingenij, tamen eum ad Doctores deducunt: Extat enim Theocriti carmen, qui eius magistros sex recenset:

γράμματα μὲν γὰρ παῖδα γέρων λίνος ἐξεδίδαξεν &c.

Necadolescens tantum literas & Musicam didicit, sed senex etiam Atlantis doctrinã de syderum motibus percepit. Quali doctrina institutus fuerit Achilles, significat Homerus, cum ait eum laudes clarorum Principum, ludentem cithara, decantasse: qua ex re apparet eum et historias, & reliquam eius ætatis doctrinam & Musicam didicisse. Nec decuisset in eius clypeo pingi cœli & elementorum seriem, & sydera, quę disterminant Septentrionem

trionem & Meridiem, si tantum fuisset rudis & sine pectore miles. Sed fabulas omitto.

Regum omnium haud dubie ingeniosissimus Alexander, non modo primas literas, sed uniuersam Philosophiam & medendi artẽ percepit. Et ut bellatori nihil sit opus his togatis artibus, certe ei uiro, qui in pace gubernabit Rempub. aut ad cõsilia adhibendus erit, opus esse omni genere doctrinæ res ipsa loquitur. Nec enim Augustus domi leges emendare, iudicia constituere & regere poterat, nisi & ipse multiplici eruditione instructus fuisset, & ad consilia doctissimos uiros adhibuisset, Trebatium, Capitonem, Asinium, & alios plurimos.

Si cæteros Romanos aut Græcos Principes eruditos enumerare uellem, & longus esset futurus catalogus: Et tamen hactenus loquor de ijs Principibus, quibus uera religio ignota fuit. Nunc quanto maius onus sustinent hi, qui sedent ad gubernacula, qui non solum ciuilem disciplinam tueri debent, sed etiam gubernare religionem? Hanc enim curam præcipuam Deus omnibus, qui præstant cæteris, iniunxit, ut efficiant, ut recte doceantur homines de Deo. Vt enim præcipua causa est, cur ad societatem homines conditi sunt, ut alij alios de Deo, & eius uoluntate docere possent, ita huius maximi ac summi operis ἀγωνοθέται ante omnia Magistratus esse debent.

Quomodo autem possunt sine magna scientiæ copia religiones regere? An existimandum est, Constantinum, nisi ad pietatem adiunxisset magnam eruditionem, potuisse controuersiam ab Arrio motam uel intelligere, uel iudicare? Ille uero nequaquam erat in cœtu Episcoporum κῶφον πρόσωπον, Sed cũ in disputatione

Arrium

Artium dextre refutauit sua oratione, collectis Apostolorum & probatorum autorum testimonijs, tum pleraſq; alias Episcoporum contentiones eruditis sermonibus mira comitate diremit.

Sed obuia sunt in historijs exempla plurima, etiam quorundam nostrorum Principum, qui tametsi ex hac horridiore natione orti, tamen inter tubas, & armorum strepitum aliquid temporis etiam literis & liberali doctrinæ tribuerunt, ut essent instructiores cum ad pleraſq; alias uitæ partes, tum uero maxime ad pietatis cognitionem, & religionis gubernationem. Quoties enim incidunt in Repub. tempora, quę requirunt & bonos & eruditos Principes? An non hoc tempore in his publicis dissidijs bonorum & eruditorũ cognitio desideratur?

Aristoteles definit Magistratum his uerbis: ὁ ἔχων φύλαξ ὢν τοῦ νόμου. Breuis est, sed uera & apta descriptio, ac prorsus oraculi similis, si quis euoluat ea, quæ complectitur. Finge enim ob oculos stantem Magistratum, cui Deus tradat utranq; Decalogi tabulam, eumq; iubeat esse custodem harũ legum, quantas illi res commendari existimabis? Religionis & ciuilis disciplinæ custodiam ac defensionem suscipit. Quomodo autem custodiet, hoc est, reget, conseruabit, propugnabit, si nõ mediocriter intelliget? Quid quod ne amare quidem potest quisquam illud quod ignorat, ut uere dicitur: Ignoti nulla cupido. Itaq; indoctis tradere magnarum rerum gubernationem, quid aliud est, quàm legum tabulas trunco aut parieti affigere? Nec iam de tyrannis loquor, qui petulanter has tabulas abijciunt, collidunt, & frangunt, tantũ de indoctis loquor, & si insciția quoq; sæua tyrannis est. Sed iam de bonis & mediocribus in-

genijs loquor. hæc expolienda esse doctrina censeo.

Nunc in hac morum corruptione satis esse putant aulici, si ad negocia adferant quandam ingenij dexteritatem, aut calli ditatē, quæ fortasse sufficeret, si nihil differrent ij, qui rerum maximarum consilia regunt, à seruis in Comœdijs. At aliæ artes requiruntur in curia. Deinde etiam si qui literas attingunt, tamen fastidiunt religionis doctrinam. Et ut quondam erat opinio, Philosophiam imperaturis officere, ita nunc nobilitas studia religionis releganda esse censet ad Monachos, ad infirmā plebeculam. Hic error quantum Ecclesiæ ac uniuersę hominum uitæ noceat, ostendunt multa Reipub. uulnera. Si Magistratus est legum custos, ut recte dictum est, primum ei diuinæ leges custodiendæ sunt, de quibus incidunt inter homines grauissimæ controuersię. Harum arbiter sine locupletiore eruditione nemo esse potest, ut de Musicis erratis nemo surdus iudicare potest.

Memini audire à quodam hospite, Regem Hispanicum Alfonsum usitato more Principum, suo quodam symbolo delectatum esse: passim enim pinxit pelecanum, fodientem rostro pectus, & elicientē sanguinem, ad pullos pascendos. Huic picturę addidit epigramma: PRO LEGE ET PRO GREGE. significans Principem omnia pericula adire debere, & religionis ornandæ causa, & pro populi defensione. Sapienter uidit Alfonsus præcipuum munus esse superiorum ordinum, religionis studium, conseruationem & propagationem. Cumq; omnes homines ad hoc opus diuinitus uocentur, ut suo quisq; loco conferat aliquid studij ad illustrandam Dei gloriam, non existiment superiores ordines, hoc officium nihil ad se pertinere.

Quare,

Quare quod amas & colis Christianæ pietatis doctrinam, & quod adhibes pios & eruditos interpretes, magnopere hunc tuum animum, & tibi & Reipublicæ gratulor, teq; adhortor, ne te ab hoc curriculo ineptis iudicijs indoctorum depelli finas. Non alius Deo cultus gratior est, quàm & cognoscere doctrinam ab ipso traditam, & aliquid conferre operæ ad eam illustrandam. Ac remunerator hoc officium Deus cumulate, sicut inquit: Glorificantes me, glorificabo. Erit fœlicior cursus tuus in omni uita, in rerum administratione, si ueræ pietatis doctrinam & amabis, & ornare contendes.

Adiunges autem & alia studia, ut facis, quę & ipsa seruiunt religioni, & ad uarias partes in uita conducunt. Audio te grauissimũ scriptorem Thucydiden in manibus habere, qui multis de rebus admonere lectorem potest, de uarietate ingeniorum & uoluntatum in Principibus, quales exitus fuerint uiolentorũ ciuium, qualia consilia, qualis exitus bonorum, ex quibus causis oriantur ciuitatum conuersiones. Recte Plutarchus: Vt Musicus organa sua nosse debet, ita ei uiro, qui in Repub. uersatur, diligentia adhibenda est, ut sensus Principum ac populi calleat, quam ad rem descriptio personarũ in historijs non parum conducit. Obseruabis igitur in Thucydide summorum uirorum naturas, sed dissimiles, Themistoclis, Periclis, Cleonis, Alcibiadis, Niciæ, Brasidę, Thetamenis: Deinde quàm uariæ unius ciuitatis Atticę conuersiones secutæ sint, postquam temere motum est bellum inter Græcas ciuitates: Quoties temere fœdera rupta sint, uel cupiditate paucorum, uel propter inanes potentum suspiciones: deinde alia multa.

Sed cum Thucydides ipse in uestibulo commemoret, quæ sint ex historijs utilitates petendę, hortatur, ut omnium temporum historiam discamus. Tibi uero præcipue cognoscenda est sacra historia, & legendæ res huius Germanici imperij, quæ te multa admonebunt de Ecclesię mutationibus, quæ scire homines nobiles plurimum refert. Existimabis igitur tibi cum ad priuatam uitam, tum ad publica negocia magna adminicula parata esse, si & religionis doctrina, & hac historiarum & humanitatis cognitione fueris instructus. Sed quarum artium atque autorum cognitio expetenda sit, quem ad usum comparandę singulæ, quæ metæ singulis præscribendę, ne confusio corrumpat iudicium, si intempestiue misceantur sacra prophanis, nihil adscribere opus est: Habes enim monitorem assiduum, & prudentia & fide egregia præditum, Medmanum, quem non dubito tibi dextre & artium præcepta tradere, & monstrare usum in uita.

Etsi autem is quoq; sedulo moneat, quæ causæ discendi auiditatē in uestro ordine excitare debeant, & qua doctrina uobis maxime opus sit, tamen quoniam me prædicatione indolis atq; humanitatis tuę sic accenderat, ut aliquid ad te literarum dare cuperem, hoc argumento potissimum usus sum, ut intelligeres cū iudicio Medmani etiam aliorum congruere sententias. Postremo etiam publica studia tibi cōmendo: Magnam enim uitę humanę partem regunt literę, continent religionis doctrinam, leges, omnia officia humanitatis, denique multa uitæ præsidia. Quam ob causam sapientes moderatores ciuitatum semper iudicarunt hanc curam ad se pertinere, ut studia literarum excitarent & adiuuarent,

quæ in

quæ in tanta ingeniorum humanorum infirmitate, inconstantia, addo etiam peruersitate, uarijs modis periclitari solent.

Superiori ætate barbaries cum cæteras disciplinas corruperat, tum uero fontes doctrinę Christianæ indigne contaminauerat. Naturaliter autem ita fit, ut in quolibet genere recta & simplici doctrina amissa, succedat Sophistica, & infinita opinionum confusio. Inde magnæ tenebræ bonis artibus inuectę sunt. Secuta est ætas recentior, quæ repurgare artes cœpit, & reuocare hominum studia ad fontes. Ac principia satis læta fuerunt, & magnam lucem, cum cæteris disciplinis, tum etiam religionis doctrinæ attulerunt. Sed hæc meliora studia subito ingenti perculsa ruina, languescere cœperũt, quia curserunt in odia potentum. Cum autem uita hominum & Ecclesia nequaquã carere literis possint, omni ope annitendum est tibi & tui similibus, ut hac parte opem ferratis literis & Ecclesiæ.

Quælibet ætas habet sua incommoda, quibus mederi maxime debent ij, quorum præcipua est autoritas, ac ueriſſimum est, quod ait Vergilius, similem esse uitam hominum nauigationi contra fluminis cursum, ubi leuiter cessauerint remiges, impetus fluminis nauim retro trahit. Meministi enim uersus:

sic omnia fatis
In peius ruere, ac retro sublapsa referri:
Non aliter, quàm qui aduerso flumine lembum
Remigijs subigit, si brachia fortè remisit,
Atq; illum in præceps prono rapit alueus amni.

Sed uestri muneris est, non remittere laborẽ, ac omnibus uiribus repugnare infirmitati, & prouehere res bo-

nas inter ingentes difficultates. Hoc uere heroicum est. Quare quantum poteris dabis operam, ut non deleantur, sed conseruentur bonę artes. Mihi crede, præclare de tota Ecclesia merebuntur Principes, qui suam autoritatem ad conseruationem rectorum studiorum conferent. Nec ulli triumphi plus habent ueræ laudis. Bene uale.

23. Martij, Anno 1539.

EPISTOLA PHILIPPI MELANthonis de Conuentu Augustano.

PHILIPPVS MELANTHON IOANni Silberbornero S. D.

Literas tuas in quibus prædicas mihi Gallorum studia, magna cum uoluptate legi, gratulor autem non minus ipsis literis quàm Gallis, qui in his miseris tumultibus Italiæ & Germaniæ alicubi tranquillum portum & quasi certum domicilium nactæ sunt. Quod autem petis à me, ut aliquid de Conuentu Augustensi ad te scribam, quanquam minime delectat me illarum rerum recordatio: tamen ne tibi optimo uiro parum officiosus uidear, mos geretur uoluntati tuæ. Et quemadmodum

modum Poeta inquit: A Ioue principium. ita nos à Cæsare exordiemur: Nihil enim in hoc conuentu cognoui memorabilius, quàm ipsius historiam Cæsaris. Magnã haud dubie admirationem apud uos habet eius perpetua fœlicitas, sed hoc longe admirabilius atque honestius est, quòd in tantis successibus & rebus omnibus ad uoluntatem fluentibus, moderationem animi tantam retinet, ut nullum eius dictum aut factũ paulo insolentius notari possit. Quem mihi Regum aut Imperatorũ ex Annalibus proferes, quem secundę res non inundauerint? In hoc uno non potuit indulgentia fortunę animum à suo statu deiicere. Nulla in eo cupiditas, nulla significatio superbię aut sæuitię animaduerti potest. Nam ut alia omittam, in hac ipsa causa religionis, in qua contra nos ab aduersarijs miris artibus incenditur, tamẽ hactenus nostros ciuiliter audiuit. Interior uero eius uita plena est honestissimorum exemplorum continentiæ, temperantię, & frugalitatis. Disciplina domestica quæ olim apud Principes Germanię sæueriſſima fuit, nunc tantum retinetur in familia Cæsaris. Itaq; nemo improbus in familiaritatem eius insinuare se potest. Amicis utitur tantum Principibus uiris, quos ipse iudicio propter uirtutem delegit. Et quemadmodum fertur Alexander Imperator unice delectatus esse consuetudine Vlpiani Iurisconsulti, ita accipio familiarissimum Cæsari nostro fuisse Mercurinum Cancellarium quoad uixit. Hunc prædicant uirum optimum & sapientissimum, planeq; Vlpianum alterum fuisse. Hac ex re coniecturam facere potes de uoluntate et moribus Cæsaris, ὅτι τοιοῦτος ὤν ἐκασ⊙, ὁἰαπερ ἤθελε ξύνων. Itaq; quoties aspexi Cæsarem, uisus sum mihi aliquem ex illis laudatissimis heroibus

roibus ac semideis, quos quondam inter homines uersatos esse credimus, uidere. Ac multo uerius in hũc competere iudicaui, quod de Augusto scripsit Horatius, quàm ad illum ipsum quantumuis bonum & laudatum Principem:

Hoc nihil maius, melius ue tertis
Fata donauere, boniq; diui
Nec dabunt, quamuis redeant in aurum
Tempora priscum.

Hæc habui de Cæsare, quæ & mihi iucunda erant recordanti, & tibi arbitrabar uoluptati futura. Quẽ enim nõ delectaret hic concentus pulcherrimarũ uirtutũ, præsertim in tanto Principe? Reliqua historia conuentus longam habet Tragœdiam: Nos obtulimus Confessionem fidei, moderatissime scriptam, ut appareret, nos non abhorrere à consilijs pacis. Hoc unum petiuimus, ne sæuiretur in Ecclesias nostras propter id doctrinæ genus, quod ibi proposueramus, cũ quidem res loquatur ipsa, nos nullum dogma defendere cõtra Euangelium aut Catholicam Ecclesiam, imò multis locis doctrinæ Christianę qui antea prophanis opinionibus iacuerant oppressi, lumen attulisse, uidelicet, de iusticia fidei, de pœnitentia, de usu Sacramentorum, de autoritate traditionum humanarum. Quod si hoc ab aduersarijs impetraremus, ostendebamus nos prolixe illis concessuros esse omnia, quæ ad dignitatem Episcoporum stabiliendam pertinent. Neq; enim id egimus unquam, ut politia Ecclesiastica dissolueretur, modo ut Euangelium nõ damnarent Pontifices. Ostendimus etiam nos in ritibus Ecclesiasticis omnes qui uiderentur ἀδιάφορoι, communiter cũ ipsis seruaturos esse. Nullum detrectauimus

onus,

onus quod sine scelere susci pi posset. Verum ne his quidem, quamlibet æquis conditionibus placare aduersarios potuimus, qui prorsus suo more agebant, postulabant, ut confessionem nostram abiiceremus. Id nos facere recusauimus.

Gregorius Nazianzenus scribit nullum se uidisse conuentũ Episcoporũ, qui nõ magis accenderit discordias q̃ diremerit. Sic enim inquit: ἔχω μὲν ὅτως, εἰδέναι τ' ἀληθὲς γράφειν, ὥστε πάντα σύλλογον φεύγειν δὴν ἐπισκόπων, ὅτι μηδεμιᾶς συνόδου τέλος εἶδον χρησόν, μηδὲ λύσιν κακῶν μᾶλλον ἐχθρυίας ἢ προσθήκην. αἵ γὰρ φιλονεικίαι καὶ φιλαρχίαι λόγου κρείττονες &c. Quod si hoc accidit illis melioribus temporibus, quid nunc expectandum sit, iudicari facile potest, cum ut cætera paria sint, certe φιλαρχίαι longe uehementiores sunt.

Video futurum, ut hæc mala uiolentis remedijs magis etiam exulcerentur. Nec obscurum est, per quales Sycophantas incitentur Principes & Episcopi. Ipse coràm audiui quorundam aduersariorum eruditissimos sermones.

Multa hoc anno prodigia nunciata sunt: Nam mulam Romæ peperisse accepimus, & exundatio Tybris nuper mirum in modum deformauit urbem Romam, & in agro Augustano uitulus biceps natus est, quę haud dubie mutationem Reipub. portendunt. Verum hæc importunitas aduersariorum certius credi prodigium debet, quàm ulla alia portenta, ἡ δὲ κακὴ βουλὴ περὶ βου λεύσαντι κακίστη &c.

De nobis extabant testimonia ad omnem posteritatem, nos pie & religiose sensisse, & studium collocasse, in illustranda doctrina Ecclesiæ Catholicæ, & amplifi-

canda gloria Christi. Hic cultus est uere λογικὴ λατρεία, quæ maxime placet Deo, uerbum Dei pure tractare ac docere.

Quod si iniustis armis oppressi fuerimus, tamen præstabimus, ut literæ nostrę depingant posteritati aduersarios nostros, qui cum prętextu nominis Christi contra nos incitant Principes, non constituunt Ecclesias, non curant Euangelium doceri & Christi gloriam illustrari. Et in his sunt quidam belli homines palam Epicurei & ἄθεοι, qui secure irrident omnes religiones. Tales ferunt nobis dę religione leges: Sed reprimo me.

Quoties autem memoria repeto ueteres motus Reipub. & Ecclesiæ, & exitus colligo, reperio pleroscp fœliciter ratione sedatos esse, & ęquitate Principum. Ac uix uncp uiolenta consilia profuisse animaduerto. Cũ Athenis infinitum bellum inter ciues futurum esset, propter mutuas iniurias & proscriptiones, ἀμνηστία sancita est, quæ minime utilis erat Principibus ac uictoribus, sed ad publicam tranquillitatem proderat. Longum esset Romana exempla recitare.

In Ecclesia uero sępe compertum est, quàm sit inutile controuersias armis dijudicare, de quibus docendæ & sanandæ erant conscientię. Itacp optandum est, ut Cæsaris fœlicitas in hac re etiam saluti sit orbi terrarum, qui quidem hactenus tanta moderatione usus est, ut in magnam spem nos erexerit, talia remedia publicis dissidijs adhibiturum esse, quæ non lædant pias conscientias, aut in posterum pariant nouos tumultus. Non satis considerant magnitudinem causæ & Ecclesiæ periculum, qui authores sunt, ut Ecclesię nostrę dissipentur armis, et trucidentur sacerdotes. Episcopos præstare conuenit, ut pro-

ut propageturad posteros pura Euangelij doctrina, hoc præcipue postulatur ab isto ordine.

Non potest autem fieri, quin inter tumultum armorum conticescat Euangelium. Et illi qui iubent arma sumere, non hoc agunt, ut postea constituant Ecclesias: Quando enim ista officia curauerunt Romani Pontifices? Ita accidet, ut penitus extinguatur religio, ubi defuerint Ecclesijs idonei Doctores Euangelij.

Possem alia multa recensere, nisi dolore impedirer, qui me penè exanimat, uersanté in harũ rerũ cogitatione: Et quidem semper sunt ob oculos. In hanc sententiam multa disputaui cum bonis quibusdam uiris Augustæ, exponens quę mihi uiderentur impendere, si nihil remitterent aduersarij, uidelicet, horribilis confusio dogmatum, & infinita Ecclesiarum dissipatio. Commemorabamus etiam his postremis temporibus singulari prudentia opus esse, de quibus prædixit Christus, plus fore periculi quàm antea. Sed res est ἐν γόνναστ θεοῦ: quare orabimus Deum, ut propter gloriam nominis Christi, mitia remedia ostendat his qui præsunt, & ne patiatur interire puram Euangelij doctrinam. Neque enim hoc negari potest, nos in discrimen uocari hanc unam ob causam, quod sentimus Deum placari non nostris obseruationibus, sed propter Christum.

Huius gloriam cupimus illustrare & amplificare, ut recte intelligant Ecclesię, quæ beneficia Deus per Christum nobis donauerit. Neq; ignoramus quàm ridicule uideantur hæ disputationes de religione & de Euangelio Epicureis illis, qui Principes concitant aduersus nos. Sed faxit Deus, ne nos Euangelij pudeat.

Hæc tibi prolixius scripsi, libenter enim quasi in sinũ

tuum depono has meas curas. Tu, quod facis, pergas illa studia colere, in quæ ingressus es quadam cum expectatione tuorum, quæ ad dignitatem tuam augendam, & ad Rempub. regendam conducunt. Nihil enim opus est pluribus uerbis hortari sponte currentem. Illud tamen oro, ut quantum poteris, adiungas illi doctrinæ alias etiam literas, quarum cognitio homine ingenuo digna est, & non minus necessaria Reipub. quàm illæ artes, quę celebriores habent titulos.

Fratrem tuum meis uerbis amanter saluta.

Vale.

EPISTOLA PHILIPPI MELANthonis ad Venetos quosdam Euangelij studiosos.



Vm anno superiore Braccietus mecum & de studijs optimarum artium, & de religione pleraq; disputaret, facile perspexi, eũ non modo singulari eruditione, sed etiam prudentia & grauitate eximia præditum esse: Itaq; magno studio eum complexus sum. Delectabar cum ipsius ingenij uenustate, quam in carminibus suauissimis scriptis exprimit, tũ uero sermonibus ipsius multiplicem doctrinam redolentibus. Sed nescio quod fatum mihi diuturnam eius consuetudinem inuidit. Scitis enim anno superiore domestico quodã negocio in patriam

patriam statim reuocatum fuisse, in quo prædicat se à nobis amanter & summa fide adiutum fuisse. Postquam autem nunc recurrit ad nos, & tot Alpium iuga, ac Hercinios saltus, in ipsa brumę sæuitia emensus est, non obscurum specimen ostendit præcipuæ erga me beneuolentiæ, & in nostra amicitia constantiæ. Quare reditus eius mihi iucundissimus fuit, ac magnopere optabam me diutius eius consuetudine frui posse. Fuit autem mihi periucundum, quod grauissimorum quorundam uirorum iudicia æquiora commemorauit, de emendatione Ecclesiasticorum abusuum, quę à nobis profecto non iniusta aliqua cupiditate aut studio contendendi instituta est. Sed initio quidam boni uiri prouocati, impudentissimorum quorundam clamoribus, de uenijs Pontificijs, coacti sunt officij ratione, purius docere Ecclesias. Hinc exarsit discordia, quam paulatim incendit aduersariorũ sæuitia. Tanta autem diligentia causa à nobis acta est, ut semper uim, ac tumultus populares prohibuerimus, ortos etiam propter aduersariorum rabiem oppresserimus. Præterea in doctrina præstitimus debitam fidem, ut abusibus correctis, extaret pura ac Catholica Ecclesiæ Christi doctrina. Scimus semper in mundo dissimillima fuisse iudicia de religione, & diabolum, cum sit hostis Christi, in hoc præcipue intentũ fuisse ab initio, ut sereret impias opiniones, ac obrueret gloriam Christi. Ac incitat diabolus curiosa & praua ingenia, ut corrumpant aut cõuellant uera dogmata. Hęc pericula Ecclesię cum intelligeremus, magna cura adhibita est, ne extra metas, ut ita dicam, proueheremur. Etsi igitur taxamus recens natas falsas opiniones, tamen ueram Ecclesiam defendimus, nec discedimus ab Apo-

ſtolicis ſcriptis, nec à ſymbolis, Apoſtolico, Niceno & Athanaſiano, nec quidem à ueteri conſenſu Eccleſiæ Catholicæ, deniq; illud Tertulliani ſequimur, ut rectũ eſſe quodcunq; primum fuit ſtatuamus, poſterius uero adulterinum. Si quis autem adeo ſecuro eſt animo, ut nihil uitij in Eccleſia hærere putet, nec ambitione, auaritia, ſuperſtitione, deniq; non diaboli fraudibus uetera inſtituta mutata aut deprauata eſſe uideat, is perſimilis eſt ijs, quibus in magnis doloribus mens ægrota non ſentit uim morbi. Quis autem ex ſanioribus, nõ ante hanc ætatem deplorauit Liturgiæ abuſum, quæ ad ſacrilegum quæſtum conferri ſolet? Diuorum cultus quantulum abeſt ab ethnicis opinionibus & ritibus? Iure queritur Gerſon recens autor, ita occupatos eſſe hominum animos, cura humanarum traditionũ, ut diuina præcepta negligantur. Idem ante hunc deplorauit Auguſtinus, & tamen poſt ætatem Auguſtini, quantus acceſſit cumulus traditionũ? Nec uero ignoramus ſemper eam eſſe generis humani infirmitatẽ, ut nulla ætas ſit futura ſine uitijs, & meminimus præceptum politicum multorum literis ac monumentis celebratum, quod docet publicæ tranquillitati & concordiæ, quædam incommoda condonanda eſſe, ac uetat, ut Græci loquũtur, malum bene poſitum moueri. Sed tamen eius præcepti modus etiã alias quis ſit, neceſſe eſt, præſertim in Eccleſia, in qua Deus ueritatem ac doctrinæ puritatẽ conſeruari præcipit, ſicut inquit Paulus: Si quis aliud Euangelium docuerit, anathema ſit. Quanquam igitur quædam morum uitia toleranda ſunt, tamen doctrinæ errata quæ tenebras offundunt Euangelio, quę idololatriam pariunt, reprehendi neceſſe eſt. Primum igitur à noſtris repurgata eſt

doctrina

doctrina de pœnitentia, reiectæ humanæ satisfactiones, quas sic uocant, ut beneficium Christi clarius conspici posset, ac extaret doctrina de ea fide, qua remissio peccatorum accipienda est. Patefecimus & discrimen legis & promissionum, quę sunt Euangelij proprię: hę res maximæ iacebant obrutæ densissima caligine, in tanta mole traditionum ac labyrinthorũ, qui extant in scriptoribus qui commentarios ædiderunt in Petrum Longobardũ. Deinde emendata est Liturgia, & mos uetus restitutus in Ecclesijs. Nihil temere, nihil nostro consilio mutatũ est, sed secuti sumus non modo Apostolorum scripta, sed etiam ueteris Ecclesię ac purioris iudicia, & exempla. Reiecimus & diuorum inuocationem, ornauimus ueteris encomijs munera politica, ac œconomica, et ostendimus esse cultus Dei præcipuos, cum antea longe anteferrentur nugaciſſimæ traditiones. Admonuimus quid de indifferentibus ritibus sentiendum sit, & quatenus retineri possint. Denique summa nostræ sententiæ extat in quodam meo scripto, cui titulus est, Loci communes, in quo satis apparet nos tueri ueterem consensum purioris & Catholicæ Ecclesiæ, ac reuocare studia ad ueterem puritatem. Etsi autem profani homines partim deridẽt has nostras disputationes, partim tanquam seditiosas execrantur, tamẽ nobis ratio nostri consilij constat, ac norunt pij ac prudentes, hæc certamina in Ecclesia necessaria esse, uidentq; diu iam opus fuisse, quorundam abusuum emendatione. Meministis historiam apud Herodotum: Cum Astyages Harpago filium edendum proposuisset, interrogasseteq; miserum parentem, quo animo filij necem ferret, respondisse Harpagus narratur: Mihi uero placet, quicquid

Rex

Rex facit. Talis seruitus nequaquam in Ecclesia constituenda est, ut propter tranquillitatem omnia errata illorum qui præsunt, comprobare cogamur, maximeq; eruditis tuenda est in dicenda sententia, seu in docendo, libertas. Cumq; unica sit urbs uestra in toto orbe terrarũ, in qua uera est aristocratia tot seculis conseruata, quæ semper inimica fuit tyrannidi, maxime decet in eo loco esse libera bonorum iudicia, & improbare iniustam sæuitiam, quæ alibi in Ecclesiã exercetur. Quare uos quantum possum adhortor, ut ad gloriam Dei ornandam, studia atque autoritatem uestram conferatis: hic cultus Deo gratissimus est.

Intellexi autem isthic circumferri Serueti libellum, qui renouauit errorem Samosateni initio Ecclesiæ damnatum, & labefecit sententiam de duabus naturis in Christo, negat in Ioanne uerbum significare hypostasin, seu personam, ut nunc uocant, cum ait Ioannes: In principio erat uerbum. & postea: Et uerbũ caro factum est. Etsi autem extat meum iudicium de hac controuersia, ac nominatim in locis damnaui Serueti sententiam, tamen nunc quoq; uos admonendos atq; obtestandos esse duxi, ut hortatores atq; autores sitis, ut fugiant, abhorreant, execrentur impium Serueti errorem. Scio absurdum uideri, quod interpretatur Ecclesia, uerbum esse personam seu hypostasin: sed in his cœlestibus dictis, non quid concinnum rationi humanæ uideatur, spectandum est, sed quid certo doceant ac affirment testimonia diuinitus proposita in Apostolicis scripturis, quę Seruetus astute eludit, sed calumnię præcipue remouendæ sunt à sacris dogmatibus. Nos, ut decet pios, primũ consideremus, quid senserit certo prima Ecclesia. Nam

Seruetus

Seruetus iniuriam insignem facit Ireneo & Tertulliano, quos fingit sibi patrocinari, cum Tertullianus diserte instituat quæstionem, an uerbum sit hypostasis, aut significet patrem cogitantem, aut deliberantē, seu constituentem aliquid. Sæpe autem affirmat uerbum esse hypostasin seu personam, & allegat prioris Ecclesiæ autoritatem. Ireneus citat Policarpum auditorem Ioannis, estq; autor in primis purus, is clare affirmat uerbum esse hypostasin seu personam, etiam antequam induit humanam naturam. Extat & Gregorij Neocæsarienſis confessio, cuius Gregorij autoritate præcipue refutatus est Samosatenus: extant multa alia testimonia Origenis, Dionysij Alexandrini, qui ferè attigit Apostolorum tempora. Basilius ait sibi Gregorij Neocæsarienſis confessionem tanquam normam & regulam doctrinæ Ecclesiasticæ fuisse. Inuocat Ecclesia Christum in quotidianis precibus, neq; hic mos nouus est, sed etiam à Paulo usurpatus, ut Epistolæ eius testantur, & habet testimonia in Psalmis, qui iubēt inuocare Dominū illum promissum. Tribuit autem inuocatio diuinitatis honorem, cū agnoscimus eum, quem inuocamus, omnium pectorum motus uidere, quod non est nisi immensæ potentię ac Dei. Tollit igitur re ipsa Seruetus inuocationem, etiamsi in speciem retinet. Primum igitur testimonium primę Ecclesię opponamus, à qua commonefacti, confirmemus etiā animos dictis Apostolicis, quę satis perspicua sunt, si nō deprauentur cauillationibus. Si uerbum in loco illo Ioannis nihil significaret, nisi patrem cogitantem, non recte postea diceretur: Et uerbum caro factum est. Deinde Ioannes de Christo inquit: In mundo erat, & mundus per eum factus est. Constat autem mundum

non esse per humanam Christi naturam conditum, ergo necesse est, alteram in Christo naturã esse, quę fuerit initio, per quam mundus conditus est. Sic & Paulus ad Colloſſenſes clare inquit, Omnia per Chriſtum condita esse, eamq; ſententiam aliquoties repetit. Et Epiſtola ad Hebræos inquit: Per quem condidit ſecula, qui est fulgur gloriæ, & character ſubſtantiæ eius. Quid in his uerbis est ambigui, ſi ſimpiciter & ſine cauillatione accipiantur? Affirmant conditum esse mundum per filium Dei. Neceſſe est igitur in Chriſto esse alteram naturam, quam Ioannes uocat uerbũ. Epiſtola ad Hebræos imaginem ſeu effigiem patris appellat. Hæc apte inter ſe congruunt: Nam uerbum est imago. Hæc & ſi extra captum humanę rationis poſita ſunt, tamen nõ propterea cauillationibus eludenda ſunt, imõ quo ſecretiora ſunt, eo maior est audacia & impietas, conuellere non intellecta. His & ſimilibus teſtimonijs certis ac firmis aſſentiamur, cum aperte hoc efficiant, quod docet Eccleſia de filio Dei. Adiuuemur etiam conſenſu ueteri primę Eccleſiæ, ac cogitemus de Dei natura & uoluntate non humanis ratiocinationibus, ſed cœleſtibus teſtimonijs credendum esse. In hac caligine mentium humanarũ, præ lucere nobis uerbum Dei debet.

Belligeratur autem Diabolus cũ uera Eccleſia, & gloriam Dei obſcurare conatur, quibus poteſt artificijs. Has inſidias intelligere pios conuenit, ac ſtare in procinctu ad tantum hoſtem depellendum, cum offundere opiniones contra uerbum Dei, cum auellere animos ab illa regula conatur. Sed hæc militia paucis nota est. Ideo omnibus ætatibus ab initio mundi, paſſim ſparſi & propagati errores ſunt omnis generis, ac labi facile est. Cum enim

ênim omnium hominũ mentes natura ducantur, ut alí quid de religione quærant, & tamen negligenter tueantur uerbum Dei, ac libentius assentiantur humanis speculationibus, facile excutitur hominibus uerbum Dei. Quare & in hac controuersia, & in cæteris cauendum est, ne assentiamur cauillationibus confictis ad eludendum ueram scripturę sententiam. Hæc scripsi uerbosius, quàm modus Epistolæ patiatur, sed multo angustius, quàm magnitudo causæ postulat. Verum iudicij mei testimonium uobis significare uolui, nec grauatim de tota controuersia, si quis petet, copiosius disputabo. In Locis collegi præcipua testimonia ad hanc causam pertinentia, quibus confirmatę mentes facile possunt contrarias cauillationes refutare. Porro ut quondam lex Castrensis notabat ignominia, non eum qui gladium, sed qui clipeum abiecerat, quia prior esse cura nostri tuendi debet, quàm hostes feriendi, Ita in his contentionibus prior esse cura debet, nostras mentes recte confirmandi, posterior refutandi aduersarij. Ex Lypsia, Anno 1539.

EPISTOLAE CONTRARIAE, PICI pro barbaris Philosophis, & Hermolai noua ac subditicia, quæ respondet Pico. Aeditę cum dispositione Philippi Melanthonis.

ORNATISSIMO VIRO D. IVSTINO Gobleto, Consiliario Illustrissimi Principis D. Erici Ducis Brunsuicensis &c. Franciscus Vinariensis S. D.

TAntam uim habet hospitij coniunctio apud bonos, ut sanctissimo fœdere animos copulet. Itaq; &si nostra in te officia uoluntate nostra minora fuerunt, tamen facis humanissime, quod memoriam nostri summa cũ beneuolentia retines. Ego uero te & complectendum & amandum duxi, cum propter eximiam humanitatem ac suauitatem ingenij tui, tum uero quia uidebam te, quanquam ratio muneris tui cogit te in forensi doctrina uersari, tamen mirifice amare atq; admirari eloquentiæ studia, quæ etiamsi nihil afferrent utilitatis, ut indocti quidam falso putant, ad leges intelligendas, tamen ornamentum in homine nullum, meo iudicio, maius atque illustrius esse potest, quàm elegans & apta oratio. Atq; ut eos, qui hoc ornamentum non intelligunt, uix hominum appellatione dignos esse censeo: ita contra eloquentiæ studiosos magnopere amo, eosq; uere philosophari iudico, quod & uideãt quid sit homine

homine præcipue dignum, & uera bona mirentur atq; expetant. Etsi enim multę sunt causę, cur eloquentię studium uulgo negligatur, tamen hanc prę cipuam esse statuo, quod pauci tantum iudicio ualent, ut uim ac dignitatem artis omnium reginæ intelligant. Atque hæc memini etiam coram nos disputare. Itaq; cum nuper reserpsissem Epistolę Pici, in qua uituperatur eloquentia, uenit mihi in mentem illius tui iucundissimi sermonis. Quare duxi hanc meam declamatiunculam potissimum tibi mittendam esse, uelut xenium, ut intelligeres me quoque memoriam nostri congressus summa fide retinere. Et arbitrabar hoc xenium propter argumentum neq; alienum tuis studijs, neq; ingratum fore, & si non ignoro me nihil minus præstitisse, quàm quod ibi disputo, efficiendum esse in dicendo, ut rerum magnitudinem æquet oratio. Ego uero uix extremas lineas duxi maximi operis, tantum abest ut absoluerim. Hermolaus recitat quasdam suas pugnas, hoc ne agit quidem ut refellat Pici argumenta. Et haud scio an iudicio causam suam peragere noluerit, quod uideret eam non magis epistolæ conuenire, quàm si quis in exigua tabella ingentem colossum uelit pingere: quod cum ipse animaduerterem, cœpi etiam languidiore animo scribere, & quasi represso cursu restiti, ac breuiter ostendi fontes argumentorum Pici, ut ab adolescentibus iudicari facilius possit, ubi ille quasi extra uiam currat, dum in absurda materia tuenda ludit.

Bene uale.

IOANNES PICVS MIRANDVLA
Hermolao Barbaro suo
S. D.

Exordium ducitur ab Hermolai prioribus literis, in quibus Hermolaus agit Pico gratias, q. tam honorifice de ipso sentiat: Repetit igitur Picus illam ipsam sententiã. De imitatione corrigit Hermolai dictum, quod ipsum imitari non posit, admirari posit.



Go quidem, mi Hermolae, nec possum aut tacere, quæ de te sentio, aut non sentire ea quæ de illo debeant, in quo omnia ueluti singula summa reperiantur. Sed utinam esset is meę mentis captus, ut pro meritis tuis de te sentirem: utinam ea dicendi uis, ut exprimere aliquando possem, quod semper sentio, scio quæ de te concepi, infinitum subsidere infra fastigia doctrinę tuę, scias & tu quæcunq; loquimur, minora esse ijs quæ concipimus, tam deesse scias animo uerba, q̃ rebus animus deest. Et tamen ita me audere credis, ut speré posse imitari tua, quorũ nec magnitudinem ęstimare possum. Admirari te possunt omnes, imitari tam pauci possunt, quàm nemo reprehendere. Et utinam ea mihi fœlicitas, ut quæ scribam Hermolaum meum aliqua ex parte imaginentur. Ipse enim (ut taceam cætera) stilus tuus, cui tu adeo male faues, mirum quantum me afficit atq; delectat, ita est doctus, grauis, compositus, eruditus, excussus, ingeniosus, in quo nihil expositum, nihil uulgatum, nihil sit triuiale, seu uerba, seu sententias spectes. Legimus sæpe ego & noster Politianus, quascunq; habemus tuas, aut ad alios, aut ad nos epistolas, ita semper prioribus certant sequentia, & nouæ fertiliter inter legendum efflorescunt Veneres, ut perpetua quadam acclamatione interspirandi locum non habeamus. Sed mirum dictu, quàm persuadeas, & legentis animũ quocunq; uelis impellas. Expertus sum ego cũ semper aliàs, tum hac

tum hac proxima tua ad me epistola, in qua dum barbaros hos Philosophos insectaris, quos dicis haberi uulgo sordidos, rudes, incultos, quos nec uixisse uiuentes, nedum extincti uiuant, & si nunc uiuant, uiuere in pœnam & contumeliam. Ita Hercules sum commotus, ita me puduit, piguitq; studiorum meorum, iam enim sexennium apud illos uersor, ut nihil minus me feciſſe uelim, quàm in tam nihili facienda re, tam laborioſe contendiſſe. Perdiderim ego, inquam, apud Thomam, Ioannem Scotum, apud Albertum, apud Auerroëm meliores annos, tantas uigilias, quibus potuerim in bonis literis fortaſſe nonnihil eſſe? Cogitabam mecũ, ut me conſolarer, ſi qui ex illis nunc reuiuiſcant, habituri ne quicquam ſint, quo ſuam cauſam, argumentoſi alioqui homines, ratione aliqua tueantur. Demũ ſuccurrit ex ipſis quempiam paulo facundiorẽ, ſuam barbariem, quàm poterit minime barbare, hunc in modum fortaſſe defenſurum: Viximus celebres ò Hermolae, & poſt uiuemus nõ in ſcholis Grammaticorum, & pædagogijs, ſed in Philoſophorum coronis, in conuentibus ſapientum, ubi non de matre Andromaches, non de Niobes filijs, atque id genus leuibus nugis, ſed de humanarum diuinarumq; rerum rationibus agitur & diſputatur, in quibus meditandis, inquirendis, & enodandis, ita ſubtiles, acuti, acresq; fuimus, ut anxij quandoq; nimium & moroſi fuiſſe forte uideamur: ſi modo eſſe moroſus quiſquam aut cutioſus nimio plus in indaganda ueritate poteſt. Atque in his quidem ſi quis nos arguat hebetudinis & tarditatis, age amabo

Narratiuncula, continens occaſionẽ huius epiſtolæ.

Propoſitio cũ amplificationibus: Barbari digni laude ſunt propter rerum ſcientiam. Huius propoſitionis amplificationes extenuat Hermolaus, & falſe deridet numero 15. Reprehenditur & ipſa propoſitio, cũ detrahitur iſtis magna ex parte rerum ſcientia.

Altera pars propositionis: Non sunt uituperandi, quod non fuerint eloquentes. Sequitur confirmatio: Nephas est sapientiæ addere eloquentiam. Hanc propositionem principio reprehendit infra Hermolaus, quia maxime absurda est & falsa. Euertit autem eam ex ratione conuersionis: Nulli sapientes debent esse eloquentes, ergo neq; eloquentes fuerunt sapientes, quod est absurdissimum.

* Ratio I.

A similibus diluuntur numero 3. & 6.

** Ratio II.

A definitione seu fine eloquentiæ. Ipse definit elocutionem esse accersitum & inanem cultum. Hermolaus contra definit elocutionem esse propriam explicationem. Estq; locus cõmunis, quid sit eloquentia, seu quis sit finis eloquentiæ.

age amabo quicunq; is est, pedem conferat, experietur habuisse barbaros, non in lingua, sed in pectore Mercuriũ, non defuisse illis sapiẽtiã, si defuit eloquẽtia, quã cũ sapientia non coniunxisse, tantũ fortasse abest à culpa, ut coniunxisse sit nephas. * Quis enim cincinnos, quis fucum in proba uirgine non damnet? Quis in Vestali non detestetur? ** Tantum est inter Oratoris munus & Philosophi pugnantia, ut pugnare magis inuicem nõ possint. Nam quod aliud Rhetoris officium, q̃ mentiri, decipere, circumuenire, præstigiari? Est enim uestrum, ut dicitis, posse pro arbitrio in candida nigrum uertere, in nigra candidum, posse quæcunq; uultis tollere, abijcere, amplificare, extenuare dicendo, demum res ipsas magicis quasi, quod uos iactatis, uiribus eloquentiæ, in quam libuerit faciem, habitumq; transformare, ut nõ qualia sunt suopte ingenio, sed qualia uolueritis non fiant quidem, sed cum non sint, esse tamen audientibus appareant. Hoc totum est nequicquam aliud, quàm merũ mendacium, mera impostura, merum præstigium, cum à natura rei semper uel augendo excedat, uel minuendo deficiat, & fallacem uerborum concentum, ueluti laruas & simulachra prætendens, auditorum animos blandiendo ludificet. Erit ne huic cum Philosopho affinitas, cuius studium omne in cognoscenda

gnoſcenda,& demonſtranda cæteris ueritate uerſatur? Adde quòd nobis nulla erit fides, lauticias uocũ,& ueneres affectantibus,quaſi rebus parum fidentes,nec uero nixi, trahere in ſententiam his lenocinijs homines quæramus. Eſt ob hanc cauſam legere res ſacras ruſticè potius quàm eleganter ſcriptas,quod nihil ſit magis decens, & noxium in omni materia, in qua de uero cognoſcendo agitur, quàm uniuerſum iſtud dicendi genus elaboratum. Hoc, hoc forenſium eſt quæſtionum, non naturalium atq; cœleſtium. Non eſt eorum qui in Academia,ſed qui Republica illa uerſantur, in qua quæ fiunt, quæq; dicuntur, populari trutina examinantur, apud quam flores fructibus longe præponderant. Non neſcis illud? non omnibus omnia pari filo cõueniunt. Eſt elegans res,fatemur hoc, facundia, plena illecebræ, & uoluptatis, ſed Philoſopho nec decora, nec grata. Quis mollem inceſſum, argutas manus, ludibundos oculos in hiſtrione & ſaltatore non probet? In ciue,in Philoſopho,quis non improbet, arguat, abominetur? Si puellam uiderimus moribus lepidam,atque dicaculam,laudabimus, exoſculabimur. Hæc in matrona damnabimus & perſequemur. Non ergo nos,ſed illi ineptiqui ad pedes Veſtæ agunt Bacchanalia, qui grauitatem Philoſophicarũ rerum,& caſtitatem ludicris ueluti & calamiſtris dehoneſtant. Profecto quod Sineſius de adoleſcente,de oratione dici commode poteſt, comatam orationem ſemper cinædam. Quare nos noſtram malumus hirtam,globoſam,inexpeditam,q; cũ impuritatis uel nota uel ſuſpicione belle comatam. Alioqui Palladis peplum non reuelaret, ſed à ſacris uti prophana repelleretur. Et ut nihil ſint reliqua, hoc eſt ueriſſimum,

III. *Vtrum ſit uoluptas digna Philoſopho,dicitur breuiter numero 4.& additur ibi argumentũ à neceſſario.*

IIII. *Aliæ ſimilitudines contumelioſæ diluuntur numero 5.*

mum, nihil esse diuersum magis ab instituto Philoso-
phi, quacunq; in re, quàm quod luxum, aut fastum ali-
qua ex parte sapit. Sicionios calceos, habiles, aptosq;
ad pedem dicebat Socrates, sed Socrati non conuenire.
Omnino non eadem ratio ciuilis habitus & Philoso-
phici, sicuti neq; mensæ, neq; sermonis. Vtitur his Philo
sophus dumtaxat ad necessitatem, utitur ciuilis homo
etiam ad gratiam, quam & hic si neglexerit, non ciuilis,
& ille affectauerit, non erit Philosophus. Si posset Py-
thagoras uiuere sine cibo, holeribus etiam parceret: si
sua sensa aspectu, aut demum minore cũ sermonis opera
explicare, omnino non loqueretur, tantum abest ut lin
guam poliat & exornet. Quod uel obid cauendum no
bis, ne illectus cute medicata lector demoretur ad eam,
ad medullam, & sanguinem nõ peruadat, quem subesse
sæpe cerusato ori infectum uidimus. Vidimus, inquam,
in hisce omnibus quibus propterea usu uenit, cum ni-
hil sit intus non inane, & uanum, detinere lectorem in
prima facie modulatu uario, atq; concentu. Quod si fe
cerit Philosophus, clamabit Musonius nõ Philosophũ
loqui, sed tibicinem canere. Non ergo nobis uitio detur
id non feciſſe, quod feciſſe uitium erat. Quærimus nos
quid nam scribamus, non quærimus quomodo, imõ
quomodo quærimus, ut scilicet sine pompa, & flore ul-
lo orationis, quam nolumus ut delectabilis, uenusta, &
facета sit, sed ut utilis, grauis, & reuerenda, & maiestatẽ
potius ex horrore, quàm gratiam ex mollitudine conse-
quatur: Non expectamus theatri plausum, quod aures
demulserit æquabilis clausula, uel numerosa, quod hoc
sit falsum, illud sit lepidũ. Sed expectamus paucorũ po-
tius præ admiratione silentiũ introspicientium penitus
aliquid

V.

Hæc reprehendũtur inficiatione, & inuertũtur, Imò sine eloquentiã nõ possunt res cerni.

aliquid, aut de naturæ aditis erutum, aut de Iouis aula ad homines adductum, tum uel aliquid ita argutum ut defendendi, ita defensum ut arguendi non sit locus. Admirentur præterea nos sagaces in inquirendo, circumspectos in explorando, subtiles in contemplando, in iudicando graues, implicitos in uinciendo, faciles in enodando. Admirentur in nobis breuitatem styli, fœtam rerũ multarũ atque magnarũ, sub expositis uerbis remotissimas sententias, plenas quęstionũ, plenas solutionũ, cęp apti sumus, cęp bene instructi ambiguitates tollere, scrupos diluere, inuoluta euoluere, flexanimis syllogismis & infirmare falsa, & uera confirmare. His titulis ô Hermolae uindicauimus hucusq;, & uindicaturos post hac ab obliuione memoriam nostram non dubitauimus. Quod si uulgo (ut dicis) habemur sordidi, rudes, inculti, hoc nobis ad gloriam est, non ad contumeliam. Vulgo non scripsimus, sed tibi, & tui similibus. Nec aliter cęp prisci suis ænigmatis & fabularum inuoluctris, arcebant idiotas homines à mysteriis, & nos cõsueuimus abstterrere illos à nostris dapibus, quas non polluere non possent amariori paulum cortice uerborum. Solent & qui thesauros occultare uolunt, si non datur seponere, quisquilijs integere, uel ruderibus, ut prætereuntes non deprehendant, nisi quos ipsi dignos eo munere iudicauerint. Simile Philosophorum studium, cęlare res suas populum, à quo cum non probari modo, sed nec intelligi illos deceat, non potest non dedecere, habere aliquid, quæ ipsi scribunt theatrale, plausibile, populare, quod demum multitudinis iudicio accõmodare se uideatur. Sed uis effingam ideam sermonis nostri, ea est ipsissima, quæ Silenorum nostri Alcibiadis. Erant enim horũ

Hæ amplificationes, quibus arrogat barbaris rerũ scientiam, extenuantur in altera parte resp̃onsionis Hermolai simul uno in loco.

VI.

Similitudo de symbolis et apologis diluitur inuersione, imò apologi traditi sunt ut reddãt præcepta illustriora. Numero 8.

VII.

Similitudo de occultandis rebus inuertitur, imò plura sunt in doctrinis, quæ extare & efferri debent, nõ occultari.

VIII. *Similitudo de Silenis Alcibiadis inuertitur numero 16.*

simulachra hispido ore, tetro, & aspernabili, sed intus plena gemmarum, supellectilis ratæ & precioſę, ita extrinsecus si aspexeris, feram uideas, si intrò spexeris, numen agnoscas. At, inquies, non ferunt aures, nunc asperam, nunc hiulcam, semper inconsonam texturam. Nó ferunt barbara nomina, ipso etiam penè timenda sono. O delicate, cũ accedis choraules & citharœdos, pone te in auribus, cum uero Philosophos, auoca à sensibus, redeas ad te ipsum in animi penetralia mẽtisq; secessus. Assume illas Thianei aures, quibus, cum omnino non erat in corpore, non terrestrem Marsiam, sed Appollinẽ cœlestem, diuina citharа uniuersi melos ineffabilibus temperantem modis, exaudiebat. His auribus Philosophorum uerba si delibaueris, mellea tibi ad Nestoris inuidiam esse uidebuntur. Sed hæc sinamus, nimio plus assurgentia: profecto fastidire in Philosopho subtilissime disputante minus concinnam elocutionem, non tam delicati stomachi est, q̃ insolentis. Neq; est aliter ac si quem in Socrate de moribus docente offendat, aut laxus calceus, aut toga diffidens, & sectum praue stomachetur ob unguem. Non desiderat Tullius eloquentiã in Philosopho, sed ut rebus & doctrina satisfaciat. Sciebat tam prudens q̃ eruditus homo nostrum esse componere mentem, potius q̃ dictionem, curare ne quid aberret ratio, nõ oratio, attinere ad nos ϕ̃ διαθέσει λόγου, non attinere τὸν ϕ̃ προφορᾷ. Laudabile in nobis habere musas in animo, & non in labris, ne quid in illo uel per iram sonet, uel per libidinem eneruatius. Denique ne qua sit discors à genuina ipsa, qua temperatus est modulabiliter harmonia, quam Plato cũ intelligeret theatrali ista, & Poetarũ sæpe corrumpi, à Repub. sua Poetas omnes

Hæc omnia diluuntur oppoſito argumento neceßitatis Neceſſe èſt enim Socratis orationem intelligi.

omnes eliminauit, gubernandam autem Philosophis reliquit: mox certe si per lasciuiam differendi Poetas fuerint imitati, exilio cõdemnandis. At instabit Lucretius, & si non egeant per se Philosophiæ commentationes amœnitate dicendi, per eius tamen adhibitionem dissimulandam esse ipsarum rerum austeritatem. Sicut absynthia per se pellunt morbos, melle tamen illinuntur, ut puerorum ætas improuida ludificetur. hoc fortè tibi faciẽdum erit ò Lucreti, si pueris scribebas tua, si uulgo, faciendum utiq; tibi, qui non absynthia modo, sed meracissima toxica propinares. Sed longe alia nobis habenda ratio, qui uulgus, ut ante diximus, non allectare quærimus, sed absterrere, nec tetra absynthia, sed nectar propinamus. Sed contendet Lactantius, satis constare, in auditorum animos, uel seniorum influere potentius ueritatem & ui sua instructam, & luce orationis ornatam. Si fuisses ò Firmiane tam frequens in sacris literis, quàm in fictis litibus fuisti, & hoc non dixisses, & nostra non minus bene fortasse confirmasses quàm destruxeras aliena. Dic quæso, quid mouet fortius, & persuadet, q̃ sacrarum lectio literarum? Non mouent, nõ persuadent, sed cogunt, agitant, uim inferunt legis rudia uerba & agrestia, sed uiua, sed animata, flammea, aculeata, ad imum spiritum penetrantia, hominem totum potestate mirabili transformantia. Periclis orationibus elaboratis, & luculentis nihil se commoueri inquit Alcibiades, Sed Socratis uerbis nudis & simplicibus, addit etiam si sint inepta, rapi in furorem, extra se poni, & uelit nolit, faciendum ei, quod ille præceperat. Sed quid perdo uerba in re confessa? si non desipit auditor, à fucato sermone, quid sperat aliud quàm insidias?

De sermone sacrarum literarũ respondetur numero 7

Tribus maxime persuadetur, uita dicentis, ueritate rei, sobrietate orationis. Hęc sunt Lactanti, quę Philosopho fidem cõciliant, si bonus fuerit, sit ueridicus, si id genus dicendi appetens, quod non ex amœnis musarũ syluis, sed ex horrendo fluxerit antro, in quo dixit Heraclitus latitare ueritatem. At dicet quispiam: Age amice examinemus hęc deposita contentione. Reuerendum quoddam, & per se diuinum est sapientia, nec exotico quoq; eget ornatu. Sed quæ inuidia & hunc accedere? Quis negat, quæ per se decent, si adornentur fieri decentiora? Ego amice hoc in plerisq; nego, adeo multa sunt, quorũ splendorem, si quid adiunxeris, elumines, & non illustres. Ita sunt scilicet in sua natura optimo statu, ut demutari ab illo nisi in peius non possint. Marmorea domus picturam non recipit, si opus albarium superinduxeris, demas de dignitate, de pulchritudine. Non aliter & sapientia & quæ tractantur à Philosophis tectorio nõ clarescunt, sed offuscantur. Quid plura? Nonne uulgatum bonas formas cerussa deuenustari? In uniuersum quicquid pulchri superimponas, cælat, quod inuenit, quod affert secum illud ostentat. Quare si quod prius fuerat, aduentitio præstat, iacturam fecerit illud quicquid est, non lucrum. Ob eam causam nudam se præbet Philosophia, undiq; conspicuã, tota sub oculos, sub iudiciũ uenire gestit, scit se habere, unde tota undiq; placeat. Quantum de ea ueles, tantum de forma ueles, tantũ de laude minuas: synceram & impermixtam se haberi uult, quicquid admisceas, infeceris, adulteraueris, aliam feceris, statim puncto infectili, & individuo. Quapropter nec ludendum tropis, nec uerbis aut nimis luxuriandum, aut translatis lasciuiendum, aut factitijs audendum, in re tam seria

Coaceruat alias similitudines, quæ idem peccant quod superiores, in omnibus enim est falsa hypothesis, quod elocutio sit nõ necessarius cultus.

tam seria, tanti discriminis, in qua demere, addere, demutare sit flagitium. At, inquies, age damus hoc uobis, ut non sit uestrum ornate loqui, sed uestrum est certe, quod nec præstatis, ut Latine saltem, ut si non floridis, suis tamen uerbis res explicetis. Non exigo à uobis orationem comptam, sed nolo sordidam, nolo unguentatam, sed nec hircosam. Non sit lecta, sed nec neglecta. Non quærimus ut delectet, sed querimur quod offendit. Bene habet, iam scilicet ad nos deficis. Sed amabo incognoscamus, quid istæc sit Latinitas, quam solam dicitis debere Philosophos, & non persoluere, si dicendo incurrat, exempli causa: A sole hominem produci, causari hominem nostrates dicunt. Clamabis actutum, hoc nõ est Latinum, huc usq; uere, non est Romane dictum, hoc uero uerius, igitur non recte, peccat argumentum. Dicet Arabs eandem rem, dicet Aegyptius, non dicent Latine, sed tamen recte. Aut enim nomina rerum arbitrio constant, aut natura: si fortuito positu, ut scilicet, cõmunione hominum in eandem sententiam conuenientes, quo sanxerint unumquodq; nomine appellari, ita apud eos recte appelletur, quid prohibet hosce Philosophos, quos nuncupatis barbaros, conspirasse in unam dicendi normam apud eos non secus sanctam, ac habeatur apud uos Romana? Illam cur rectam non appelletis, appelletis uestram, nulla est ratio, si hęc compositio nominum tota est arbitraria. Quod si dignari illam Romani nominis appellatione non uultis, Gallicam uocetis, Britannicam, Hispanam, uel quod uulgares dicere solent, Parisiensem. Cum ad uos loquentur, continget eos pleraq; rideri, pleraq; non intelligi. Idem accidet uobis apud eos loquentibus; ἀνάχαρσις πρὸ ἀθηναίους σολοικίζει

IX.

Ratio ab origine sermonis q. uerba non constent natura, breuissime diluitur numero 10.

X. Dictũ de Anacharsi diluitur numero 2.

σολοικίζει. ἀθηναῖοι δὲ παρὰ σκύθαις. id est: Anacharsis apud Athenienses solœcismũ facit: Athenienses apud Scythas. Quod si nominum rectitudo pendet ex natura rerum, debemus ne Rhetores, an Philosophos, qui rerum omnium naturam soli perspectam habent & exploratam, de hac rectitudine consulere? Forteq; aures respuunt, utpote asperula, acceptat ratio, utpote rebus cognatiora. Sed quid oportuit nouare eos linguam, & si nati erant inter Latinos, non Latine loqui? Non poterant illi ò Hermolae dum legebant in cœlo fatorũ leges, euentorum notas, ordinem uniuersi, legebant in elementis nascendi uices, & obeundi, simplicium uires, mixtorũ temperaturas: Non poterant inquam eodem tempore in Cicerone, in Plinio, in Apuleio Romanę linguę proprietates, leges, obseruantias adnotare. Quærebant quid abhorrens, quid receptum in natura, quid à Romanis interea non curabant. Verum enimuero iam te loco meliore statuo. Do tibi, eloquentiam, & sapientiam mutuo nexu inuicem conspirasse. Abiunxerũt Philosophi sapientiã ab eloquentia, abiunxerunt Historici, Rhetores, Poetæ, quod deflet Philostrates, eloquentiã à sapientia. Hos tu uicturos celebri fama minime dubitas, illos nõ nisi in pœnam & contumeliam. uide quid agas, indisertam mauult Cicero prudentiam q̃ stultam loquacitatem. Non quærimus in pecunia, qua moneta percussa sit, sed qua materia constet. Nec est, qui purum aurum non malit habere sub nota Teutonũ, q̃ sub Romano symbolo factitium. Peccant qui dissidium cordis & linguæ faciunt, sed qui excordes tota sunt lingua, nonne sunt mera (ut ait Cato) mortuaria glossaria? Viuere sine lingua possumus, fortè nõ commode: sed sine corde

XI. Recriminatio q̃ Oratores sapientiã repudiauerint, diluitur numero 12.

Hæc in genere diluuntur, opposito argumẽto necessitatis, Oportet esse certũ

corde nullo modo possumus. Non est humanus qui sit insolens politioris literaturæ. Non est homo qui sit expers Philosophiæ. Prodesse potest infantissima sapientia. Insipiens eloquentia, uti gladius in furentis manu, non obesse maxime non potest. Ergo, inquies, & statuę non ā figura, sed à materia cōmendantur. Etsi Cherilus eadem quæ Homerus, & de ijsdem Meuius, ac Virgilius ceciniſſent, futurū erat, ut ęque illi atq; isti inter Poetas reciperentur. Nonne uides disparilitatem similitudinis? Illud & nos asseueramus, à specie rem æstima, non ex subiecto. Est enim à specie res id quod est: Sed alia specie quispiā inter Philosophos, alia inter Poetas recipiendus. Scribat Lucretius de natura, de Deo, de prouidentia. Scribat de ijsdem ex nostris quispiam, scribat Ioannes Scotus, & quidem carmine ut sit ineptior. Dicet Lucretius rerum principia, atomos, & uacuum, Deum corporeum, rerum nostrarum insciū, temere omnia fortuito occursu corpusculorum ferri. Sed hæc Latine dicet & eleganter, dicet Ioannes, quæ natura cōstant, sua materia specieq; constitui, esse Deum separatam mentem, cognoscentem omnia, omnibus consulentem. Nec propterea q̄ uniuersa etiam infima uideat, ac moderetur, è sua pace minimū dimoueri, sed quod dici solet κατίουσι μὴ κατιέναι. At dicet insulse, ruditer, non Latinis uerbis. Quęso quis in dubium reuocet, tam rectius Scotum Philosophari, quàm ille loquitur ornatius? Sed uide quid differāt: huic os insipidū: illi mens desipiens, hic Grammaticorum, ne Poetarum dicam, decreta nescit: ille Dei atq; naturæ: hic infantissimus dicendo sentit ea, quæ laudari dicendo satis non possunt: ille fando eloquentissimus loquitur nefanda.

genus sermonis quod intelligi queat.

XII. *Collatio Lucretij & Scoti reprehenditur numero 11.*

Conclusio. Hæc illi fortasse afferent Hermolae charissime in defensionem suæ barbariæ, aut qua sunt subtilitate, multo fortasse meliora, quorum sententiæ nec ego planè accedo, nec ingenuo cuiquã & liberali accedendum puto. Sed exercui me libenter in hac materia, tanquam infami, ut qui quartanam laudant, cum ut ingenium periclitarer, tum hoc consilio, ut veluti Glauco ille apud Platonem iniusticiam laudat, non ex iudicio, sed ut ad laudes iusticiæ Socratem extimulet. Ita ego ut eloquentiæ causam à te agi audiam, in eam licentius, repugnante paulisper sensu atq; natura, inuectus sum, quam si uel negligendam Barbaris existimarẽ, non ab illis ad eam, quod nuper feci, ad Græcas literas, ad tuũ nunquam satis laudatum Themistium penè totus defecissem. Quamuis, dicam libere quod sentio, mouent mihi stomachum Grammatistæ quidam, qui cum duas tenuerint uocabulorum origines, ita se ostentant, ita uenditant, ita circumferũt iactabundi, ut præ se ipsis pro nihilo habendos Philosophos arbitrentur. Nolumus, inquiunt, hasce uestras Philosophias: Et quid mirum, nec Falernum canes. Sed nos hac fini epistolam claudamus: Si decus aliquod, no menq; sibi promeruerunt Barbari illi, sola rerum cognitione, non esse facile dictu, quem locum, quid laudum tu tibi uindices, qui sis inter Philosophos eloquentissimus, inter eloquentes, ut dicam Græce, φιλοσοφώτατος. Florentiæ tertio Nonas Iunias, 1485.

πάθος diluitur oppositaalia iustiorecausa indignationis.

Hermolaus

HERMOLAVS BARBARVS
Ioanni Pico S.D.



Vm uiderem te incredibili quodam ſtudio omnium optimarum artium flagrantem, ad uſitatam doctrinam tua ſponte uterem Philoſophiam atq; eloquentiam adiungere, ſcripſi nuper ad te barbaros Philoſophos uituperans, uel ut te ad meliora ſtudia incitarē σπουδογλα, ut dici ſolet, uel ut gratularer ad optima tendenti. Itaq; cum tuum mihi de ſtudijs iudicium non ſit ignotum, & ſi literæ quas modo ad me dedifti, à mea ſententia diſſidere uidentur, tamen adeo mihi non fuerunt ingratę, ut magnę etiam uoluptati fuerint, eo quod non obſcuram tuæ erga me beneuolentiæ ſignificationem habent. Non enim dubito, quin ſingulari erga me amore adductus, mecum de cōmunibus ſtudijs ludere uolueris: neq; enim diſſimulas, eo te iſta ſcripſiſſe, ut me ad eam rationem, quam probo, magis ornandam excitares. Vtinam uero Pice tam facile id poſſim, quàm facile erat Socrati Glauconis orationem, qui iuſticiam uituperauerat, refellere. Sed hoc noſtrum certamen inique comparatum eſt. Etenim cum eloquentia ſummis eloquētię uiribus abs te accuſetur, patronus ei dandus erat, non inferior eloquentia accuſatore. Ego autem & copia & ornamentis orationis omnibus abs te longe ſuperor. Quare optarim te hanc tuam uim atq; ubertatē in altera parte experiri maluiſſe. Nam mihi, ut ſcis, bellū eſt alioqui ἀσπονδον cum hoſtibus rectorum ſtudiorū, qui & ſi hoc armorum genere quo tu uteris, non ſunt inſtructi, tamen acerrime pugnant odio, pertinacia, & malis artibus omnis

Exordium de uolūtate Pici.

Querela de difficultate.

Votū, optandum ut Picus potius defenderet eloquen

tiã, quia Hermolao satis negocij faciant alij hostes.

bus omnis generis. Hos non uelim uel autoritate nomi nis tui armari, uel armis tuis aduersus præstantissimas artes instrui. Quod si tuas copias nobiscum coniunxeris, confirmare ausim, nos breui te uelut Camillo duce, rem Romanam, depulsis barbaris recepturos, ac suum artibus decus reddituros esse. Ego tamen ne modo aut tuæ uoluntati, aut causæ publicæ desim, breuiter ad ea quæ scribis respondebo. Nam si tantam causam complecti totã uellem, multis uoluminibus res agenda esset. Quæ enim materia locupletior existere potest, q̃ dicere de dignitate atq; utilitate eloquentiæ? quantum in religionibus ac reliquis artibus errorum hac una ex re extiterit, quod dicendi exercitationes neglectę atq; intermissę sunt? Deinde quod fuerit argumentum uberius, q̃ si collatio instituereture ueteris Philosophiæ, & huius nuper natæ sycophanticæ, quam barbari isti pro Philosophia profitentur? Atq; hęc, si quando rursus ocium mihi Res pub. concederet, instituere decreui. Nunc diluam quædã præcipua argumenta tuæ epistolæ, non tanquam cum aduersario dimicans, sed ἄνευ παθῶν, uelut tecum confabulans. Cum autem in oratione tua duo sint loci præcipui, nam & absolutam rerum scientiam barbaris tribuis, & cõtendis iure eos eloquentiam aspernatos esse, sequar tuum ordinem, ut ὕστερον πρότερον. De eloquentia dicam antea, quam eo dicis in Philosophis non esse requirendam, quia tantum sapientiæ cum eloquentia dissidium sit, ut coniungi utranq; nefas sit. Quis non uidet te in materia noua atq; absurda ludere uoluisse? Nã cum hæ duæ uirtutes hominis propriæ sint ac summæ, mente res bonas perspicere ac uidere, easq; dicẽdo explicare & ostendere alijs posse, paradoxũ affers initio orationis

Exaggerat causæ magnitudinem.

Partitio quæ sit summa controuersiæ.

Propositio.

Confutationis propositio, absurdum est & contra naturã quod negat sa

tionis tuæ, quod cum ipsa natura pugnat, nefas esse sapientię eloquentiam addere. Nam usus sapientię planè nullus fuerit, nisi sapienter deliberata atq; cogitata communicare alijs possimus. Quod cũ sine magna quadã copia & uarietate orationis fieri non queat, uirtutes Pice quas natura maximarum utilitatum causa copulauit, distrahis. Atqui sapientissimus Poeta Homerus utriusq; uirtutis laudem ei uiro tribuit, in quo sapientissimi Principis exemplum pingebat. Inquit enim de Vlysse:

σοὶ δ' ἔνι μὲν μοσφὴ ἐπέων, ἔνι δὲ φρένες ἐσθλαί.

Atq; idem Poeta Nestori tribuit orationem melle dulciorem, cuius in dicenda sententia sapientiam ita prædicat Agamemnon, ut magnopere plures sibi consiliarios istius similes optet. Quod si nefas est, ut tu defendis, coniungere hæc, quid dices, eloquẽtes omnes sine mente, sine pectore esse, stultos fuisse omnes, quorũ eloquentia laudatur? Vlyssem, Nestorem, deinde Principes illos Rerumpub. qui suo consilio, autoritate, oratione, maximas res gubernarunt, Solonem, Periclem, Demaden, Demosthenem, Ciceronem, Cęsarem, Octauium? & innumerabiles alios, quos, si nulla societas est sapientiæ cum eloquentia, condemnas stulticiæ omnes: Constat enim hos fuisse eloquentissimos. Quid de Philosophis ueteribus iudicandum erit? Dicemus ne hos fuisse indoctos, quia non sunt confuse, sordide, atq; inquinate locuti? Platonis tanta est eloquentia, ut Græci dixerint, Iouem, si uelit de rebus diuinis differere, usurum esse Platonis oratione. Tanta est enim copia, tanta grauitas, tantus splendor uerborum & sententiarum, ut uerius diuina q̃ humana uox existimari debeat. Aristotelis oratio & si breuior est, tamen & propria & pura est, & ita abundat suis

pientiæ addendam esse eloquentiam.

I. *Ratio ex natura conuersionis: Si nulli sapientes debent esse eloquentes, ergo nulli eloquentes fuerunt sapientes, quod est falsissimũ.*

dat ſuis quibuſdam luminibus, ut Cicero eam dixerit, ſimilem eſſe flumini aurum uehenti, & interdum adeo dulcis eſt, nihil ut poſſit cogitari dulcius. Vide autem, q̃ ſit iniuſtum, adimere ſapientiam ſummis illis Principibus & Rerumpub. & doctrinæ. Per me equidem liberum eſt tibi, et amare et mirari ingenia barbarorum: Sed ſi hoc concedi poſtulas, ut præferamus iſtos ſummorum hominum ingenijs, nullam aliam ob cauſam, niſi quia ſpurce locuti ſunt, etiam atq; etiam uidendum tibi erit, ut ſententiam non ſolum abſurdam, ſed penè crudelem auditu, uerecunde tueri poſſis. Ac fortaſſis aliquam excuſationem res haberet, ſi ſine contumelia eloquentiæ barbaros defenderes, ac tribueres eis ſuam quandam laudé diligentiæ ac prudentiæ, in rebus inquirendis ac iudicandis, et fatereris defuiſſe aliquid uel ipſis uel temporibus. Quid enim mirũ eſt, deſiderari aliquid in hominibus, cum pauciſſimi ſint artifices boni omnibus ætatibus, etiam in leuioribus artibus, tantũ abeſt, uti hoc ſummo genere pariter excellere poſſint omnes. Sed tu ita defendis iſtos, ut eloquentiam ipſam inſecteris, & planè indignam bonis ac ſapientibus uiris eſſe contendas. Itaq; & ſi poſtea oſtendam non ſolum dicendi rationem barbaris defuiſſe, ſed etiam alia, quæ tu tribuis: tamen nunc nihil de iſto genere ſcriptorum dicam, ipſius eloquentiæ patrocinium ſuſcipiam. Tota enim oratio tua non tam defenſio eſt barbarorum, quàm eloquentiæ uituperatio. Diſputas enim eloquentiam eſſe accerſitum ornatum et fucum, qui adhiberi ſoleat aut uoluptatis cauſa, aut etiã ad fallendos homines. Rhetorum dicis eſſe mentiri, circumuenire, & neſcio quibus præſtigijs animos decipere. Si non intelligunt iſti tui ſcriptores, aliud eſſe eloquentiam

Reprehenditur forma defenſionis qua Picus uſus eſt, & alia probabilior oſtenditur.

Diluit ſecundam rationem Pici, in qua Picus errat in definitione, ſeu fine eloquentiæ. Itaq; op-

quentiam, quàm huiusmodi fucum, planè iam detrahenda erit eis Philosophiæ cognitio, quam præcipue sibi arrogant. Non enim perspiciunt, eloquentiam peculiarem uim ac uirtutem esse, utilitatis alicuius causa datam hominibus: deinde non recte definiunt, quod Dialecticis, quales se esse profitentur isti, turpissimum est. Nam eloquentia non est, ut isti somniant, accersitus cultus, sed est facultas proprie ac dilucide explicandi animorum sensa atq; cogitationes: qua in re etiam dignitati ac ueritati seruiendum est, ut apta & recta dicantur, & ut amplificentur res magnæ, & eleuentur ea quæ abijci prodest. Itaq; ut pictoris finis est, uere ac proprie imitari corpora, quod quàm difficile sit consequi, nõ est obscurum experienti. Neq; ars tantum, sed etiam magna colorum uarietas atque distinctio ad id requiritur. Ita Rhetoris, siue ita uocari mauis, eloquentiæ finis est, ipsas animi cogitationes quasi pingere & repræsentare proprio & perspicuo sermonis genere: qua in re cũ elaborabit, magna ei uarietate quasi colorum, uerborum, sententiarum, & figuratum, deniq; etiam arte quadam opus erit, ut ego quidem statuo, multo maiore quàm consummati & perfecti pictoris ars esse potest ulla. Tota igitur nobis de definitione controuersia est, quid sit eloquentia, aut certe de fine, quem ad usum hominibus eloquentia concessa sit. Hac de re, ut omittã ea quæ sunt apud Rhetores, cõmunem sensum consulito, aut certe Philosophorum Principes, Platonem & Aristotelem, quorum alter in Phædro, sapienter & copiose disputat, & quid sit eloquẽtia, & q̃ necessaria sit ad diuinas & humanas res explicandas. Quanquã haud scio an barbari isti ne locum quidem dent Platoni inter Philosophos. Sed Ari-

ponitur hic uera definitio.

Estq; locus cõmunis, quid sit eloquẽtia, seu quis sit eloquẽtiæ finis. Et *hinc ratio efficitur cõtra Picum, quod eloquẽtia necessitatis causa colenda sit.*

Similitudo eloquentiæ & picturæ.

Probat definitionem autoritate Platonis et Aristotelis.

Sed Aristoteles in Rhetoricis eadem scribit. Definiunt igitur eloquentiam hi Philosophorum Principes, uim esse diuinitus hominum generi cõcessam, ut de magnis & necessarijs rebus, de religionibus, de rerũ cœlestium atq; aliarum natura, de iure ac iusticia, de omni uirtutis officio, proprie & perspicue docere alij alios possint. Nec sine causa dictũ est, homines antea dispersos ac uagabundos in agris, eloquentia congregatos esse, ciuitates conditas, iura, religiones, legitimas nuptias, & cætera societatis humanæ uincula constituta esse. Hæc enim profecto tenentur oratione in ciuitatibus. Hanc uim diuinam, tã necessariam humano generi, nihil putemus esse, nisi ludum ac præstigias, quemadmodum scribis? Ego uero non dubito ingratitudinis atq; impietatis accusare omnes, qui eloquentiæ beneficia nõ agnoscunt. Atq; illi ipsi Philosophi, quorum sequor autoritatem, admonent in obscuris & grauibus causis explicandis opus esse, non solum prudentia magna, quæ res bonas peruidet, sed etiam uia quadam & ratione docendi, & genere sermonis, quod res de quibus dicimus plane exponere & subijcere oculis hominum possit. Itaq; duas artes constituerunt inter se cognatas, Dialecticen ac Rhetoricen: quarum altera docendi uiam monstret, altera doceat, quo uerborum genere res exponendæ sint. Quis autẽ nõ uidet hęc inter se natura coniuncta esse? Quæso enim, si de religionibus docendi sunt homines, si in iudicijs res obscuræ & intricatæ iudici demonstrandæ, num hæc fieri, primũ sine uia docendi, deinde sine magna copia, uarietate, ac luminibus orationis existimas? Erras, si doceri posse homines credis hoc genere disputandi, quo isti barbari in scholis utuntur, quod nõ solũ populus,

Duæ artes ad eloquentiam pertinentes, Dialectica & Rhetorica. Iã si hæ artes necessariæ sunt, Est igitur eloquentia necessaria.

Occupatio: At barbari

populus, sed ne ipsi quidem initiati, ut ita dicam, inter sese intelligunt. Etenim non solum genus uerborum nouum est, & ignotũ populo, sed ita confusa sunt omnia, ut uelut in labyrintho neq; initia, neque exitus rerum deprehendi possint. Et subinde fingunt noua ac prodigiosa somnia, & uerborum portenta, quibus cũ res nullæ subsint, intelligi nihil potest. Falsum enim est ut Philosophi dicunt ἀκατάληπτον. Itaq; sæpe cum inter se rixantur, uidere licet ipsissimam imaginem illius iudicij, de quo est prouerbium: Λυσκώφῳ Λύσκωφος ἐκεῖνος. Et quoniam quædam picturæ, atq; eloquentiæ similitudo est, ut enim pictura imitatur corpora, ita oratio pingit ac reddit animi sententias, libenter ab illa arte mutuamur exempla. Quæso te, num eiusmodi picturam probare possis, in qua formæ confusę ac monstrosę nihil certi significant aut ostendunt spectatori? Talem tabulam quis posset æquo animo aspicere? Simillimum autem est huic picturę, genus dicendi in barbaris. Sed ut illius monstrosæ picturæ nullus est usus, ita hæc obscura oratio, quàm habet utilitatem in Repub. in docendis hominibus, in regendis & explicandis religionibus, in iudicijs exercendis, deniq; in hac tota uita publice ac priuatim gubernanda? Quare constituamus id quod res est, elocutionem non esse inanem cultum, sed necessarium ad causas omnis generis uere ac proprie explicandas. Ac Rhetoris esse, nõ ut tu dicis, ludere ac mentiri, sed de maximis rebus uere docere homines, qui etsi interdum in difficilibus causis, figura aliqua utuntur, & ut tuo utar uerbo, decipiunt auditores, id non minus ad officium eius uiri pertinet, qui domi Respub. gubernat, q̃ ad Imperatorem pertinet arte hostes circumuenire. Hunc

non sunt muti. Hic contra contendit barbarorum sermonem inutilem esse ad docendos homines. Atq; hæc ratio σύνεχον argumentorum Hermolai: Ideo eloquentia est necessaria, quia sermo, nulla adhibita ratione & arte nõ intelligitur.

Probat simili proximam occupationem.

Conclusio definitionis & cõtinet rationẽ, quod eloquentia necessitatis causa requiratur.

enim uirum, qui de bonis ac neceſſarijs rebus recte, dilu cide, & cum dignitate quadam docet homines, Orato rem nos uocamus: quem tu Philoſophum uelis uocari, nondum ſatis intelligo. Equidem Philoſophum uoco eum uirum, qui cum res bonas atq; utiles humano gene ri didicit ac tenet, doctrinam ex ſchola atq; umbra ad uſum & Rempub. transfert, docet homines aut de natu ra rerum, aut de religionibus, aut de regendis ciuitati bus. Deinde ut maxime Oratorem tantum reijcias in forum, tamen eas Philoſophiæ partes illi quos tu defen dis, ſuſceperunt, quæ ſine eloquentia lumen habere nul lum poſſunt. Primum enim & ſi non eſt una orationis forma, tamen ſi animorũ noſtrorum cogitationes alijs communicare uoluerimus, utendum erit certo quodam genere ſermonis, quod uerbis notis & recte iunctis inte gre atq; ordine res, de quibus dicimus, exponat. Id com mune eſſe debet in omni orationis forma. Nam etiam il læ artes quæ propemodum uideri mutæ poſſunt, Arith metica & Geometria, tamen non poſſunt percipi, niſi proprijs uerbis, & uia ac ratione quadam tradantur. Cæ teræ uero partes, Phyſicę, Ethicæ, & Theologicæ mate riæ, erui atq; illuſtrari ſine eloquentia & ſine ijs artibus, quas eloquentia continet, nullo modo poſſunt. Porro tui illi Magiſtri, Thomas, Scotus, promittunt nobis per fectiſſimam doctrinam de religione, deq; omnibus uitæ officijs, quid pręſtent, poſtea dicam, nũc tantũ de gene re orationis diſputo. Quid autem poteſt fingi ſtultius, q̃ quod ſine eloquentia Eccleſiarũ Doctores ac uitę duces perhiberi uolunt, ac ne quidẽ quid ſentiant, oſtendere poſſunt? In ſingulis artibus quædã propria ſunt artificũ uocabula. Quare Philoſophis ac Theologis etiam ſua quædam

A definitione Philoſophi, q̃ eloquentia neceſſaria ſit.

A profeſſione illorũ ſcriptorum, quos Picus uocat Philoſophos.

quædam uocabula ut architectis ac pictoribus concedi æquum est. Sed interim reliquus sermo constare usitatis ac notis uerbis debet, oportet & in iungendis uerbis imitari consuetudinem. Hæc non fiunt apud istos. Deinde non solum habent errata Grammatica, sed neq; sententias absoluunt, neq; iudicium, neq; ordinem in explicando adhibent. Postea amissa loquendi diligentia, rerum etiam iudicium amiserunt. Finxerunt enim unà cũ monstrosis uocabulis inexplicabilia somnia, quibus uniuersam Philosophiam ac Theologiã obruerunt: ita istorum doctrina uere sunt, ut Græci dicunt, πάντα μία κόνις. Quare nõ solum populus, sed ne ipsi quidem, quod est uel maxime ridiculum, suas disputationes intelligũt, ac solœcizant, nõ ut Anacharsis Athenis, ut tu dicis, sed in suis scholis. Venio nunc ad aceruũ similitudinũ tuarũ, quę detrahunt Philosophię, non ut tu ratiocinaris, eloquentiam, hoc est, uerũ colorem orationis, sed ineptum ornatũ. Virginẽ nõ decet fucus, ac nec monstrosa facies decet. Quid autẽ monstrosius est barbarorũ oratione? Nam ea oratio quę est optima, natiuus sententię color est. Aliena, confusa, & perturbata oratio, deformat & corrũpit sententias, ac ne effingit quidẽ, quod debebat esse orationis officiũ propriũ. Sed sermonẽ, inquis, non aspernor, ornatũ nõ requiro, ut in matrona, simplicẽ cultũ probamus. Ne Cicero quidẽ plus requirit à Philosophis, q̃ purũ sermonẽ, apte ac dilucide res explicantem. Sed hęc facultas hoc modo dicẽdi, & pręcipua eloquentię pars est, & ab arte plurimũ sumit: Requirit enim summam prudentiam in rebus inuestigandis atq; collocandis, copiam uerborũ ampliſſimã, iudiciũ acerrimũ in delectu. Nam cũ duę sint propemodũ orationis formę,

II. *Retorquet dictum de Anacharsi.*

III. *Diluit similitudines, ex definitiõe supra tractata, et ex descriptiõe generum dicendi. Contendit autẽ eloquentiam etiam in simplici genere orationis esse, quia id quoque magna arte constat.*

tenuior altera, altera grandior, non ita multum posterior dissimilis est priori, nisi quod figuris ludit frequentius, & amplificationes crebrius adhibet. Itaq; priorem formam, quæ uerecundior est, disputationibus putant accommodatiorem esse, etsi in tanta rerũ uarietate, multa in Philosophia incidunt, de quibus etiam grandiore quodam sono dicendum est, ut propius aspici rerum magnitudo possit. Itaq; & si Aristoteles & Cicero in disputationibus priore genere utantur, tamen interdum assumunt etiam alteram formam, qua quidem Plato ubiq; propemodum utitur. Porro si Philosophiæ etiam priorem illam formam detrahes, planè mutam reddideris. Quid enim explicare poterit, si ne proprio quidem & perspicuo genere orationis utetur? Neq; uero quisquam sine optima doctrina, sine acerrimo studio, sine longa exercitatione, illud ipsum genus, quod indocti omnibus in manu esse falso putant, consequi poteſt. Pictorem memini nostrę ætatis Apellen, cum mihi cupide audienti commemoraret & adolescentiæ studia, & quem sibi postea scopum artis proposuisset, quo quasi directam manum haberet, dicere, se adolescentem in pictura mirificam quandam ac penè prodigiosam uarietatem amasse gestuum atq; ornamentorum omnis generis, Nunc senescentem, consulere naturam, in hanc intueri, ut eam quàm proxime & proprijssime exprimeret, neque se quod cuperet, assequi, quia hac proprietate nihil difficilius sit. Neq; uero facilius est negocia uerbis proprijs, quàm naturam coloribus pingere. Itaque Horatius significat quantum hæc res habeat difficultatis, cum ita iubet scribere: ut sibi quiuis

Speret idem, sudet multum, frustraq; laboret

Ausus

Exaggerat difficultatẽ illius simplicis formæ orationis, quã Cicero tribuit Philosophis.

Ausus idem: tantum series iunctura q; pollet:
Tantum de medio sumptis accedit honoris.

Atq; ego ita statuo, magnos Oratores qui Respublicas gubernauerunt, quos accepimus præmetientes dicendi pericula, incredibili quodam metu ad dicendum accessisse, non de cæteris ornamentis, sed de hac propria rerum explicatione sollicitos fuisse, quam experiebantur esse difficilimam. Periclem aiunt, cuius tanta fuit eloquentia, ut tonare ac fulminare dictus sit, cum ascendit in concionem, precari solitum, ne quod sibi uerbum excideret, quod causæ obesset. Sæpe etiam Cicero significat se cum timore summo ad dicendum accedere, cuius rei uel hoc argumentũ esse potest, quod aliquando ita lætatus est, iudicij die prorogato, quo ei de causa difficili dicendum erat, ut seruum id renunciantem, libertate donauerit. Vidi ipse homines eloquentissimos, natu grandes, cũ dicere iussi essent, toto corpore perhorrescere. At qua de re angi putemus homines peritissimos: nũ de floscul is orationis, aut accersito cultu, ut tu iudicas? Imò uero de propria rerum explicatione solliciti sunt, ne quid excidat quod dici refert, ne quid alieno loco dicatur, ne incurrant in uerba, quæ officiunt aut causæ aut ipsorum existimationi. Deniq; innumerabilia pericula sunt. Hoc minimi negocij est hominibus copiosis atq; exercitatis, insignes aliquas figuras addere. Præcipuus ornatus est ipsa rerum propria explicatio, ut in pictutis iusta corporum lineamenta. Et tamen sæpe magnitudo rerũ postulat, aliquid uel attolli uel abijci, quod etiam facere natura cogit tuos illos barbaros. Vides enim in illorum scriptis & sermone crebras amplificationes, sed Dij boni, quàm insulsas. Quanto uerior & aptior dicerent

cerent, si studium hoc non essent aspernati? Demus igitur Philosophis uerecundam orationis formam, modo ut res dilucide uerbis notis, recte iunctis, ordine distributis, integre explicet: Bene olere mulierem ait Plautus, quæ nihil olet. Talis oratio etiam delectat sana ingenia, & non solum in scholis ac disputationibus laudem habet, sed etiam in foro multi hac una forma contenti fuerunt.

Et talem nobis Oratorem Homerus Menelaum describit, quem ait solitum dicere:

ϖαυρὰ μὲν ἄλλὰ μάλα λιγέως ἐπὶ ὃ ϖολύμυθος οὐδ' ἀφαμαρτοεπής.

Tribuit enim ei proprietatem, & suauitatem. Has uirtutes consequi Philosophum, si uelit intelligi, oportet. Quantum autem, ò Dij, absunt ab illo Homerico Menelao uestri barbari, qui cum ea de re, quam suscipiunt, uix unquam quid quam dicant, quod faciat πρὸς ἔπος, tamen plerunq; extra causam sunt loquacissimi, & ineptiarum pleni. At Cicero expressit nobis formam illius proprij Oratoris ac λιγέως dicentis, in libellis de natura Deorum, & alijs Philosophicis disputationibus. Expressit & eam multis in locis Aristoteles. Verum nõ est, inquis, Philosophi seruire uoluptati. Vtinam Pice adeo contemnerent Theologi tui uoluptates cæteras, ut orationis mundiciem aspernantur. Quanquam autem nulla uoluptas homine liberaliter instituto dignior est, & hæc, nulla est enim harmonia dulcior ac naturæ hominis conuenientior, quàm oratio rerum bonarum plena & compositione concinna, tamen hic non disputo, ornatũ uoluptatis, sed necessitatis causa adhibendũ esse. Non enim doceri de magnis rebus homines possunt, nisi &

IIII. *Diluit argumentũ de uoluptate.*

Opponitur argumentũ à necessitate sumptum.

niſi & genus ſermonis purum, & uia quædam, & ratio explicandi, & cętera quę in artibus traduntur, adhibeantur. Quod uero addis, Bacchanalia in Veſtæ ſacris agere Philoſophos eloquentię ſtudioſos, dicam ſimpliciter quod ſentio, ſtomachum mihi mouit. Quæ enim uoluptas eſt, contumelioſum eſſe, cum in ipſam eloquentiam, tum uero in Philoſophiæ Principes? Num Plato, Ariſtoteles, Cicero, uidentur tibi Bacchanalia agere, idq; in ſacris Veſtæ? num uidentur tibicines, quia non ſunt ſpurce locuti? Et quidem Plato longe omnes uincit, tũ Græcos, tum Latinos Oratores, copia & ſplendore orationis. Scytha quidam cum apud Græcos Muſicum audiret ſuauiſſime canentem, inquit, malle ſe audire hinnientem equum. Satis hic quidem Scythice, ſed bis Scythicum fuerit, nihil affici ſuauitate orationis ſummorũ autorum, qui Philoſophiam nobis pepererũt. Tu uero etiam furere eos dicis. Non ſatis attendis Pice quam ſuſtineas perſonam. Cum enim profitearis te Philoſophię ac ueritati patrocinari, & in Oratoribus calumnias uituperes, minime ea fide ac ſimplicitate cauſam agis tuam, quã Philoſophis tribui poſtulas. Quorſum enim pertinent tam multæ ſimilitudines tuę, undiq; collectę? quæ non ſolum extenuant eloquentiæ dignitatem, ſed planè iubent uelut peſtem fugere, niſi ut fucum lectori faciant, ne eloquentiæ dignitatem aſpicere poſſit? Quę ſo te, utrum hæc Rhetorica ſunt an Sophiſtica? Certe à uiro Philoſopho non apte dicuntur. Quid enim facies Theologis facundioribus, Paulo, Baſilio, Hieronymo? Num hi quoq; Bacchanalia agunt? Sed deſino has ſimilitudines tuas excutere, in quibus hoc commune erratũ eſt, quod elocutionem iudicas eſſe delicias quaſdam, non ad

V.

Diluit contumelioſas ſimilitudines.

Inuerſio quod Picus fucũ faciat dicendo, cũ propter eã cauſam Oratores antea uituperarit.

VI.

Concludit dilutionem ſimilitudinum unà cum generali

Solutiõe, quod non recte comparẽt eloquentiam cum accersito ornatu.

non ad utilitatem ac necessitatem comparatas, nos contra ornatum præcipuum esse, propriam rerum expositionem. Et tamen in tanta rerum uarietate, multa esse, quibus conspici eorũ magnitudo possit, nitor quidam adhibendus sit, in quo etiam necessitatem sequimur. Seruimus enim dignitati & magnitudini rerum. Neq; ego cum ornatum laudo, illa orationis flagitia probo, quæ tũ commemoras, cum de affectatis lenocinijs declamitas, qualia reprehendunt in Apuleio, qui nihil proprie dicit, sed habet perpetuas periphrases & metaphoras: Idq; peccat Philosophus. Nec multo secus barbari uestri Rhetoricantur. Quanto prudentius Rhetores? in quibus tu orationis delicias in crimen uocas, cum nulli magis aspernentur ambitiosum & inanem cultum, nulli dicant castius quàm hi, qui ad recte dicendum his exercitationibus assuefacti sunt. Ac uelut in rosis candor, ita in oratione Philosophi simplicitas quædam insit natiua. Et ut purpureæ rosæ, Veneris sanguine conspersæ dicuntur, ita ornamenta sint non prodigiosa, sed uenusta ac suauia, qualia sunt in Ciceronis disputationibus, sæpe etiam in Aristotelicis, ut uere possis dicere, Veneris sanguine, aut certe Ambrosia consperſas esse. Sed magnis exẽplis barbariem tueris. Cultus deest, inquis, in sacris literis. Verum longe dissimilis est oratio in tuis barbaris, qui planè nouum sermonis genus condiderunt. Prophetæ in sua lingua non loquuntur uitiose, & uoluerunt intelligi, quidam etiam satis ornati sunt. Danidis enim carmẽ ut in ista lingua uere Atticum est. Apostoli uerbis bonis utuntur. Paulus uero etiam adhibet in disputando artem & quædam ornamenta. Deinde cur diuinitus additum est Euangelio donũ linguarũ, si

VII.

Diluit exemplũ de sacris literis.

eloquentia

eloquentia inutilis est ad res sacras & magnas exponendas? Quid enim aliud est donum linguarum quàm eloquentia, hoc est, facultas planè & copiosè res obscuras explicandi? Atq; hic accusandi erant tui Magistri, quod cœleste donum non conseruauerunt, quod linguarum studia, quæ antea in Ecclesia colebantur, nouo doctrinæ genere oppresserunt. Pythagoram etiam allegas, qui mysteria texerit inuolucris. Fortassis illi expediebat tegere quasdam sententias, quas docebat contra publicas persuasiones. Nos uero non loquimur de archanis, quæ pro tempore occultanda sunt, sed de illis quæ efferri atque extare oportet, quæ pars multo maxima est in doctrinis. Deinde & symbola & apologos conditos interpretor, non hoc consilio ut præcepta tegerent, sed ut essent uelut morum picturæ, utiles ad excitandos animos ad admirationem: Natura enim & amamus & admiramur picturas. Sed prędicat Aristoteles sua scripta, etsi extarent, tamen non extare. Ille uero non hoc sensit, se de industria tenebras offudisse lectoribus: Nam pleriq; libri ualde perspicui sunt. Duas enim res adhibet, quæ perspicuitatem inprimis efficiunt, methodum uidelicet, & genus orationis proprium. Nec uero methodum tanta diligentia secuturus erat, si de industria res obscurare uoluisset. Verum uidit sua scripta non esse intellecturos, nisi qui liberaliter instituti essent. Eius iudicij multæ sunt causæ. Deterrebat igitur à suis scriptis homines ineptos, qui imparati ad ea irrumpebant, quo in genere non leuiter peccauerunt etiam barbari tui, qui nulla instructi liberali doctrina profitentur se Aristotelis interpretes esse. Postremo etiamsi Aristoteles interdum oneri cedens, ut fit, non satis commoratur in aliqua re

Opponit rationem firmã et grauem de dono linguarum

VIII.

Diluit exemplum de symbolis & apologis.

IX.

De Aristotele.

explicanda, non semper quid quisq; artifex effecerit, sed quid requiratur spectandum est. Quis autem est lector, qui non optet ubiq; summam esse perspicuitatem? Postremo etiam Philosophari incipis: Vocabula non natura constant, ais, sed hominum arbitrio, licuit igitur eis condere nouum sermonis genus. Quid audio? Si hoc semper licet, quomodo contrahent inter se homines? quomodo docere alij alios poterunt? Sed omitto hæc, quę leuiora sunt quàm ut diluere opus sit. Venio ad alteram partem tuæ disputationis, in qua arrogas barbaris rerũ scientiam, & quidem eloquentibus detrahis. Cum autem de eloquentia responderim, non quantum magnitudo rei postulat, sed quantum uel potui, uel Epistolæ modus patiebatur, de altero etiam breuius dicam, & si hæc disputatio multo maior ac difficilior est de toto genere doctrinæ in istis tuis autoribus. Atq; initio Lucretium & Scotum committis. Est autem iniquum cum de genere dicendi controuersia sit, materias conferre. Neq; enim adeo amens sum, ut inanem loquacitatem plutis faciam, quàm sapientiam. Verũ hoc defendo, eloquentiam ad res magnas patefaciendas necessariam esse. Deinde cur nõ opponis Scoto Theologum aliquem, uidelicet Hieronymum? Vter de Ecclesia meritus uidetur? Iste ne cuius eloquentia lumen attulit sacris libris, & pleraque dogmata diligenter explicauit? an uero Scotus, qui cum nullum dogma illustrarit, nugaciſſimas disputationes in Ecclesiam inuexit? Deinde facis inciuiliter Pice, quod barbaris ita arrogas rerum scientiam, ut præstantiſſimis ingenijs Græcis & Latinis detrahas: qua in re cũ modestiam desidero diguã Philosopho, tum uero etiam prudentiam. Vituperas quidquid est disertorũ, Poetas,

X. *Diluit argumentũ de origine sermonis*

Secunda pars controuersiæ, in qua magna ex parte rerũ scientiam detrahit barbaris.

XI. *Reprehendit collationẽ Lucretij et Scoti.*

Poetas, Oratores, & Hiſtoricos. Hos dicis omnes amplexos eſſe eloquentiam ſine ſapientia, cũ quidem hoc ad cauſam tuam nihil pertineret: Poteras enim tuis rerũ ſcientiam, ſine horũ contumelia tribuere. Sed ſic ſolent Rhetoricari, qui eloquentię ſtudia uituperant. Obſecro te, nihil putas eſſe ſapientiæ in Homero, Vergilio, in Demoſthene, Cicerone, in Herodoto, Liuio, & cæteris, qui hos in ſcribendo imitati ſunt? An non uidentur hi tibi uerius Philoſophari, cũ uel naturam rerum ſapientiſſime deſcribunt, uel ſummo conſilio pingunt imagines omnium rerum, quę uel in priuata, uel in publica uita accidere poſſunt, cum præcepta & exempla uitæ ac morum utiliſſima proponunt, quàm barbari tui, cum rixantur, utrum partes ſimul ſumptæ diſtinguantur realiter à toto, & hoc genus infinita? non enim libet recitare. Quid quod Oratores maximum uſum rerum afferunt ad ſcribendum, qui iudicia exercet atque acuit. Quare Philoſophiam apte ad uſum & ad communem uitam transferunt. Tui Philoſophi in umbra ne quidem uim præceptorum, de quibus rixantur, intelligunt. Sed longum eſſet de laudibus eloquentium ſcriptorum dicere, & non eſt neceſſarium. Facile enim iudicari poteſt, abundare eos rebus optimis & ad uitam neceſſarijs, ac ſumptis ex media Philoſophia. Redeo igitur ad barbaros, quibus equidem non detraho in uniuerſum rerum cognitionem. Ac minime uituperandos cenſeo Medicos, quorum ars exerceri ſine magna eloquentia poteſt, tametſi doceri à diſertis fœlicius queat. Deinde fontes ſunt apud Græcos, nec opinor à poſterioribus uinci Hippocratem & Galenum, aut acumine in inueniendo, aut diligentia in inquirendo, aut

Inficiatio quæ reſpõdet ad recriminationẽ, quæ detrahebat ſapientiã Oratoribus et ſimilibus.

Collatio quæ oſtendit uerius Philoſophari Oratores et Poetas, quàm barbaros Philoſophos.

ratione & proprietate in explicando. Sed non disputas proprie de Medicis. Aristotelicos & Theologos defendis, hos habes in delicijs, horũ sapientiã admiraris. Neq; ego eos in totũ doctrinę laude spolio, studium etiã et uoluntatẽ laudandã censeo. Videntur enim Philosophię studia, quæ multis seculis conticuerant, rursus excitare uoluisse. Sed si ita complecteris eos, ut inchoata studia absoluisse existimes, longe falleris. Mihi uero magna ex parte Philosophiam corrupisse uidentur, idq; ob hanc causam præcipue, quod has dicendi exercitationes neglexerunt. Itaq; non solum genus sermonis, & uniuersę doctrinę formam (est enim confusissima) reprehendo, sed etiam magna ex parte res desidero meliores. Nam cum & genus sermonis non intelligerent, & artes non transferrent ad usum aliquem, iudicio lapsi, multas absurdas opiniones genuerunt, quibus ferè uniuersam Aristotelis Philosophiam penitus obruerunt. Idq; testantur moles commentariorum, qui magna ex parte consumuntur in illis somnijs, de natura cõmuni, de hecceitatibus, de distinctionibus, de primis & secundis intentionibus, de instantibus, & similibus deliramentis. Vetus uersiculus est, τὰ μηδὲν ὠφελοῦντα μὴ πόνει μάτην. Sed hæc cum ferè sint commenticia, non solum nihil afferunt utilitatis, sed nocent etiam, non solum, quia in his dicendis temporis iactura facienda est, sed etiã quia iudicia deprauantur. Quanto satius erat præcepta simpliciter proponere, & ostendere, quem uel in iudicanda natura, uel in negocijs, uel in moribus, & communi uita usum habeant, quomodo ea transtulerint ad usum magni artifices, quid hic Poetæ, quid Oratores, quid alij magni uiri sumpserint? Quantũ flagitij est, quod illę

XIII. *Conceßio.*

XIIII. *Correctoquæ detrahit rerũ ſcientiam barbaris, & cauſam eſſe docet quod neglexerint eloquentiæ ſtudia.*

nugæ etiam ſtudia Mathematum extinxerunt? Noſti enim ſcholarum morem. Præterea uix umbra Mathematum eſt in barbarorum ſcriptis: Omnia enim planiora atq; illuſtriora ſunt apud Græcos. Itaq; excellentes noſtra ætate Mathematici, Græce diſcendum ſibi putauerunt, ut germanam Ptolemæi ſententiam, deinde ut Græcos interpretes in hoc genere conſulere poſſent. Præclare inquit Plato de Mathematum Doctoribus, facile eas artes percipi poſſe, ſi Doctor contingat idoneus. ἀλλ' ὅσ' ἂν διαλέξωμαι, εἰ μὴ θεὸς ὑφηγοῖτο. Negat quenquam idoneum fore ad docendum, niſi Deum aliquē ducem habeat, hoc eſt, niſi rationem & iuſtam docendi uiam teneat, & explicare apte, quæ ſentiat, poſſit. Sed in barbarorū ſcriptis ita perturbata & confuſa ſunt omnia, ut hunc ducem eis defuiſſe appareat. Quare gratulemur noſtrę ætati, qua quidam & Græcis literis & eloquentia inſtructi, cum reliquam Philoſophiam, tum etiam hanc partem repurgare atq; inſtaurare cœperunt. Miror autem, cur Theologis tuis tantam Philoſophiæ ſcientiam tribuas, cum à Mathematis, quæ eſt haud dubie præcipua Philoſophię pars, ualde nudi atq; inopes ſint, quos quidē tu mihi producis, homines religioſos, ſatis Thraſonice de ſe prędicantes: Viximus celebres, & uiuemus non in ſcholis Grammaticorū, ubi de Niobes filijs diſputant, ſed in coronis Philoſophorum, ubi humanarum & diuinarum rerum rationes quæruntur. Vixerint ſanè celebres. Non enim inuideo. Illud autem optarim, de Niobes filijs eos nugatos eſſe potius, quàm iſto modo luſiſſe in Eccleſiaſtica doctrina, qui cum ſacrarum literarum ſermonem non intelligerent, cum nullam haberent antiquitatis noticiam, cum iudicij inopia ueteres

XV. *Deridet amplificationem, quæ eſt in propoſitione Pici*

controuersias ac sententias non recte acciperent, multas sparserunt in Ecclesia impias & pernicioſas opiniones. Quàm sunt inepti cũ interpretantur Prophetas & Paulum, qua in re in primis ridiculum est, homines Dialecticos, quiq; in una illa arte consenuissent, nusquam uidere, id quod erat Dialectici, quid proponat Dauid aut Paulus, quæ sint initia argumentorum, qui exitus. Tales interpretes in sacris literis uere sunt ὄνοι σὺν μύῤῥῳ, ut uulgo dicunt. Itaq; cũ sermonem non assequerentur, nouam quandam Theologiam architectati sunt. Centones scripserunt, quorum magna pars consuta est ex disputationibus puerilibus, quæ agitantur in ipsorum Dialectica. Tanta uis est consuetudinis, ut puerile studium ne senes quidem deponere possint. Deinde assuunt pauca quædam dogmata Ecclesiastica, quæ non reprehendo. Sed quædam de maximis rebus sceleste corrumpunt ipsi, in quibus nec scripturę, nec Synodorum uerba intelligunt, ac serũt impias & fanaticas opiniones. Reliqua est pars quæ habet infinitas quæstiones, de humanis traditionibus, ut uocant, de qua ὀδὲν ὑγιὲς dicunt. Ac de toto hoc genere coram tutius erit disputare, ubi, cum euolueris tuos Magistros, res ostendet eos uerius esse σιβήνους ἢ ποῤῥύῤῥαις, ῥ, ut tu putas, Alcibiadis Silenos. Quod autem eis etiam immortalitatem polliceris, ac uicturos esse confirmas, melius ominari te uelim, & Christianæ doctrinæ, & alijs honestis artibus. Equidem ubi degustauerint nostri homines meliores literas, spero Hercule aliquem exoriturum esse, qui his monstris orbem terrarum liberet, quiq; Philosophię & Christianę doctrinæ natiuum decus restituat. Atque adeo ad hanc laudem expetendam, excitare te Pice non desinam, quem & ingenio

XVI. *Inuertit dictũ de Silenis Alcibiadis.*

& ingenio excellere, & doctrinæ uarietate præditum esse, & ardere incredibili quodam studio ueritatis inuestigandæ, & eloquentia ad res tantas illustrandas instructum esse uideo. Nam si est hominis Philosophi, ut certe est, in eruenda atque patefacienda ueritate bene mereri de toto genere humano, te ueræ Philosophiæ deditum, in hanc curam maxime incumbere omni studio decet, ut collapsas artes instaures. Neque uero meritum ullum maius aut glorioſius ducendum est inter homines, cum ueritate nihil sit melius. ἀλήθεια γὰρ πάντων μὲν ἀγαθῶν θεοῖς ἡγεῖται, πάντων δὲ ἀνθρώποις, ut grauissime dixit Plato. Ac iam quia specimen quoddam præbuisti tuorũ studiorũ, in quo significas, pleraq; tibi in ueteribus congerronibus tuis nõ probari, ac nouam quandam rationem, tum ad Philosophiam, tum ad Theologiam tractandam adhibes, magnam in spem eruditos omnes erexisti. Reliqua, ut ait Poeta, θεοῦ γε γούνασι κεῖται. Hæc tibi rescribenda esse duxi, non quod arbitrarer de his studijs aliud esse tuum, quàm meum iudicium, sed q; statuebam gratum tibi officium meum fore, quoniam me ad scribendum prouocasses. Quanquam, ut tu dicis stomachum tibi mouere quosdam Grammatistas, qui leuiter degustatis primis artibus, præ se Philosophos contemnunt, ita ego multo iustius succenseo morosis quibusdam, qui cum ueræ Philosophię infestissimi hostes sint, tamẽ Philosophię titulo regnãt, ac mirabili conspiratione, & odijs pertinacissimis obstant, quo minus reflorescere meliora studia possint. Scripsi igitur quędam hic asperius, ne isti me patrocinio nostrarum literarum abiecisse existimarent, quæ cum leges, boni consulito. Fui enim uehementior alicubi, istos animo

πάθος diluitur opposita alia iustiori causa indignationis.

animo intuens, cum ſcirem mihi hac de re uerius cum ipſis, quàm tecum certamen eſſe. Vt autẽ Steſichorum ferunt, cum Helenæ formam uituperaſſet, erroris pœnam cæcitate dediſſe, poſteaq; cum palinodiam caneret, oculos recepiſſe, ita te quoq; Deo gratum facturum ſtatues, ſi eloquentiam cœlo donatam hominibus maximarum utilitatũ cauſa, cuius dignitatem prior Epiſtola extenuat, rurſus ornes ac laudes. Id argumentum tua & perſona & facultate copiaq; dignum fuerit.

Vale.

DE RESTITVENDIS SCHOLIS Oratio habita ab Alexandro Aleſio, in celebri Academia Francofordiana ad Oderam.

VT Paulus inquit: Incertis uagamur ſedibus. ita Eccleſia uera Chriſti, exulat in hoc mundo, nuſquã certã ac durabilem ſedem habet: diabolus enim odio filij Dei incendit ubiq; impios ad eam pellendã & diſſipandam. Ita ſummos illos heroas, Abraham, Iacob, Moyſen, hoſtes fugere, quærere alia hoſpitia legitis. Da uidem & Heliam uix remotæ ſolitudines, & ſpecus in ſaxis aduerſus tyrannos texerunt. Apoſtoli toto orbe terrarum uagantur. Ipſe etiam Filius Dei ueniens in hunc mundum ex cœleſti patria, exulare ſe fatetur, cum ait:

Filius

Filius hominis non habet, ubi caput reclinet. Quare etiamsi de exulibus grauiter suspicari homines solent, tamen Christianos communem Ecclesiæ fortunam cogitare decet, nec exilium inter probra ducere, si causa sit honesta. Fateor me iam annos octo abesse à patria, uere diuina ope crudelitati cuiusdã sæuissimi Tyranni ereptũ, qui me, cum quædam errata doctrinę Ecclesiasticæ manifesta taxassem, iam uinctum adseruabat, & diram necem mihi minabatur. Etsi autem postea multis periculis conflictatus sum, tamen res ipsa ostendit, Deum uere mihi adfuisse ducem in illis longis peregrinationibus, meq; clementer seruasse, ut spero, ad aliquam Ecclesiæ utilitatem.

Primum ex patria discedens, ueni in Academiam Saxonicam, eo tempore, quo omnes articuli doctrinæ diligentissime disputabantur, ubi consuetudine eruditorum excitatus, multo maiore cura cõferre dogmata cœpi. Postea Britanniam adij, ubi & docui aliquandiu in Academia, & rursus cum ijs qui excellunt eruditione, de doctrina Christiana collocutus sum accurate. Estq; perspecta mea mens in ea insula præstantibus uiris, Episcopo Cantuarienſi, Latimero & alijs. Cumq; iam defessus tot peregrinationibus, quasi in portum ueniſſem, manereq; ibi decreuissem, ecce rursus prodeunt atrocissima edicta contra doctrinam Euangelij. Itaq; cũ aut subeunda esset impiorum crudelitas, aut cedendum, secutus sum consilium multorum bonorũ uirorum, qui & mihi & alijs pijs, qui palam dissentiebant ab illis decretis sanguine scriptis, hortatores erant, ut discederemus. Redij igitur in Germaniam ad eas Ecclesias, cum quibus sentire me profiteor, quæ mihi hospitium hoc semestri

pergratum præbuerunt. Cumq; eximia liberalitate Du cis Saxoniæ adiutus sum, tum hoc accessit, quod iterum de doctrina licuit cũ hominibus pijs & peritis conferre. Deinde mihi Illustrissimus Princeps Marchio Elector locum in Academia uestra clementer tribuit, ac munus commendauit re ipsa amplissimum, uidelicet, doctrinę Ecclesiasticæ explicationem. Hæc eo commemorauí, ut sicut meipsum series mearum ærumnarum & exitus mouent, ut diuinitus me seruatum esse ad aliquam Ecclesiæ utilitatem existimem, ita & uos bene & amanter de hospite sentiatis, nec me propter exilium aspernemini. Laudatur uetus Germania propter singularem fidem & humanitatem, qua excipere & tegere hospites solita est. Et uos arbitror adhuc retinere plurimum priscæ & antiquæ uirtutis, ad quam accedere etiam pietas debet.

Præcipue autem hoc officium Christus flagitat, ut eos qui uagantur uel docendi, uel discendi Euangelij causa, cæteri amanter complectantur, ac promittit mercedem inquiens: Amen dico uobis, si quis dederit uel aquæ potum alicui ex minimis propter doctrinam, mercedem accipiet. Quare & uobis spero Deum benefacturum esse, si nos complexi fueritis, qui qualescunq; sumus, tamen ex illo cœtu sumus, de quo Christus loquitur, Euangelium enim circumferimus, & si fateor me uere esse omnium qui docent, minimum.

Sed cum ordinis, ac functionis dignitatem Christus magnificiat, erit uestræ pietatis, me non grauatim audire. Maiores uestri reuerenter exceperũt multos ex insula Scottorum egressos, Gallum, Bonifacium, & alios, qui in Germaniam intulerunt Euangelium, horum uos ho

nesta

hesta exempla imitari decet, præsertim cum his miserrimis temporibus doctrinam Christianam ubiq; terrarũ horribili amentia Pontifices ac Reges delere conentur. In tanto publico periculo credite uos Deo gratissimum officium facere, quòd Euangelij Doctores benigne excipitis, tuemini, & auditis. Hæc de me ipso præfatus sum, Nunc in genere de scholis et de professione mea dicam. Nam si quis cogitabit, quantum referat, hoc præsertim tempore, restitui emendatas scholas, hunc mihi quoq; & cæteris mei ordinis hominibus æquiorem fore spero. Nemo tam est impudens ac sine fronte, qui negare ausit multos nõ dissimulandos errores à Pontificibus & Monachis in Ecclesiam inuectos esse. Quàm multi boni & docti uiri ante aliquot secula deplorauerunt Missarum nundinationem, idolomaniam in inuocatione sanctorum? Reprehendunt ipsi uetteres Ambrosius & Augustinus errores satisfactionum, & renouant doctrinam de pœnitentia, & de fide. Quàm multi deplorauerunt libidines sacrificulorum? Episcopi quid agunt dignum suo munere? Hæc cum iam iterum reprehendi Deus uoluerit, ac instaurare Ecclesiam, ne prorsus omnes homines pereant, uidetis quantum certamen exortum sit: Epicuræi Pontifices & Monachi, uentri metuentes, adeo fremunt se reprehendi, ut deleri nomen Christi, & uniuersam doctrinam Euangelij, & omnes Ecclesias in uastitatem redigi cupiãt. Res ipsa loquitur eos sic affectos. Perg̃unt enim defendere suos errores, moliri bella ciuilia, cumulant flagitia, negligũt Ecclesias, & scholas. Tali tẽpore necesse est bonos & pios Principes prouidere, ne funditus intereat religio Christiana: Quare ut Ecclesias restituere, ita et scholas instaurare debent, Nunc̃ enim uera

Ecclesia sine scholis aliquibus fuit, ac nec potest quidem diu conseruari doctrina, nisi scholastici cœtus adiungantur ad Ecclesias. Haud dubie primis patribus Adæ, Nohæ, Sem, ideo propagata est uita tot seculis, ut auditores haberent testes ἀξιοπίστους de prima origine generis humani, deq; initio doctrinę. Postea familię Abrahę, Isaac, Iacob, prorsus scholæ fuerunt. Deinde cum lex Moysi data est, iam clarum mandatum de scholis additum est. Constitutum est enim, ut ad tabernaculum semper essent cœtus docentium & discentium. Ita Samuel traditus est in disciplinã illi collegio, perinde ac si esset in Academiam bene constitutam missus. Postea cum negligerent studia sacerdotes, Deus excitauit Prophetas, qui magnas cateruas discentium secum traxerũt, ut tantum agmen erat auditorum Elisei, ut cum antea in Iericho habitassent, propter eius loci angustiam, quærerent ad Iordanem aliam sedem. Nec putate ociosos greges Monachorum fuisse, sed illos summos uiros audiebant de promissionibus differentes, de regno Christi, de peccato, de lege, de gratia, de iusticia, de ueris cultibus Dei, de maximis mutationibus orbis terrarũ. Extãt adhuc uetera quædã dicta, quæ ab illis scholis quasi per manus accepta fuerunt, ut dictũ de sex millibus annorũ mundi, id habet titulũ domus Eliæ, hoc est, scholę Elię. Meministis enim sententiam: Sex millibus annorum durabit mundus, postea destruetur: Duo millia inane, duo millia lex, duo millia Messiæ: Etsi qui anni deerũt, propter peccata nostra deerunt. Ex huiusmodi dictis existimari potest, in illis sapientissimis sodalitijs fuisse disputationes de rebus maximis. Ac cogitate quanta fœlicitas fuerit, & si erant Reges impij, & si erant omnia plena bello-

na bellorum ac seditionum, illi cœtus Ecclesiam regebant, nam ita alij alijs succedebant, quasi in acie, ut aliquo excellenti Propheta extincto, Deus mox alium, quasi in id uestigium collocaret. Cum Elias docuisset annos circiter uiginti, successit Eliseus, qui annos circiter septuaginta gubernauit Ecclesiam in Israel. Huic successit Ionas, quem arbitrantur fuisse filium mulieris Sareptanæ, ab Elia reuocatum ex morte. Deinde abductis decem tribubus, successit Esaias in Iuda, qui docuit annos circiter octoginta, & regnum liberauit ingentibus bellis, nam quilibet Propheta habet aliquot insigne πολίτευμα. Post Esaiam excitatus est Ieremias, qui annos circiter quadraginta concionatus est. Fuitq; eius πολίτευμα in speciem triste, sed omnium maxime salutare eo tempore: fuit enim hortator faciendæ deditionis, atque ita seruauit reliquias gentis, cum alij antea depulsis hostibus patriam seruassent. Ideo cũ hic nouo exemplo deditionem suaderet, quę uidebatur turpis & exitiosa, ualde contemptus est à Pontificibus. Sed Deus non humanis consilijs, sed suo gubernat Ecclesiam, castigat, & castigatam mirandis modis restituit. Quid in exilio Babylonico? an tunc defuerunt scholæ? Imò cum Iudaici Reges non aluissent Doctores, iam alunt Babylonici. Daniel cum collegis instituitur doctrina Chaldæorum, sed uicissim, hunc postea Reges omnium maximi, tanquam discipuli, audiunt, Nabugdonosor, Euilmerodach, Darius, Medus & Cyrus. Quem uirum ex omnibus ætatibus nominare quisquam potest, qui tantos heroas discipulos habuerit? Post Danielem extiterunt Esdras et Nehemias, qui attigerunt Alexandri Macedonis ætatem. Post Alexandrum celebrat liber Sirach Simonem Oniæ

nem Oniæ filium, qui doctrinæ puritatem conseruauit. Deinde paulo ante Machabæorum tempora, cum Pontifices certarent inter se ambitione, emerent Pontificatũ à uicinis Regibus, doctrinam negligerent, collapsis scholis, magnum uulnus accepit religio: uoluit tamen Deus superesse aliquas reliquias. Machabæi restituerunt doctrinam. Post hos creuit impudentia in populo Dei, repudiatis Prophetarum monumentis, cœperũt prophana ingenia amare Græcam Philosophiam, hinc extiterunt sectæ diuersæ Pharisæorum & Zadduceorum, qui palam Epicuræas opiniones professi sunt. Itaq; cum diu horribiles essent tenebræ in populo Dei, rursus excitauit Deus scholas per Ioannem Baptistam, deinde per Christum. Hos habuisse scholasticos cœtus, historia Euangelij non obscure testatur. Postea exempla Prophetarum, & Ioannis, ac Christi imitantur Apostoli. Nã hos quoq; suas scholas habuisse apparet ex Irenæo, qui ait Ioannem habuisse assiduos auditores multos, & in his Polycarpum. Hunc morem postea seruauit & ipse Polycarpus Smyrnę. Fuit autem frequentissimum Gymnasium Alexandriæ, ex quo multa lumina Ecclesiæ exorta sunt. Inde mittebantur pastores ad Ecclesias uicinarũ regionum. Hæ scholæ consulebantur de doctrina: Ibi enim extabant testimonia dogmatum ab Apostolis accepta, ut certo constaret, quæ fuisset Apostolica sententia. Cogitate autem quàm gratum pijs, quàm utile fuerit ad confirmandas mentes, scire ueteres Apostolorum sententias, scire per quos autores propagata doctrina fuerit. Clemens ait se peruagatum esse totam Asiam, & de singulis doctrinæ articulis consuluisse eruditos ubiq;. Sed postquam uenit Alexandriam, fuisse se contentum

iudicio

iudicio Pantæni, quem ait eruditione & pietate eximia prędituin fuisse, ac ornatum testimonijs Spiritus sancti, seu miraculis. Vt igitur hæ scholæ ab Apostolis inchoatæ conseruarentur, Collegia in Ecclesijs Episcoporum instituta sunt, & donata uictu. Sed postquam opes creuerunt, in Collegijs doctrina extincta est. Quid enim nunc sunt illa agmina Canonicorum, nisi sodales Apicij? Quarum rerum studia in illis locis uigeant, nō ignoratis, sed de his non dicam hoc tempore. Cæterum hæc tam longa commemoratio de Propheticis & Apostolicis Academijs quò pertinuit? Illud ostendere uolebā, Deo placere conseruationem scholarum, nec posse florere Ecclesias sine scholis, & quidem magna artium ac literarum uarietate opus est. Nam etiam illi ueteres Propheiarum auditores, & si præcipue discebant cœlestia oracula, tamen alias artes etiam adiungebant, discebāt aliquid de natura rerum, quærebant historias, alij Musicam, alij Medicinā profitebantur. Ita nunc uidetis sine literis, sine linguarū cognitione, sine Dialectica, sine aliqua liberali eruditione, profecto neminem satis idoneū esse ad explicandas controuersias religionis. Ergo in scholis multarum artium exercitia instituta sunt, quarū pleræq; & si multiplicem in uita usum habent, tamē præcipue conducunt ad Ecclesiasticam doctrinam illustrandam. Hæc cum ita sint, cum scholæ necessarię sint Ecclesijs, ardentissimis uotis optare omnes pij debent, ut Deus excitet Principum animos ad restituendas & ornandas Academias, ad excitanda & prouehenda literarum ac bonarum disciplinarum studia. Cumq; ea in re optimam uoluntatem Princeps Marchio ostenderit, gratulari hanc fœlicitatem Reipub. debemus, ac precari

Deum

Deum, ut auſpicijs honeſtiſſimæ atq; utiliſſimæ rei faueat. Profecto melius de ſuis populis, & de tota poſteritate hac in re meretur, quàm ſi nouas auri aut argenti uenas tam largas, quàm fuerunt uenę Lydiæ, quę Crœſi opes tanto pere auxerant, reperiret. Hoc munus præcipue flagitat Deus à Principibus. Ideo enim Deus ad ſocietatem condidit homines, ut alij alios de religione doceant, ut quidam uenuſtiſſime ſcripſit:

Vtq; alios alij de relligione docerent,
Contiguas pietas iuſſit habere domos.

Cum autem Principes ſint cuſtodes humanæ ſocietatis, certe hoc efficere debent, quantũ ipſi poſſunt, ut Deus recte celebretur. Armentarijs ſatis eſt, pecudibus pabulum curare. Hi qui hominum cœtus regunt, nõ tantum cuſtodes ſunt uitæ corporum, ſed legis ac diſciplinæ: Ideo Deus eis impertit ſocietatem ſui nominis, ut Dei dona, id eſt, religionem, iuſticiam, diſciplinam, pacem inter homines tanquam uicarij Dei tueantur. Oro igitur Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium Dei, ut gubernet & augeat hanc ſcholam, & ſtudia harum gentium exuſcitet, ad ſalutem Eccleſiæ, quam Filius Dei ſic amat, ut eam ſanguine ſuo redemerit. Vos etiam qui hanc urbem, & hanc Academiam regitis, obteſtor, ut cum operam ſcholaſticam Eccleſiæ neceſſariam eſſe intelligatis, me hoſpitem, & uerſantem in difficili munere, ueſtra beneuolentia confirmetis. Sumus nos quidem longe inferiores illis ſummis uiris, de quibus antea dixi, qui olim Eccleſiæ ſtudia rexerunt, Elia, Eliſeo, Eſaia, Ieremia, Daniele, Eſdra, ſed in munere prorſus eodem uerſamur. Nec raro ego ipſe toto corpore perhorreſco, cogitans magnitudinem oneris, quod ſuſtinemus, & intuens

intuens animo illos ueteres duces nostros, quos longo interuallo sequimur inertes & ignaui, atq; hanc dissimilitudinem cum reputo, non solum docentium imbecillitatem, sed Ecclesiam deploro, quæ quasi senectæ imbecillitate, omnia membra habet languidiora, & tamen postremis temporibus plurimũ periculi habituram esse Christus prędixit. Nam quo propius instat dies extremi iudicij, eo diabolus furiosius itascitur Christo, iam scilicet formidans sententiam, in qua omnibus creaturis patefiet turpitudo immensa superbissimi spiritus, & cruciatus ipsius horrendi augebuntur. Itaq; odio Christi incitat Turcas, Pontifices, impios Reges, deniq; omnia sua organa aduersus Ecclesiam. Eo magis uigilandum & pugnandum est nobis, ut furor diaboli impediatur: Reges turpissime sinunt grassari Turcas, Episcopi negligunt Ecclesias. Quare pios Principes & cæteros qui præsunt, anniti decet, ut quantum suo quisq; loco potest, faciant illorum negligentiam, bonos doctores quærant, cõstituant Ecclesias, curent ad posteros propagari Euangelium. Auditores etiam propter Christum Dominũ, ac officij dignitatem amanter tractent fidos Euangelij interpretes, inter quos me quoq; uobis cõmendo. Nam & fidem ac diligentiam præstabo, & genus doctrinæ pium profiteor. Amplector enim uere & ex animo consensum Catholicæ Ecclesiæ Christi, hoc est, doctrinam Christi & Apostolorum, & explicationem traditam in Symbolis, Apostolico, Niceno, & Athanasiano. Et cum inciderint discordiæ, fateor me sentire cũ Ecclesijs, quarum extat confessio Augustana, & has iudico tueri perpetuum consensum ueræ Ecclesię omnium temporum, Prophetarũ, & Apostolorum. In his iudico multos arti

culos doctrinæ Christianę recte & pie renouatos & illustratos esse. Cum his iudico etiam uere congruere scriptores puriores dextre intellectos, Ambrosium, Augustinum, Hilarium, Basilium, Epiphanium, Nazianzenũ. Et quanquam odiosum est nomen discordiæ, tamen sentio hæc certamina, quæ de doctrina mota sunt, necessaria & diuinitus excitata esse. Quia Daniel & Paulus uaticinantur postremis temporibus hos futuros esse agones piorum aduersus impios Pontifices in Ecclesia, defendentes manifestam εἰδωλομανίαν, & exercentes Neronianam sæuitiam in membra Christi. Ac prænonuit nos Spiritus sanctus, ut cum inciderint certamina, cogitemus ubi sit uera Ecclesia, non terreamur titulis sceleratorum Pontificum, nec simus socij & administri impię tyrannidis. Non igitur nouum doctrinę genus comminiscar, una est perpetua Ecclesia, in qua Filius Dei per patres, Prophetas, & Apostolos, ueram Dei noticiam tradidit, & taxat persuasiones contumelios as aduersus Deum, quas spargit diabolus odio Dei. Ad illam ueram Christi Ecclesiam, nunc quoq; belligerantem cũ diabolo, & dissentientem à Pontificibus, qui idolomaniam defendunt, & trucidant membra Christi, ut omnes pij adiungere se debent, ita me quoq; tota mente & toto pectore adiungo, ac precor ex animo Filium Dei, Dominũ nostrum Iesum Christum, ut ministerium meum gubernet, ac per me sit efficax, ut adfuit patribus, Prophetis, & Apostolis: Ipsius enim laus uictoriæ, ipsi triumphus debetur, qui uincit diabolum: nostra infirmitas non est par tantę dimicationi, sed ipse uult pijs adesse, & conculcare caput serpentis, hoc est, ut Ioannes interpretatur, destruere opera diaboli.

Fuit

Fuit Ecebolus quidam Rhetor tempore Constantij, is ut gratiam aucuparetur Principis, baptizatus est, & ut fuit in dicendo uehemens, acriter solitus est taxare idolomaniam. Postea sub Iuliano cum uideret hunc abhorrere à Christi nomine, & restituere Idola, defecit & ipse à Christianis, eisq; in gratiam Imperatoris rabiose male dixit. Ita animi sententiam de religione inflexit ad Principum uoluntates. Non fuit autem diuturna tyrannis Iuliani, sed statim successit Iouianus bonus & pius Princeps, ubi cum uideret multo maiore in odio esse illos, qui ut assentarentur Iuliano, defecerant à Christo, q̃ cæteros Ethnicos, rursus ipse sese retexit, redit ad Christianos, abijcit se ad templi fores, iubet se pedibus conculcari, ut sunt hypocritæ tanquam histriones ad has præstigias idonei. Nec nulli sunt hoc tempore tales Eceboli, qui alia alijs temporibus & apud alios probant.

Ego igitur simpliciter professus sum quid sentiam, & opto ut in hac me sententia confirmet Deus, & ut Filius Dei gubernet meum ministerium. Certe illud Eceboli nunquam facturus sum, nõ stringam stylum aduersum ueram Ecclesiam, nõ deformabo eam calumnijs,

Sed ingenium meum seruiet gloriæ
Dei & Domini nostri
Iesu Christi.
Dixi.

CRITIAE ORATIO CONTRA Theramenem, ex Xenophonte, Philippo Melanthone interprete.

SI quis è uobis, Iudices, arbitratur plures ne cari quàm par sit, is ita apud se cogitet, hæc accidere solere, quoties publicus status mutatur. Neq; fieri potest, quin plurimi sint ijs hostes, qui multitudini libertatẽ eripiunt, præsertim cum non alia urbs inter Græcos populosior sit, aut ubi diutius libertate populus usus sit. Porro nos ex uoluntate Lacedæmoniorum Rempub. constituimus, cum uideremus, primum nobis hoc rerum statu non esse tutum populo permitti libertatem, deinde nec Lacedæmonijs qui superesse nos uoluere, plebem futuram esse fidam, optimates autem in fide mansuros esse. Proinde si quem sentimus potentiæ optimatium insidiari, hunc è medio auferre decretum est. In primis autem, si quis è nostro ordine, hunc statum labefacere conatus fuerit, in eum retulerit animaduertere.

Porro Theramenem comperimus planè nobis machinari exitium, idq; deprehendetis, si diligenter contemplati fueritis, neminem esse qui perinde calumnietur præsentem statum, & quoties aliquem popularem Rhetorem necamus, reclamet. Quod si à principio consuesset, in hostium numero recte haberetur. Sed cũ ipse nobis autor fuerit faciendæ cum Lacedæmonijs pacis, & eripiendæ libertatis populo, imò impulerit nos, ut supplicium sumeremus de ijs, qui primi impetũ in nos fecere, nunc demum aduersatur, ut ipse in tuto sit, à nobis pœna

bis pœna exigatur propter ea quę gessimus. Proinde de eo, non ut de hoste, sed ut de proditore, supplicium sumite: Est enim proditio hoc formidabilior bello, quod difficilius est clandestinas insidias, q̄ apertam uim cauere. Est item ideo etiam in maiore odio proditor q̄ hostis, quod cum hoste nonnunquam in gratiam redi-tur, & bona fide pax conuenit, cum proditore nemo unquam in gratiam redijt, nec, si uelit, queat.

Sed ut non nunc primum cognoscatis hæc agitari à Theramene, & naturam finxisse eum proditorem, re-censebo quædam eius facta. Cum initio à plebe secundum patrem plurimi fieret, incessit eum cupido imperij à populo ad quadringentos tranferendi, inter quos ipse primas facile obtineret. At ubi sensit populi uires esse maiores, q̄ ut quadringentis illis de imperio cessurus uideretur, partium populi Princeps factus est. Quam ob causam & Cothurnum uocatũt, quod utriq; pedi iuxta conueniat cothurnus, & tamen neutri satis adposite.

Proinde non meretur impunitatem is, qui cum alijs autor fuerit negocij alicuius suscipiendi, mutauerit sententiam, si quid aduersi inciderit. Sed erat uelut in naui perdurandum, donec secundum uentum nacti fuerint. Si deseras, quomodo possunt conficere cursum, cũ mox recurrant, ubi reflarit uentus? Iam cum Rebuspub. ac imperijs mutationes omnes cęde constent, plurimis exitio fuit inconstantia tua, multi tẽ autore ex optimatibus à plebe necati sunt, multi ex plebeis, ab optimatibus.

Præterea huic à Ducibus commissum fuerat, necare Athenienses, qui ad Lesbum pugna nauali uicti erant, quos cum non interfeciſſet, ne sibi fraudi esset, non paruisse Duces ipsos accusauit, atq; occidit. Vnde adparet

1066.120

semper eum priuatum commodum præ dignitate & amicis habuisse. Quare igitur parcendum ei putatis? cur inconstantia eius cognita, non obseruatis, ne aduersus nos quoq; idem machinetur?

Proinde nos eum accusamus, & insidiarum & proditionis. Quod autē merito id fiat, hinc intelligetis: Nam in Lacedæmoniorum Repub. cum sit optime constituta, si quis ex Ephoris nolit obsequi cæteris, sed Magistratum contumelia adficiat, & obstrepat eorum decretis, dignus pœna iudicatur, etiam ab ipsis Ephoris, & à tota ciuitate. Vos igitur, si sapitis, non illi, sed uobis parcite. Nam si hic euaserit, multis addet animum, ut uobis aduersentur: quod si interemptus fuerit, spem demet omnibus, domi, ac foris.

Dixi.

ARGENTORATI EX OFFICINA CRATONIS MYLII, MENSE MARTIO, ANNO M. D. XLI.

